
3 1761 04118 5786

MARTINI SCHWARTNER,

BIBLIOTHECAE REG. SCIENT. UNIVERSITATIS PESTANAE CUSTODIS PRIMI, ET PROFESSORIS DIPLOMATICAE,

INTRODUCTIO IN REM DIPLOMATICAM AEVI INTERMEDII, PRAECIPUE HUNGARICAM.

CUM TABULIS V. AERI INCISIS.

Editio secunda auctior et emendatior.





Annulus Piscatoris.

BUDAE,

TYPIS REGIAE UNIVERSITATIS PESTANAE.

MDCCCII.





PRAEFATIO.

Quam ante hos annos XII. impetu adhuc juvenili quodammodo actus, vulgaveram *Introductionem in Artem diplomaticam, præcipue Hungaricam*, nunc ſtudiis converſis animoque virili, hortatu amicorum, librumque rei diplomaticæ ſtudioſis efflagitantibus, in lucem publicam emitto iterum. Prodit autem idem prima equidem adhuc priſtini ſui habitus lineamenta referens: at, quod in hominibus fere annis recedentibus fieri obſervamus, mutatus cetera permultum ab illo, qui antea fuerat. Attingam paucis, quid quantumque ille ſecundis meis curis debeat, qui a prima ſui origine, non ſolum civibus noſtris academicis, verum illis quoque deſtinatus erat, quibus educatio aliquando minus liberalis obtigit, quam ut in ſcholis præcepta Artis imbibiſſent, cujus in cognoſcendo jure, ævi præcipue intermedii, explicandisque fatis & vicisſitudinibus humani generis, tam frequens, tamque magna eſt necesſitas. — Ante omnia ergo quam poteram diligentisſime, quid foris in re diplomatica annorum XII. intervallo actum ſit inquiſivi; cujus proventu ſterili cum me minus ſatiatum eſſe ſentirem, ad lectionem & ſtudium aucto-

rum de re diplomatica veterum reverſus ſum denuo, *inprimis* vero ſic dictum novum opus PP. Benedictinorum e Congr. S. Mauri diplomaticum, quod ſuo volumine adeuntem deterret, nec rerum diſpoſitione perſpicua adjuvat, neque orationis gratia demulcet, at incredibili rerum utilium ubertate turget, a capite ad calcem ſtudioſe relegi, avareque ut ita dicam excerptum, in meos meorumque lectorum uſus converti. Sed neque alios auctores artis diplomaticæ præſtantisſimos, qui excellentisſimum illud opus ſive prægresſi ſive demum ſubſecuti ſunt, neglectos prætermiſi, quorum nomina, dum hoc res depoſcebat, ingenue profeſſus ſum, eadem brevitatis ſtudio intermittens, quotiescunque ab illis dicta, vel fini quem propoſitum perſequebar non convenire animadverti, vel ab aliis jam occupata eſſe deprehendi *a*). — Alterum quod mihi ſecundam libri editionem adornanti curæ cordique fuit hoc erat, ut jam ab aliis inventa in re codicillari ævi intermedii, cum chartis & diplomatibus domeſticis religioſe contenderem, ſtudioſeque mutuo & invicem accommodarem. Hujusmodi enim rituum & conſvetudinum, populorum plurium ejusdem ævi, inter

a) *Gerkeniana* ex. gr. (præter partem alteram de Sigillis, cujus copiam domi forisque nequicquam quæſivi) pleraque omnia legi. Etiam *Arnoldi* Miſcellanea diplomatica, ultra nomen & titulum mihi nota erant, quamvis illis parum in rem meam uti potuerim.

inter ſe facta comparatio, ut mirum quantum jucunditatis habet: ita rebus mox hujus mox alterius populi ſæpe perobſcuris, quam plurimum lucis affundit. Proderant autem mihi talia conanti multum, Tabularia publica privataque, quæ mihi illo temporis decurſu inſpicere licuit, præſtantesque illæ Tabularum ævi inferioris collectiones, quibus uſus ſum, quarumque in ipſo libro eſt frequens mentio. Et in Tabulario quidem ſecretiore Domus Auguſtæ, de inſtrumentis Hungariam attinentibus modeſte ſciſcitanti, theſaurus diplomaticus oſtenſus eſt prorſus ſingularis. Etiam in Archivo Exc. Cameræ Reg. Ungar. Aulicæ, quæcunque ſalva conſcientia Præfecti, viri rei codicillaris domeſticæ peritisſimi, roganti exhiberi poterant, liberalitate prorſus ſingulàri ſunt exhibita. Jacent monumenta ævi medii omni auro pretioſiora, in Archivo antiquisſimæ urbis liberæ regiæque Sopronienſis recondita, quorum ego pleraque vidi notavique, precatus ex animo, ut inter eruditos urbis hujus cives exiſtat mox aliquis, qui magiſtratus urbani maiori indulgentia fretus, captivos illos, in publicum conſpectum producat, rerum a majoribus geſtarum teſtes locupletisſimos. Nihil oculis meis occultum eſſe voluit Senatus Kesmarcenſis; erant magna erga me humanitate etiam illi, quibus cuſtodia copioſisſimi Archivi urbis Caſſovienſis demandata eſt, nec ſine grandi præda Tabularium urbis Poſonienſis, ubi unum nonniſi alterum-

que diploma, judicum venia conſpicatus ſum, dereliquiſſem, ſi illi ad quos Tabularii cura proxime pertinebat, ab urbe non abfuiſſent longius. De collectionibus autographorum privatis nihil adferam, nec illa commemorabo diplomata originalia, quæ Univerſitati noſtræ, ad exhibendum illa obtutui ſtudioſæ juventutis relicta ſunt: verum ingratus ſim oportet, niſi inſignia monumenta ſtudii illius magni non minus quam ſucceſſu felicis celebrem, quo aliquando in rem Hungariæ diplomaticam ferebantur, ſuique memoriam perennem reliquerunt, duumviri e Societate Jeſu longe clarisſimi, P. GABRIEL HEVENESSI, & P. STEPHANUS KAPRINAI. Utriusque manuſcripta ad peculium pertinent Bibliothecæ Regiæ quam cuſtodio, utriusque amplisſima collectione in rem meam uſus ſum, de utriusque auctore ergo, teſtandi in pios illorum manes grati animi cauſa; atque ut præſtantiam collectionum iſtarum, quarum per Hungariam doctam magnum nomen eſt, etiam alii recte æſtimare diſcant, dicendum aliquid. Cenſeo autem noſtratium neminem fore tam iniquum, quin ultro fateatur, Societatem Jeſu de omni literarum genere in patria noſtra bene omnino eſſe meritam; in Hiſtoriam certe domeſticam, inprimis eccleſiaſticam, illius ſtudia & grandia & manifeſta erant. Ab hac quippe non tantum ſubſidia exſpectabant ad reſtaurandam in Regno Hungariæ religionem catholicam, verum cum lege publica Abbatiæ & Præpoſituræ derelictæ, ſuſtentationi ſcho-

larum; quibus Socios Jesu præfectos fuisse constat, addictæ essent, possetque Rex noster apostolicus, quod sæpe demonstratum inveni, ipsaque bulla Silvestrina dictat, beneficia ab uno ordine religioso transferre ad alium, haberetque *Historia diplomatica* etiam, quæ an. 1700. typis Halberstadiensibus in Fol. prodierat, incitamenti aliquid; non poterant non Patres illi momentum chartarum & diplomatum, cum in foro, tum in annalibus Regni ecclesiasticis, perspicere, longe maximum. Eminentissimus *Petrus Pazmannus* ergo, pro singulari illa qua pollebat judicii maturitate, rerumque experientia, primas ædificii duxit lineas; *Inchofer*, *Hevenessi*, *Kaprinai* cet. materialia quæ vocant congesserunt; in formam artis redegerunt illa, *Péterfi*, *Schmitth*, *Pray*; & illi etiam, qui Regni Historiam vel universam, vel periodum aliquam ejus scribere aggressi, ecclesiæ tamen fatis & juribus recensendis & defendendis potissimum intenti, ecclesiasticam potius Hungariæ Historiam, quam aliam quamlibet scripsisse censendi sunt. Sed redeo ad *Hevenessium*, Hungarum nobilem, religionis quam profitebatur non minus quam literarum amore aliquando († 1715.) flagrantem, virum doctum probumque, qui Collegium *Pazmannianum* S. J. Viennense regebat; Cardinalique *Leopoldo a Kollonits* a sacris erat confessionibus. Hic desiderio continuandi *Annales Ecclesiasticos R. H.* quos *Melch. Inchofer* Romæ 1644. non ultra annum

 1060.

1060. progreſſus, vulgare cœperat; ſcripto typis expreſſo *a*), populares ſuos invitavit & obteſtatus eſt, ut ad continuationem operis prædicti, ſymbolas ſibi Viennam mitterent, e libris jam editis, manuſcriptis publicis privatisque, etiam traditione veroſimili, unde unde conquiſitas. Erant hæc prima collectionis *Heveneſianæ* initia, cujus auctori indefeſſo, illam dum viveret perpetuo continuanti, ſine dubio omnium plurimum proderant, opportunitas loci quo degebat, & patronorum quibus gaviſus erat auctoritas. Ejus etenim, ut mihi videtur, precibus & conſiliis expugnatus Cardinalis *Kollonitsius*, id apud Cæſarem Leopoldum I. effecit, ut Archivum Exc. Cameræ, & Libri Regii paterent ſibi, deſcripturo illinc inſtrumenta quævis, Clerum Hungariæ ejusque iura quoquo modo attinentia *b*). *Heveneſsio* quocum hæc omnia *Kollonitsius* communia eſſe voluit, nunc demum larga chartarum & diplomatum ſeges ſeſe obtulit, unde Collectaneorum ejus magnitudo valorque inprimis æſtimari debent. Enimvero præter plura volumina, quæ diplomata complectuntur e Tabulario Exc. Cam. Hung. & Libris Regiis accepta, quindecim numeravi, quibus teſtimonium Car-

a) Legi illud apud *St. Kaprinai*; MSS. B. Tom. XLII. Nro. 66.

b) Decretum Cameræ Aulicæ Viennenſis anni 1702. ejusque Regiſtratori Cameræ Poſonienſis facta intimatio, exſtat inter MSS. *Heveneſsii* Tom. NN. ſeu L. pag. 395.

Cardinalis purpurati autographon, ſigillo communitum ſubjectum eſt, agente ſeſe, deſcripta eſſe eadem illa ex Archivo Exc. Cameræ Regiæ. Univerſe *Heveneſsiana* Tomos XCIII. in fol. mediæ & minoris molis efficiunt *a.)*, quæ in ſequentes claſſes tres fortaſsis non incommode diſtribuero: ita quidem, ut ad primam referantur acta & documenta, quæ jura, quæ poſsesſionaria appellamus, ven. Cleri R. H. inprimis Archiepiſcopatus Strigonienſis, deinde Abbatiarum & Præpoſiturarum attinent; ſequantur jura & Hiſtoriam Soc. Jeſu in Hungaria & Tranſilvania illuſtrantia; Unionis deinde negotium, Proteſtantium fata, & motus illos infauſtos ſuperiorum temporum inteſtinos ſpectantia. Reliqua, quæ in Tomis illis XCI. interjecta occurrunt, tanti non ſunt, ut claſſem peculiarem ſibi vindicent.

Heveneſsio mortuo, omnes iſtæ manuſcriptorum ejus reliquiæ, Collegio S. J. quod tunc Tyrnaviæ erat ceſſerunt, Societate Jeſu vero exſtincta, Univerſitati, quæ primam Tyrnaviæ ſedem habuerat, poſtea Budam migravit, nunc vero Peſtini floret, addictæ ſunt; ſine quarum adjumento nec *Péterſi* ſua Concilia, neque *Schmitth* ſuos Archiepiſcopos & Epiſcopos forte conſcripſiſſent, compluraque in *Praii* Operibus paſsim deſideraremus diplomata. Laudibus ergo *Heveneſsii* Hiſtoria Hungariæ, inprimis illa quæ Eccle-

ſiam

a) Diſparuerunt, non liquet quando, V. & XI.

ſiam catholicam reſpicit, tamdiu perſonabit, quamdiu monumentum illud ſupererit, quod ipſe induſtria ſua ſibi poſuit, ære perennius.

Stephanus Kaprinai, patre Croata, qui Krapina ſedes ſuas in Hungariam transtulerat, ortus, († 27. Dec. 1786.) poſt *Heveneſsium*, facile primum inter viros eccleſiaſtici ordinis catholicos locum occupat, qui apud nos ævi veteris monumenta, ad illuſtrandas res patrias, operoſe in unum congeſſerunt. Deſtituebatur autem ille potenti ejusmodi patrocinio, quali *Heveneſsius* ſuffultus felixque aliquando erat: at virtuti & induſtriæ ſuæ confiſus, exemplo docuit, quantum vel unius viri ſtudium pertinax conatusque indefeſsi valeant. Manuſcriptorum ejus ſylloge, quam auctor in eleemoſynam, celebrandis pro anima defuncti mille miſſæ ſacrificiis, Archiabbatiæ S. Martini in ſacro monte Pannoniæ legaverat, ſublato per Joſephum II. Benedictinorum ordine, Bibliothecæ Regiæ Univerſitatis Peſtanæ, numeratis e Fiſco Bibliothecæ in eleemoſynam quingentis illis florenis, obtigit. Complectitur illa univerſe CLIV. Tomos, ut plurimum molis mediocris. Horum LIII. cenſentur in folio, complectentes in ſe, præter *Iſtvánſii* Hiſtoriam in idioma gentilitium commode verſam, cui utinam editor obtingeret aliquis! miſcellanea omnis generis, Hiſtoriam Hungariæ quoquo modo attinentia, expreſſa & chirographa, eccleſiaſtica & profana, antiqua & nova. Quædam ex iſtis vo-

luminibus ad *Peterſium*, *Timonem*, *Schmitthium* viros clar. aliquando pertinuiſſe, *Kaprinaii* manus propria teſtata eſt. Reddiderunt autem ſaltem mihi eorundem lectionem non minus iucundam quam utilem, innumeræ quæ per illos Tomos ſparſæ ſunt narratiunculæ anecdotæ, e recentiori potiſsimum Hiſtoria acceptæ, nullibi obviæ: at diplomatum numero & valore, LXI illi Tomi, in forma quam in quarto appellamus, litera B. a collectore inſigniti, propriaque plerumque ejus manu conſcripti, permultum omnino præſtant majoribus illis voluminibus. Qui proxime ſcopus viri indefeſsi, in conquirendis illis MSS fuerit, pro certo non ſcio *a)*. Forte amore rerum patriæ antiquitatisque omnis captus, cum ſe ipſum minus facilem promtumque in ſcribendo ſentiret, colligere fragmenta, quam illa inter ſe componere apte ſolideque maluit. Eſt mihi namque ex *Hiſtoria* ejus *diplomatica temporibus Matthiæ Corv. Regis*, quam ſcribere vir ſumme induſtrius incepit, tantum non veriſimile, *Kaprinaium*, dum architectum Hiſtoriæ pragmaticæ agere vel non auderet vel non poſſet, anecdota potius, auctorumque & diplomatum loca cumulaſſe, in litoreque quaſi meticuloſe ſubſtitiſſe, altiora non auſum petere. Eſt porro Diplomatarium ejus elemento B. diſtinctum, profanum potius

a) Quæ *Horanyi* V. Cl. In *Memoria Hung.* de eodem commemorat, me non fugiunt.

potius quam ſacrum. Permulta in eodem occurrunt ex autographis exſcripta, deliciis illis comparanda, quæ ipſo uſu deſiderium irritant accenduntque. Caſſovienſe certe Archivum, monumentorum veterum bene dives, integrum fere in ſua ſcripta transtulit. Idem de Bartphenſi, Eperieſienſi, Szatthmarienſi & Nagybanyenſi dicendum habeo. Exſcripſit etiam ex Archivis illuſtr. & antiquiſsimarum familiarum, Sztaraianæ, Cſakianæ, Sooſianæ cet. præſtantiſsima quæque diplomata; ditavit illum ſociosque non paucis, chartarum veterum aliquando non minus dives quam cupidus & intelligens centurio emeritus *Samuel Székely de Doba a)*; in Conventu deinde candidiſsimi ordinis Præmonſtratenſium Leleſzienſi, cujus annales promittebat, admiſsionis prorſus erat intimæ, promiſſo dato, fore, ut quæ ibidem deſcripſiſſet, oculos profanorum ſeu ſecularium nunquam ſubirent. Hoc inter cetera notandus eſt vir omnium quæ patriam ſpectant longe curioſiſsimus, quod innumeris quas undequaque corraſit ævi medii literis, locum unde acceptæ ſint, non ſemper adſcripſerit; neque an autographon coram ſe habuerit, interdum vel levi aliquo ſigno teſtatus ſit. Idem diplomata & chartas ex operibus typo expreſsis adeo excerpſit, e. c. *Lucio*, *Sommersbergio* cet. quin librorum aucto-

a) Vid. *Ign.* Comitis a *Batthyán Leges eccleſ. Regni Hung.* in præfat.

auctorumve nomina indigitaverit. Valet hoc inprimis de illo voluminum novo ordine, itidem in forma quam in quarto appellant, qui literam C. præſefert, in quo excerpta e Regeſtis Vaticanis *a)*, primam & præcipuam omnino partem conſtituunt. Omnium iſtorum MSS. pars melior, cum ante hos annos XIII. & quod excurrit, in Tabulario Exc. Cameræ R. H. A. jaceret depoſita, inſpecta eſt a *Martino Georg. Kovachich* V. Cl. indeque illi propoſitum ſcribendi *Veſtigia Comitiorum apud Hungaros* primum enatum eſt: etiam *Praius* celeberr. R. H. Hiſtoriographus, in noviſsima ſua *Hiſtoria Regum Hungariæ*, illis uſus eſt; quae mihi etiam quantum proderant, non uno, ſed pluribus locis ultro confeſſus ſum.

Talibus igitur ſubſidiis quam hactenus enarravi inſtructus, ad novam libri, quam jam exhibeo, recenſionem me contuli, quæ quidem quacunque demum ſui parte diligentius inſpiciatur, ita prodit priore auctior atque emendatior, ut novum quodammodo opus ſuo jure dici debeat. Nec titulum libri adeo intactum reliqui, qui novæ huicce editioni præpoſitus, & modeſtior eſt, & argumento li-

a) *Martinus Cſeles* e S. J. Hungarus, dum pœnitentiarium in Urbe ageret, eadem Jeſuitis Hungaris ſuppeditaverat. Illuſtrant illa multum Hiſtoriam rei utriusque cum publicæ tum vero præprimis ſacræ illorum temporum, e quibus velut e naufragio, perpauca tantum nobis monumenta ſervata ſunt.

libri etiam accommodatior. Illuſtrabunt illum egregie ſpero adjectæ Tabulæ æneæ, quarum primam *Praius* aliquando tironum in gratiam fieri curaverat: intermediæ, quas ne quid vacuum relinquerem pag. 336. interpretatus ſum, nunc demum gravibus meis expenſis æri inſcriptæ ſunt: poſtremas e prima libri editione retinui, mutato in ſigillo Mariæ Reginæ, hujus habitu, juxta ectypon diligentiſsime adumbratum, quod *Joſephus Car. Eder*, vir incomparabilis, mihique & meis ſtudiis addictiſsimus, offerre mihi ſua ſponte voluit. Conatus ſum autem tabulis quæ intermediæ occurrunt, primum quidem oſtendere, quomodo ſcriptura noſtra diplomatica continuo magis magisque degeneraverit, usque dum characterem illum indueret, quem Tab. III. nrus 1. repræſentat; deinde literas ſub numero prædicto proſtantes, integras ſculptoris ſtylo exhibendas eſſe cenſui; tum quod hujusmodi ſcriptura regnans fuerit illo tempore, e quo nobis maxima chartarum copia ſupereſt, tum quod lectoribus & auditoribus ſpecimen aliquod exhibendum eſſe putaverim, quo ſe legendo ævi veteris monumenta exercerent; quod quidem in priori editione, ingenti lectorum incommodo, neglectum a me fuiſſe, jam pridem, quin prius malo mederi potuerim, obſervaveram. Autographon iſtarum literarum, in Bibliotheca Peſtana, juxta cum Nris 4. & 5. Tab. II. nec non Nris 2. & 3. Tab. III. jacet repoſitum.

Diplo-

Diplomatarium appendicis inſtar adjunctum, nunc numeris XXXV. conſtat, abſolvebatur illud antea exemplis XII. In illo diſponendo rationem temporis habui, non ſyſtematis rigoroſi, conatusque ſum deſcribendo formulas illas; tironibus guſtum rei diplomaticæ meliorem inſtillare; eosdemque ad lectionem monumentorum hujusmodi plurium allicere; neque enim formularum quas attuli quæpiam talis eſt, quæ ſe vel argumento quod tractat, vel rebus tractationi argumenti quomodocunque interjectis, magnopere non commendaret. Id unum dolere ſatis non poſſum, illam quæ agmen ducit, non meis curis e protographo deſumtam eſſe.

Operæ & oleo ergo in libro perficiendo perpoliendoque non peperci, quem cum ultra compendii fines extendere nollem, brevitati ſtudui, ita tamen ut paucis interdum plura dicere contenderem. Etiam ſtylo cultiori tantam quantam potui impendi operam: ſed longius tractando diplomata, fieri fortaſſe potuit, ut ipſe latine dedidicerim. Errorum certe, quorum veniam iterum iterumque peto, expers libellus iſte non eſt; quorum pars aliqua chalcographo & typothetæ debebunt tribui; quibus, etſi certatim lectori mihique complacere ſtuduerint, omnem attamen lapſum declinare, me ipſo ope-

operas illorum quam diligentissime inspiciente & dirigente, non fuit possibile. *a)*

Quæ singillatim adhuc monenda supersunt, monere suo loco non neglexi; qui ad scribendum omnino inductus sum, non lucri qualiscunque spe incerta, sed patriæ amore, verique studio. Scrib. Pestini, in Bibliotheca Reg. Scient. Universitatis, die 3. Augusti, MDCCCII.

a) Pag. 20. pro *latiatue*, *latiatuc*; pro *adarnut* *Adamut* legi debet. — Pronunciatione præpostera factum est, ut pag. 179. & 198. *Fenennæ* Reginæ nomen, *Fennena* scriptum sit. — Pag. 220. novi Op. dipl. Tomi VIII. §. 189. pro §pho 139. rescribatur necesse est. — Etiam præstantissimi Operis perill. *de Martensii*, præter Supplementorum tomos duo, non V. (ut pag. 231. habet) verum VII. jam prostant volumina.

PROLE-

PROLEGOMENA.

DE DIPLOMATIBUS, ET ARTE DIPLOMATICA GENERATIM.

SECTIO I.

DE DIPLOMATIBUS UNIVERSE.

§. I.

Origo Diplomatum.

Quo longius in hiſtoria hominum populorumque, qui vel nunc per orbem terrarum florent vel olim floruerunt, regredimur, eo minorem atque minorem continuo reperimus *monumentorum ſcriptorum*, quorum largiſſimo proventu Europæ plerique populi iamiam laborare premique incipiunt *a*), copiam; donec illa tandem, inquirentibus in ultimam gentium originem & hiſtoriam, ſive ob artem ſcribendi univerſe nondum inventam, ſive ob eandem populo alicui nondum cognitam, diſpareant penitus *b*). Hoc illud erat tempus *mythicum*, plerisque omnibus populis aliquando commune *c*), quo magnarum rerum memoria, carmine & narratione *d*) ad poſteros propagabatur, dextraque data & accepta fortiſſimum erat jurium & obligationum vinculum. Interveniente ſubinde meliori hominum vitæque cultura, cognitisque literarum uſu & ſecretis, conſuetudini carmine & narratione rudi famam

ad

ad nepotes transmittendi, *annales ſcripti* ſucceſſere, *diplomataque* condi cœperunt ſolemnia.

a) In provinciis regis Pruſſiæ, præter clariſſimos librorum auctores & artium magiſtros, exercitus illorum, qui deſcribendo, e. c. in judiciis, ſtipendia annua (Flor. ſepties decies centenorum millium) merent, eſt 25000; ut proinde de ſingulis 280. incolis unus cenſeatur amanuenſis, ſeu, ſtylo ævi intermedii, *atramentarius*. Chartæ 12500 majoribus ſcapis (Rieſz) illis opus eſt, (BIESTER'S *Berliniſche Blätter* 1797. Nro. 13.) quales typographi Franco-galli nunc 2,800,000. (?) anno quolibet in bonos pravosque uſus prelo ſubdunt. (*Deutſche Reichs-Staatszeitung* 1798. Nro. VIII.)

b) Juvabit hic comparationem inter fœcunditatem Hungariæ doctæ præſentis, & ſterilitatem antiquæ, ſæculis XI. XII. XIII. poſt C. N. inſtituere.

c) Conf. Illuſtris CHR. G. HEYNE, *de fide hiſtorica ætatis mythicæ*; in *Commentationibus Societatis Regiæ Scientiarum Göttingenſis*. Vol. XIV. pag. 107. & ſeqq.

d) „ Si tam nobiliſſima gens Hungariæ, primordia „ ſuæ generationis & fortia quæque facta ſua *ex* „ *falſis fabulis ruſticorum*, vel *a garrulo cantu jo-* „ *culatorum*, quaſi *ſomniando* audiret, valde inde- „ corum & ſatis indecens eſſet. “ *Anonymus B. R. Notarius, in prologo.*

§. 2.

Definitio. *Diplomata* (ita illorum ambitum definiente illuſtri quondam viro CHRISTOPHORO GATTERER) ſunt formulæ ſcriptæ jurium & obligationum, vel rerum etiam in facto poſitarum, ſolemnibus verbis conceptæ, ſignisque ſolemnibus corroboratæ. Ex hac Diplomatis notione adæquata omnino & frugifera ſequentia profluunt axiomata:

1.) Tot possunt esse diplomatum formæ externæ, quot formularum scriptarum externæ cogitari possunt species.

2.) Non sola privilegii a principe exspectandi concessio, argumentum unicum constituit diplomatum.

3.) Neque diplomata universe a solis tantum proficiscuntur territoriorum principibus; cum

4.) Præter principes, alii quoque e. c. Capitula, & privati quoque cives e. c. condendo testamenta, *cet.* auctores esse possunt diplomatum.

5.) Sunt diplomata, quæ nudam rei alicujus gestæ historiam complectuntur, e. c. literæ statutoriæ in Hungaria.

6.) Formula scripta qualiscunque inter diplomata referenda non est, nisi eadem solemnibus verbis concepta, signisque solemnibus roborata sit.

§. 3.

In *Solemnibus*, id est certis, lege vel consuetudine probatis, verbis & ritibus observandis, quibus omissis, aut temere mutatis, nullus actus civilis valebat, Romani veteres inprimis copiosi non minus quam diligentes erant. Hujusmodi ritus fuere: auris in testationibus attrectatio, in dominii translatione æs & libra, in nuptiis aqua & ignis, in repudiis clavium ademtio. Formularum autem & verborum solemnium usus inter Quirites usque adeo longe lateque patuit, ut nulla vitæ pars, neque publicis neque privatis, neque forensibus neque domesticis in rebus, illis vaca- Solemnia.

 ret

ret *a*). Horum ſolemnium ſimilia illa ſunt, ſine quibus diploma ævi intermedii — ævum enim duntaxat intermedium in arte diplomatica reſpicimus — validum & legitimum eſſe nequit, iterum a lege vel conſuetudine populi, a quo diploma aliquod ad nos transmiſſum eſt, repetenda. Accenſebantur autem illis: formulæ bene precandi, honorum tituli, ſubſcriptiones nominum, cruces, chrismon, ſigillum, literarum vel imaginum in margine diplomatum facta diſſectio, inveſtituræ ſymbola, nodi appendiculis innexi, *cet.* *Hæc* tamen *nec in quolibet diplomate ſingula*, *neque omnino eadem in chartis omnium gentium quæſiveris.* Sufficit omni tempore & ubique illorum quædam viguiſſe, a quibus diplomata robur & auctoritatem ſuam accipere debebant, ita jubente vel expreſſa lege, vel antiqua conſuetudine.

a) Conf. BERN. BRISSONII *de Formulis*, & *ſolemnibus populi Romani verbis Libb. VIII.* Francof. 1592. Fol.

§. 4.

Diplomatum variæ ſpecies & nomina.

A conſuetudine veterum formandi diplomata in modum tabellarum duplicium, eadem nomen græcum trahunt, quod civitate romana donatum, ea poteſtate qua in arte quam tractamus adhibetur, apud auctores romanos rarius occurrit, ſubinde autem ævo intermedio prorſus exolevit, neque in contextu diplomatum ipſo uſpiam adhuc obſervatum eſt. Alternant ibidem *chartæ*, *paginæ*, *teſtamenti*, *inſtrumenti*, *literarum patentium*, *literarum privilegialium a*) cet. nomina; ſunt, quæ interdum pro ratione argumenti *notitiæ* appellantur, *præcepta*, *au-*

auctoritatis praecepta, *placita*, *donationes*, *series donationis*, *auctoritatis regiae testimonium*, *Sanctio pragmatica*, (WAGNER *Analecta Scep.* I. 263.) *decretum*, *intimatum*, *cet.* A sigillis *bullarum* cognomen exstitit; occurrit etiam *cyrographorum* diserta mentio, ut reliquas diplomatum species, harumque denominationes, quas omnium diligentissime PP. Benedictini, in opere diplomatico (*Neues Lehrgebäude der Diplomatik* Tom. I.) mox collaudando, enuclearunt distinxeruntque, taceam.

2) A Saec. XIV. regum Hungariae literis donationis communiter haec formula subjecta est: „ Harum „ nostrarum vigore & testimonio *literarum* median-„ te, quas in formam *privilegii* redigi faciemus, „ dum nobis in specie fuerint reportatae. " Quod inter *literas* (*patentes* communiter dictas) & *privilegium* regis discrimen intersit, infra e doctrina de sigillis apparebit.

*) Andreae I. Regis fundationales literae Abbatiae de Tyhon an 1055. *chartalis testamenti* nomen gerunt. Legi Mariae Reginae an. 1387. diploma, quod *carmen* nuncupatur. — Ferd. II. in diplomate confirmationis privilegiorum urbis Szakolczensis 1624. inter cetera ita: „ exhibuerunt nobis — Alberti „ Regis — literas (1439) *cum justi* nuncupatas " a primo videlicet literarum commate: „ cum *justi* „ pro injustis — non debeant quoquo modo im-„ pediri cet. conf. Decr. 1609. art. 75. §. 20.

§. 5.

Usus diplomatum sine dubio inventioni literarum aevo par est. Quae Moses suis libris intexuit diplomata, vetustiora sunt omnibus illis, quae vel auctorum antiquorum libris inserta, vel in tabulariorum carceribus inclusa supersunt. Neque Graecis instrumentorum fides usus- Diplomatum antiquitas.

usque fuit incognitus, utpote quorum tabulas solemnes Thucydides, Xenophon, Demosthenes & alii, interdum *ex asse* operibus suis intulerunt, sæpissime vero *summatim* tantum de *illarum* argumento commentati sunt *a*). Inter Romanos tandem, quamvis Deorum templa fœderum ac legum tabulis custodiendis patuisse constat: ætas tamen, quæ vocatur media, diplomatum numero & varietate romanam priscam longissime superare debuit; aucto inter barbaros, Imperii romani victores, in immensum schedarum inprimis privatarum numero, cum ob legum in casibus obviis defectum, tum ob Christianorum in suos sacerdotes copiosam liberalitatem literarum testimonio comprehensam, monachorumque scribendi & conservandi codicillos istos industriam *b*). Romani cives in literis rarius contraxisse videntur, quod ritibus potius solemnibus, quod aliis spondebant, sibi vicissim ab iisdem stipulati sunt.

a) De re diplomatica Ebræorum, Græcorum & priscorum Romanorum universe quædam nec indocte præcepit illustris quondam SCIPIO MAFFEI in *Istoria Diplomatica, che serve d' introduzione all' arte critica in tal materia.* In Mantova, 1727. 4. Specimen vero diplomatarii antiquitatis græcæ romanæque adornare conatus est BARBEYRAC in opere: *Histoire des anciens Traités repandus dans les auteurs Grecs & Latins & autres monumens de l' antiquité, depuis les tems les plus reculez, jusques à l' Empereur Charle magne,* P. I. II. Amsterdam 1739. Fol. Exstat illud inter supplementa notissimi operis: *Corps universel diplomatique du Droit des Gens*, par I. DUMONT.

b) Conf. I. PETRI LUDEWIGII *Reliquiæ manuscriptorum omnis ævi diplomatum cet.* Francof. & Lipf. 1720. 8. in præfat. p. 7. *seqq.*

§. 6.

§. 6.

In papyro ægyptiaca vel membrana scriptum diploma nullum adhuc produci potuit, quod sæculo post C. N. quinto esset antiquius. *a*) Italia reliquiarum hujusmodi, (quarum attamen nullæ, vel ob materiæ, in qua consignatæ sunt, fragilitatem, charta utpote Nilotica, vetustatis tabidæ insidias plane evaserunt,) mater & conservatrix est; cum in Galliis nullæ sint inventæ literæ, a prima manu profectæ, quæ sæculum VI. ætate antecederent *b*). In regni Daniæ Tabulariis antiquissimum protographon (latinum, SCHÖNEMANN. *System der Diplomatik* I. 286.) est anni 1140. *c*) quo non minus, quam omnibus reliquis Hungariæ chartis, vetustius diploma illud est, quod S. Stephanus Rex Abbatiæ S. Martini Benedictinorum in monte Pannoniæ concessisse creditur, & quod ab injuriis temporis & fortunæ intactum, in Tabulario Excelsæ Cameræ, quod Budæ est, inclusum vitro conservabatur hactenus. Temporis edacitas *d*), hominumque mox socordia *e*), mox invidorum malitia, iniquorumque possessorum alieni patrimonii justus metus, Martis deinde Vulcanique furores *f*), ut taceam impiam illorum barbariem, qui annosa hujusmodi antiquitatis monumenta, quisquiliarum loco habentes, ad piper condendum, librosque involvendos sæpe adhibuerunt, rei diplomaticæ in Hungaria quoque adeo fuerunt perniciosa, ut e sæculis XI. & XII. paucissimas habeamus chartas (WERBÖCZII Tripart. P. II. Tit. 14. §. 9.) nobis a prima manu reliquas. Crescit apud nos quoque illarum numerus, quo propius

Causæ interitus multorum diplomatum.

pius ad ætatem noſtram accedimus. Sigismundo rege, nullus Hungariæ regum, ad Ferdinandum I. in edendis diplomatibus & privilegiis fuit copioſior *g*).

a) Vetuſtiſſimum omnium, quæ quidem in manus Mabillonii venerant, authenticum inſtrumentum confectum eſt Conſulatu Theodoſii junioris & Albini, id eſt anno 444. in gratiam Siſinnii, cui res a Tranquillo extortæ fuerant, ſed per Pyrrhum tribunum juſſu Imperatoris (commonitorium) reſtitutæ. MABILLON. *Iter Italicum* Paris 1687. 4. p. 24. conf. MAFFEI l. c. p. 52. & 130. *ſeqq.*

b) *Neues Lehrgebäude der Diplomatik Bd. I.* §. 120. 563. E naufragio attamen, quod per inundationem Imperii romani per barbaros inde a ſæc. V. res literaria & etiam codicillaris paſſa eſt, plura omnino fragmina ſervata, atque ad nos dimiſſa fuiſſent „ ſe „ tutto cio che ſpettava a Gentileſimo, & della „ falſa religione facea memoria, non foſſe ſtato „ da Criſtiani o come inutile gittato, o come „ damnoſo diſtrutto " MAFFEI l. c. p. 53. Diplomatum venerandis iſtis reliquiis, vix ullus codicum, qui ex ultima antiquitate adhuc ſuperſunt, eſt antiquior, (N. L. d. Dipl. II. §. 136, & *ſeqq.*) niſi volumina papyracea illa in cenſum vocemus, quæ e ruderibus Herculani & Pompejorum eruta, parteque aliqua jam etiam evoluta ſunt. (*Allg. Lit. Zeitung.* 1796. Nro. 43.) Conſumſit ergo tempus edax rerum, Prophetarum & Apoſtolorum non minus, quam Græcorum Romanorumque aureæ ætatis autographa. Inter Codices ſaltem hebræos, qui noſtra memoria curis KENNICOTTI, & ſociorum opera, per omnem Europam exquiſiti ſunt, inventus nullus eſt, qui ſæculo poſt C. N. decimo eſſet antiquior. I. D. MICHAELIS *Orient. und Exeg. Bibliothek.* Th. XVIII. S. 100.

c) SUHM'S *Geſchichte von Dänemark* Bd. V. Kopenhagen 1792. Vergl. *Götting. Anzeigen* 1793. St. 169.

d) Conſ. I. G. HEYNE de interitu operum, cum antiquæ tum ſerioris artis, quæ Conſtantinopoli fuiſſe memorantur, ejusque cauſſis, commentatio II. in *Commentationibus Soc. Reg. Scient. Götting.* Vol. XII.

e) Sigis-

e) Sigismundus diplomate 1399. urbis Kesmarcensis literas immunitatis, a Bela IV. & Stephano V. regibus concessas, confirmavit: „ quamvis eædem, „ propter *malam & negligentem earum conservationem*, „ in sigillo & serie diruptæ ac corrosæ habeantur: „ tamen easdem diligenti examinatione præhabita, „ veras " &c. — Anno 1737. Comiti Leop. Nádasdi a rege in commissis datum erat, ut inspiceret Tabularium apud Præmonstratenses Jászoviense, ubi stillicidium & notarium certatim literas regnicolarum corrumpere ferebatur.

f) Archivum Kesmarcensium Hussitæ 1433. diripuerunt, Leutsovientium vero fatale incendium 1550. delevit penitus.

g) Elisabetha vidua Alberti R. H. an. 1440. Transsilvanos ad fidem filio Ladislao conservandam argumento hocce stimulavit: „ cum vix aut minime „ aliqua domus cujuscunque reputationis in dicto „ regno Hung. reperiri posset, quæ non senserit „ ejusdem genitoris nostri (Sigismundi) largissimam beneficentiam, & amplissimam gratiosissimamque remunerationem. "

§. 7.

Repositoria diplomatum ætate intermedia, ad sæc. fere XIII. ubique fere sola fuerunt monasteria & templa Deo & sanctis tutelaribus sacra q). Quæ, cum asyla essent superiorum temporum, mœnibus non minus quam dirarum & exsecrationum minis, adversus quamcunque vim & impressionem fortissime munita, commodissimum quoque ac maxime securum thesauris illis literariis hospitium præbere potuisse manifestum est. Accedebat magna, quam omnis ætas christiana de integritate fidei Sacerdotum, & puritate conscientiæ illorum habuit, opinio, quæ quidem tanta erat, ut & testes in propria causa agere, nec ad jusjurandum emittendum obligarentur monachi; profanorum deinde le- *Tabularia ætatis intermediæ.*

gendi

gendi & ſcribendi ignorantia, quæ effecit, ut privati ſuperioris ævi homines non facile alibi, quam coram ſacerdotibus contraherent. Hungaria, ab antiquiſſimis, quorum annales meminerunt, temporibus, complura ſacra ejusmodi loca, olim ſacris interdum virginibus habitata, *b*) quæ *credibilia* appellamus, cenſuit, quæ adhuc usque nobilium vicinorum *c*) chartas cuſtodiunt, inſtructa ſigillo authentico, cujus jus perpetuo habuerunt, ex uſu & lege regni publica. Latet vero in Europæ & Hungariæ quoque tabulariis publicis privatisque infinitus adhuc diplomatum ineditorum numerus, quæ ex tenebris & pulvere, tinearumque ac blattarum ſocietate in lucem protracta, jus ævi priſci egregie ſine dubio illuſtrabunt, hiſtoriamque plurium civitatum Europæ, novam exſpectare jubent faciem.

a) Archivum in regno Galliæ publicum ante ſæc. XIII. nullum erat, imperiale ſub Maximiliano I. primum exſtitit. Sub Sigismundo, (Vid. Regeſtrum de Thurocz anni 1391. in fine) Matthia Corvino, & Wladislao II. in *ædibus tavernicalibus* (Camera regia) diplomata publica privataque, annales adeo regni fuiſſe reconditos, diplomatum fide certum eſt. De *libris regiis* Exc. Cancellariæ Hung. qui ſub Ferdinando I. ſcribi cœperunt, nihil attinet hic loci dicere. — Archivum Exc. Cameræ regiæ aulicæ, diplomatum ævi intermedii longe ditiſſimum, quod itidem ſub Ferdinando I. dirutis per Turcas ædibus Tavernicalibus, reſtauratum eſt, inter regis peculia cenſetur, diverſumque eſt ab archivo regni ſeu regnicolarum, quod ſub regimine Caroli VI. Imp. & Regis denuo colligi cœpit.

b) Rex Wladislaus II. anno 1511. *Conventui ſacrarum Virginum* Ordinis Præmonſtr. in oppido Váſárhely uſum ſigilli authentici conceſſit „ quo poſſint literas „ faſſionales, procuratorias — communire " Privi-

legium

legium iſtud proſtat in Bibliotheca R. Univerſitatis Peſtanæ inter MSS. P. KAPRINAI Tom. III. B. Nro. 32.

c) *Faſſiones* enim — ut diplomata loquuntur — in locis credibilibus remotioribus peractæ, erant invalidæ, quod, ſi hic locus eſſet, exemplis pluribus docere poſſem.

§. 8.

Diplomatum alia primam manum referunt, ſignis ſolemnibus inſtructa, (*autographa*, *protographa*, *originalia*) alia ſecundis curis ex his deſcripta ſunt, (*apographa*, *copiæ*, *exempla*, *antigrapha* ſcilicet δικαιωματα, ισοτυποι cet.) idque vel publica auctoritate, vel fide tantum privata. Illa *copiæ vidimatæ*, *vidimus*, *inſpeximus*, *copiæ authenticæ*, *tranſumta* appellantur: hæc *copiæ* duntaxat *vagæ* ſunt atque *ſimplices*, *par*, *paria* dictæ. Ad Tranſumta pertinent diplomata, quæ a ſæculo potiſſimum XII. — nam mos iſte jam etiam Romanis Imperatoribus priſcis, a Tiberio inde frequentatus erat *a*) — ſecundis regum vel ſucceſſorum literis vel ſummatim nonniſi, (*ſenſualiter* hoc fieri dicebant veteres) vel integra & verbatim inſeruntur *b*), more, ad fraudes olim committendas & occultandas, inprimis idoneo *c*). Scilicet priusquam legibus, inprimis ſcriptis, mutua principum ad ſuos ipſorum ſubditos ratio, in pluribus Europæ regnis fuiſſet undequaque diligenter definita, id egerunt, qui prius jam privilegiis & donationibus gaviſi erant, ut regis mortui ſucceſſor, privilegia ſibi ab anteceſſoribus collata renovaret confirmaretque; ne in dubium vocari poſſet vel novi principis ad obſervanda promiſſa deceſſorum obligatio, vel vetuſtiorum lite-

Diplomata autographa, apographa.

literarum ſincera veritas. Contigit autem ſuperiori ævo, in Anglia & alibi etiam, ſæpenumero, ut Principes, quo Fiſcum novis reditibus ditarent *d*), ſubditis ſuis neceſſitatem impetrandi privilegiorum confirmationem impoſuerint. Docte, ut ſolebat, differuit peculiari commentatione, *de Diplomatibus confirmationis*, & horum variis formis ac generibus, Chriſtoph. GATTERER *in novis Commentariis Soc. R. Scient. Goetting.* Tom. VII. an. 1777.

a) „ Natura benevolentiſſimus (Titus), cum ex inſtituto Tiberii omnes dehinc Cæſares, beneficia „ a ſuperioribus conceſſa principibus, aliter rata „ non haberent, quam ſi eadem iisdem & ipſi „ dediſſent, primus præterita omnia uno confirmavit edicto, nec a ſe peti paſſus eſt. " SUET. *in Tito* c. 8.

b) Matthias Corvinus anno 1464. viginti circiter diplomata, urbem Poſonienſem attinentia, quorum vetuſtiſſimum ab Andrea. III. 1291. 4. Nonas Dec. conceſſum erat, rogatus a civibus excerpſit, excerpta confirmavit „ decernentes — ut ubicunque „ præſens privilegium aureæ bullæ munimine con„ſignatum in judiciis vel extra — exhibitum fue„ rit, nunquam ad exhibenda originalia — com„ pelli inviti & cogi valeant. " Iidem cives rogarunt Wladislaum II. ut literas eorum privilegiales — quarum complures produxerant — „ ratas „ gratas & acceptas habere; ac quatvor ex eis, „ unas videlicet Domini Matthiæ regis, tres vero „ quondam Ludovici regis præſentibus literis & „ privilegiis noſtris *verbaliter* inſeri & inſcribi „ facere, ex aliis autem — articulos & conti„ nentias excerpere, excerptosque ſub compendio „ literis noſtris privilegialibus inſeri & inſcribi „ facere, easdemque — — innovantes — noſtro „ dignaremur privilegio confirmare. " Annuit hiſce Poſonienſium precibus indulgentiſſimus rex an. 1498.

c) Confirmabant ſæpenumero Principes literas, quæ in ſe complectebantur res ridiculas & prorſus

ſus incredibiles, decepti cum ſuis Cancellariis ſimplicitate & credulitate ſui ſæculi. Ita poſt Henricum IV. & Rudolphum I. Fridericus III. Imperator privilegia Julii Cæſaris & Neronis, quibus Auſtriam aliquando ornaviſſe credebantur, anno 1453. confirmavit, quamquam (ut Petrarcha, de illis ſententiam dicere juſſus, in epiſtola ſua ad Carolum IV. Imp. ſcribit,) totidem mendacia, quot verba habeant. Vide P. LAMBECII *Commentar. de Bibliotheca Cæſ. Vindob.* curis ADAMI KOLLÁR Lib. II. p. 884. & *ſeqq.* Diploma confirmationis ipſum habet LÜNIG. *Teutſches Reichsarchiv.* Part. Special. Continuat. I. Abth. IV. Abſ. IV. pag. 33. Commenta hujusmodi diplomatica in Hungaria non minori numero, quam alibi, ſunt obvia.

d) *Neues Lehrgebäude der Diplomatik Bd. I.* §. 196. — Fuere ætate media Principes, qui ære, quod e literarum confirmatione redibat dotalitium uxoribus ſuis conſtituebant, atque ob immodica id genus vectigalia, a ſummis pontificibus metu infamiæ coërciti ſunt. — Vid. Op. cit. Tom. VI. §. 369.

§. 9.

Ejusdem diplomatis plura interdum autographa exarabantur, quod e. c. in pacis fœderibus, & contractibus privatorum deſcribendis, hodieque fieri latet neminem. Plura hujusmodi ſpecimina autographa chartæ *paricla* ſeu *paricula* veteribus dicebantur *a*), confectæ majoris ſecuritatis cauſa, quotiescunque plurium eandem chartam retinere intererat. Hinc ſine dubio celeberrimum illud Andreæ II. Regis Hungariæ Decretum, ſepties deſcriptum, atque toties aurea bulla roboratum eſt *b*). Plura bullæ aureæ Caroli IV. Imp. anni 1356. exempla protographa etiamnum ſuperſunt. Quod vero de Chartæ libertatis Henrici II. Regis Angliæ pluribus exemplis, & horum celeri interitu legitur, ſingulare propemodum eſt, Chartæ paricla.

atten-

attentione in re diplomatica plus justo credulorum non indignum: HUME *Geschichte von England.* T. I. p. 208.

a) *Literæ* Nobilium Hung. sic dictæ *fassionales*, chartis pariclis accenseri debent, utpote quarum exemplum authenticum unum (*paria*) in *Sacristia* seu conservatorio ecclesiarum capitularium & conventualium *more solito* reponebatur olim, & nunc etiam reponitur, alterum autem paciscentibus redditur. Illinc ad sic dictas *requisitorias* regis vel judicum regni majorum seu ordinariorum, quoties necesse est, e. c. si incendio (ignis voragine) chartæ privatorum consumtæ sint, transumta exhibentur, cavendo, prout id formula in requisitoriis a sæc. XIV. fere monet: „ *ne fraus, vel dolus in hac parte* „ *eveniat aliqualis.* " In apographo 1192. hanc legi clausulam: „ hujus igitur causæ definitio facta est „ Veszpremii & literarum apicibus corroborata, „ *& paginæ præsentis dimidietas* (cirographum) „ commendata est in *Comoram* (cameram) Veszpr. „ Ecclesiæ. "

b) „ Et ut hæc nostra tam concessio, (verba sunt „ Decreti 1222. art. 31.) quam ordinatio sit no„ stris nostrorumque successorum temporibus in per„ petuum valitura, eam conscribi fecimus in *septem* „ *paria literarum*, & aureo nostro sigillo roborari. „ Ita quod unum par mittatur Domino Papæ, & „ ipse in regesto suo scribi faciat; secundum pe„ nes hospitale, tertium penes templum, quartum „ apud Regem, quintum in capitulo Strigoniensi, „ sextum in Colocensi, septimum apud Palatinum, „ qui pro tempore fuerit, reservetur. "

§. 10.

Cirographa. Speciem chartarum pariclarum *Cirographa* (Kirographa, Cyrographa) constituunt, quæ sunt protographa in eadem membrana vel papyro bis pluriesve descripta, forficibusque ita a se invicem dissecta, ut sectione facta per medias

medias alphabeti literas, verba, vel imagines, (e. e. crucifixum *a*) quæ inter bina exempla deſcriptæ erant, ex harum reliquiis in ſpecimine uno appareat, quantum in altero reſtare debeat. Cirographa ad lineam rectam facta, chartæ *partitæ* audiunt, quibus *dentatæ* opponuntur, quarum ſectionis forma ex ipſo nomine intelligitur. Si chartæ ita diſſectæ, collatione invicem facta, apte componi poterant, idem robur habebant, quod aliis a ſigillo accedebat. Non mirabimur ergo cirographa ſigillis deſtituta, qualia ante ſæc. XII. potiſſimum inter Anglo Saxones in uſu erant, immo ad hoc usque tempus, ad fidem privatorum pactis faciendam, ab Anglis Americæque borealis civibus paſſim retinentur *b*); neque amplius ſigilla ad omnium omnino diplomatum ſolemnitatem poſtulabimus. In Hungaria illorum uſus neque incognitus, neque infrequens aliquando fuit, quod ex pluribus Capitulorum ſæc. XIV. & XV. inſtrumentis, quibus pacta & conventiones privatorum continentur, & quorum ipſe plura in autographo vidi, colligo. Sigillis omnia munita ſunt. Formula cirographica fere talis eſt: „ in cujus rei teſtimonium perpetuamque „ firmitatem præſentes contulimus, ſigilli noſtri „ authentici & pendentis munimine roboratas, „ ac *alphabeto interciſas* " vel „ *per modum alpha-* „ *beti interciſas.* " Ab hac formula non multum diſcrepat illa, qua Belæ III. privilegium abſolvitur: „ Anno ab incarnatione M. C. octogeſi- „ mo primo *hoc cyrographum factum* eſt a P. „ Ultraſilvano Epiſcopo. " SPIESZ *archiviſche Nebenarbeiten* P. I. p. 141. In ſcidis ærarii regii (Schedis bancalibus) ſignandis, eandem

Tab. III. Nro. I.

ratio-

rationem retineri, noſtratium quisque meminit.

a) *Neues Lehrgebäude der Diplomatik.* Tab. I.
b) SCHLÖZER'S *Staatsanzeigen.* Bd. XVI. S. 117. 18.

§. II.

Forma diplomatum varia.

Quoad formam, alia diplomata *tabularum*, ſeu *literarum patentium*, interdum vix picto quo luditur folio majorum; alia, præcipue forenſia, *voluminum a*) (rotulorum), ad plurium pedum longitudinem ſæpe protenſorum; alia, inprimis recentioris ævi, *codicillorum* habent ſpeciem. Quam plurima ætatis mediæ inſtrumenta literæ patentes ſunt. Codicillorum formam habent Decreta Regum Hungariæ, quæ inde a ſæc. XIV. Comitiis Regni recedentibus, ſigillo, & ſerius ſubſcriptione etiam Regis communita, Regni Ordinibus ad ſua quibusque loca, ſaltem ad an. usque 1765. miſſa ſunt. Eadem forma diplomatum eſt, quibus plurium privilegiorum (e. c. Archiepiſcopatus Strigonienſis 1465. urbis Poſonienſis 1464. & 1498. Saxonum Tranſilv. 1493. & 1552.) ineſt confirmatio. *Chartularia b*), *Diplomataria*, *Pantochartæ* (Panchartæ), in Germania circa finem ſæc. XIII. alibi vero jam a X. inde ſæc. ſcribi cœperunt. Communiter eadem *per modum libelli* confecta ſunt, ſolentque ad modum exemplorum, in *authentica* & *vaga*, ſeu *incerta*, dividi.

a) Prolixius diploma Mabillonius nullum vidit Benedicti III. diplomate, quod in papyro ægyptiaca ſcriptum (membranea enim nulla vidit inſolitæ magnitudinis) latitudine duorum pedum erat, altitudo vero porrigebatur ad pedes unum & viginti. MABIL-

MABILLON. l. c. p. 40. 436. — In Bibliotheca Universitatis Regiæ Hungaricæ conservatur Capituli Strigoniensis an. 1575. instrumentum, in charta vulgari nostra descriptum, 18. philyris conglutinatis constans, altum pedes 15½. Excrescebant autem, cum volumina tum diplomata etiam veterum in charta conscripta facile in tantam molem, quod ut plurimum non fuerint οπιςογραφα.

b) Matthias Corv. 1486. rogatus ab Osvaldo Episcopo, duo Ecclesiæ Zagrabiensis confirmavit instrumentorum literalium volumina (chartularia) apographa, quorum unum alterius, ob vetustatem jam attriti, exemplum fuerat. HEVENESSI MSS. Tom. E. p. 125. In Hungaria libri hujusmodi, quos Germani *copiales* nuncupant, vix sæculo XIV. antiquiores sunt.

§. 12.

Ratione argumenti, alia diplomata sunt *ecclesiastica*, alia *civilia*. *Publicis privata* opponuntur, *actis documenta*. Si diploma publicum civitates plures attineat, *Tractatus*; si unam duntaxat respiciat, *Constitutio* appellabitur. *Actis* res in facto positæ continentur, *Documentis* vero inest jurium & obligationum declaratio. Argumentum multiplex.

§. 13.

Prosunt diplomata I.) Historiæ & plenius & curatius cognoscendæ. Enimvero præter bella & prodigia, & beneficia viris locisque sacris collata, omnia fere alia, quæ historiam & jucundam & utilem reddunt, in scriptoribus ætatis plumbeæ (mediæ) desideras. E diplomatibus contra cognoscuntur, & quidem ea qua fieri potest cum certitudine, non solum bellorum eventus, plerumque funesti, verum etiam, quæ reipublicæ facies fuerit formaque Usus Diplomatum I.) in Historia.

 pacis

pacis tempore, quæ civium ſtudia, quæ iſti pietatis, fortitudinis bellicæ, fidei, induſtriæ, aliarumque virtutum exſtare apud poſteros voluerint documenta; quæ ſint ætates rerum, qui locorum ſitus antiqui, qui limites provinciarum; quæ fuerint incunabula, quive nexus illuſtrium familiarum, quæ ſigna gentilitia. Quidquid denique ad opinionem ævi veteris, atque ad ritus & inſtituta majorum publica privataque cognoſcenda & intelligenda pertinet, diplomata abunde ſuggerunt. Suggerunt vero hæc talia, non niſi cum judicio & guſtu bene præparato, id quod rectum eſt a curvo diſcernentibus, atque quantum æra lupinis diſtent, probe intelligentibus. Id genus documentis, tamquam armis ad illud usque tempus ignotis, ſaltim rariuſcule adhibitis, in conflictu cum auctoribus centuriarum Magdeburgenſium, in primis uſus eſt eminentiſſimus aliquando CÆSAR BARONIUS, & illi, quos continuatores annalium ſuorum nactus eſt, fuitque hiſtoria eccleſiæ omnino norma & exemplum, ad quod ſubinde hiſtoria civilis componi ſcribique cœpta eſt. In Hungaria, poſt MATTHIAM BELIUM, GEORGIUS PRAY, STEPHANUS KATONA, DANIEL CORNIDES, & JOS. CAR. EDER ita aſſerta hiſtorica diplomatum auctoritate corroborare docuerunt, corroboraruntque ipſi, ut Hungaros de rebus ſuis anteactis ſine diplomatum teſtimonio loqui ſcribereque jamjam pudeat.

§. 14.

§. 14.

Non minus præsidii e diplomatibus accedit Juri Civitatum cum publico tum privato, civili & ecclesiastico, ut quo plus in diplomatum studio cujuslibet civitatis aliquis profecit, eo accuratius juris utriusque capita intelligere, feliciusque adplicare debeat. Quid mirum ergo Germanorum animis tantum insidere artis diplomaticæ amorem, cum usus seu observantia, ex diplomatibus haurienda, e primis sit juris publici illorum cognoscendi fontibus? Et jus publicum privatumque Hungariæ, inprimis ævi veteris, unde purius pleniusque quam e diplomatibus publicis privatisque ejusdem ævi deduxeris? Unde, nisi e tabularum hujusmodi serie continua, jus Patronatus quod vocant Regum Apostolicorum, erues? Quibus argumentis tandem titulos juraque a majoribus in te derivata demonstrare conaberis, nisi literæ tibi adsint, testes jurium locupletissimi; quibus te prædia pagosque tuos optimo jure sive possidere, sive ab aliis repetere doceas? Diplomatum ergo studium juris patrii candidati inprimis sibi habere debent quam commendatissimum. Sed nec ille, qui ingenii humani, morumque humanorum fata vicissitudinesque scrutatur, a lectione id genus documentorum vacuus recedet; „ jucundum enim est ad solemnia admitti, ritus „ observare, mutationes rerum, formularum, „ morum, jurium ab aliquot sæculis agnoscere, „ & in ipsa veterum simplicitate & soloecismis, „ humani ingenii & linguarum vicissitudines „ mirari " LEIBNITIUS *in præf. ad Cod. juris Gentium*.

II.) In Jurisprudentia ecclesiastica, & civili.

 *) Lite-

*) Literarum græcarum & latinarum ſtudioſus interpres, qui e codicibus ævi intermedii, textum auctorum claſſicorum, ignorantia & negligentia ſcribarum ſæpe miſerrime depravatum, reſtituere conatur, (cum auctorum illorum autographa nulla superſint, interpretatio vero omnis recta, integritate textus nitatur) inſpectis diplomatibus protographis, iisdemque cum codicibus diligenter collatis, de auctoritate, ſaltem de antiquitate codicum multo rectius judicabit illo, qui ſpreto hoc adminiculo, in ætate MSS. definienda laborat. Diplomata perpauca ſcripta ſunt ſine die & conſule, codices plerique omnes ſine omni temporis nota *expliciunt*.

§. 15.

Uſus diplomatum porro oſtenditur.

Uſum ac dotem multiplicem diplomatum illi certe perſpexiſſe, hodieque perſpicere videntur, qui

1.) Diplomata, ſive ſingillatim, ſive in unum collecta plura, pluribusque ac magnis in voluminibus, incredibili ſæpe ſtudio & labore, modisque interdum etiam parum probatis & illicitis e ſqualore tenebrarum in lucem publicam protraxerunt. Longum eſſet hic loci omnia recenſere opera, quibus celeberrima ſua nomina præmiſerunt: *Zach. Moſſoczius*, *Goldaſtus*, *Cæſ. Baronius*, *Rainaldus*, *Londorpius*, *Beſoldus*, *editores Actorum Sanctorum* (Bollandiſtæ), *Ughellius*, *Jo. Lucius*, *Chiffletus*, *Dachery*, *Guichenon*, *Baluzius*, *Mabillonius*, *Schatenius*, *Leibnitius*, *Edm. Martene*, *Thom. Rymer*, *Leuckfeld*. *Lambecius*, *Lünigius*, *Durandus*, *Muratorius*, *Ludewig*, *Pez*, *Aub. Miræus*, *Schannat*, *Du Mont*, *editores Bullarii magni*, *Eckhart*, *Sommersberg*, *Waddingus*, *Scipio Maffeius*, *Falkenſtein*, *Gattula*, *H. C. de Senkenberg*, *Hergott*, *Anderſon*, *Gudenus*, *Dreger*, *Manſi*,

ab

ab Hontheim, *Schoepflin*, *Falk*, *Menard*, *Fr. van Mieris*, *Dogiel*, *Car. Wagner*, *Collectores Monumentorum Boicorum*, *Dähnert*, *ab Erath*, *Gerken*, *Gerbert*, *Pray*, *Würdwein*, *Spiess*, *Bondam*, *Ignatius Battyani*, *Katona*, *Kovachich*, *&c.* *a*) Ut insignes diplomatum, magna parte anecdotorum adhuc, collectiones domesticas P. Gabr. quondam *Hevenessi*, *P. Kaprinai*, Exc. Com. Franc. *Széchéni*, Com. Ladislai *Teleki*, L. B. Alexandri *Pronai*, L. B. Joannis *Jeszenak*, Nicolai *Jankovits*, Godofrédi *Kéler &c.* taceam.

2.) Qui schedas hujusmodi veluti Sibyllæ folia custodiunt absconduntque, atque, ne in lucem publicam & conspectum aliorum veniant, omnimode impediunt *b*).

3.) Qui denique falsa diplomata procudere, aliisque foetus spurios pro legitimis, neglecto honoris, fortunarum, vitæque ipsius periculo, obtrudere veriti non sunt. Sæcula, quæ ævum intermedium suo orbe complectitur, præcipue XI. & quæ hoc continuo excipiunt, hujusmodi mercium commentitiarum inprimis erant feracia, quamvis nullum sæculum, ne quidem novissimum *c*), a libris & schedis apocryphis, & Isidoris peccatoribus immune atque exemtum fuerit; adeo quidem, ut per Europam vix aliquod exstet Tabularium publicum, ab imposturis diplomaticis prorsus vacuum. — Abbatiæ, S. Dionysii in Gallia, & quæ sita est in Monte Cassinensi in Italia, in primis hujusmodi spuriorum liberorum matres olim fuisse a multis perhibentur. Quid? Quod, testante Mabillonio ipso monacho, monachi & horum superiores illorum temporum, nec a confingendis & adulterandis Bullis summorum Pontificum manus

 sacri-

ſacrilegas abſtinuerint. Hinc factum eſt: ut INNOCENTIUS III. P. M. novem modos enarraret, quibus homines nequam & perfidi diplomata Pontificum vel confingebant, vel adulterabant, legesque traderet aliquas, (Lib. V. Decr. Tit. 20. cap. 5.) quarum ope bullæ genuinæ a falſis, integræ a corruptis diſcerni debeant. Nimirum ut a PAPEBROCHIO ſacerdote S. I. (ſiquidem hic loci ejus teſtimonio uti licet) obſervatum eſt „ undecimo chriſtianæ æræ „ ſæculo & ſequentibus, dum Eccleſiæ Romanæ pacem tot undique ſchismata ſectionesque „ turbarent, ea erat morum corruptela, ut qui „ Dei famulatum erant profeſſi, & videbant a „ poteſtatibus ſæcularibus *d*) accidi immunitates & poſſeſſiones ſuas, non magno crimini „ ſibi ducerent, pro ipſis tuendis commenta „ cudere " *e*). Ceterum, niſi iniqui in monachos, literarum & librorum ævo illo obſcuro conſervatores, eſſe velimus, fateamur oportet, non ſolum monachos nefarii iſtius criminis fuiſſe reos, quo ſe polluebant omnis ſtatus, conditionis, ſexusque adeo utriusque nequam homines.

a) Conf. GATTERER. *Praktiſche Diplomatik. Göttingen* 1799. 8. pag. 199. & *ſeqq.*

b) Quo invidia, & devorandi ac concoquendi alieni patrimonii ſacra fames mortalia cogere poſſit pectora, quantumque fidem & teſtimonia diplomatum horreant, illius enimvero exemplum inveni extraordinarium ac prorſus ſingulare in literis Capituli eccleſiæ Bacſienſis anni 1410. ad Sigismundum Regem querulis, in quibus Ladislaus de K. accuſatus eſt, quod feria ſecunda proxima poſt Feſtum S. Trinitatis, excuſſo de manibus Canonici ſcribentis diplomate, juribus ut credebatur ſuis adverſo, idem

idem dentibus dilaniasset, sigillumque ita corrosum cum scripturæ parte aliqua devoravisset etiam.

c) F. HAGER *Nachricht von einer merkwürdigen literarischen Betrügerey auf einer Reise nach Sicilien im Jahre* 1794. *Wien* 1799. 4. 88. *S.*

d) Addere debuisset: *vel ab alterius ordinis sacri viris;* id enim passim evenisse, vel domestico exemplo doceri potest. Vid. KOVACHICH *Supplem. ad Vestigia Comit. apud Hung.* Tom. II. p. 381. & *seqq.*

e) Vid. *Propylæum* ejus *antiquarium*, in BARINGII *clave diplomatica* p. 301.

§. 16.

Cudebantur etiam in Hungaria literæ & privilegia commentitia, non minori, quam aliis in regnis numero. Ecquis enim adeo credulus, ut omnia & singula S. Stephani Regis diplomata, quæ circumferuntur, ab omni prorsus suspicione corruptionis esse libera sibi persvadeat? Vel qui privilegio Colomanni Regis, in quo Martino Lapsanovich Comitatum Cettinæ donavit, & quod se scriptum esse ait Jadræ, per Cancellarium Dalmatiæ Petrum Beriszlevich, anno incarn. Salvatoris nostri 1105. fidem adhibeat *a*)? Equidem dignus est, qui pueris deridendus proponatur, qui diploma Visa Duci a S. Ladislao datum Budæ anno Sal. 1092. Nono Cal. Jun. in campo electorio Rákos, stupide confinxit, in eodemque ceram, quam hispanicam appellamus, insigniaque gentilitia commemorare non erubuit *b*). Nec illæ literæ Ludovici I. Regis, editæ Budæ in regia Budensi Hungariæ die I. Nov. an. Domini 1344. melioris frugis sunt, quarum auctoritate idem rex Valentini *Nagy* nomen in *Balintitt* commutasse, „(siquidem jam communis sortis homines „etiam

Falsarii dipl. in Hungaria.

„ etiam adeo vulgariter cœperint ſe hoc no-
„ mine *Nagy* compellari facere, ut &c. “)
eundemque Baronatu, novisque inſigniis au-
xiſſe perhibetur, quamvis easdem ſubinde in
Tranſſilvania auctoritate publica confirmatas eſ-
ſe non ignorem *c*). Sunt imposturæ hæ diplo-
maticæ adeo craſſæ, ut illas vel tironibus artis
indicaſſe ſufficiat: ſunt aliæ bene multæ ita
callide ſtructæ adornatæque, ut omnibus Di-
plomaticæ ſubſidiis ad illas detegendas & con-
vellendas opus habeas. — Procudebantur vero
inſtrumenta falſa intra monaſteriorum & Capi-
tulorum muros, & extra. In epiſtolis INNO-
CENTII III. (Lib. I. Ep. 544. ed. BALUZII)
Abbas de Földvár convictus de confictione
privilegii duplicis occurrit. Matthias Corvinus
porro 1464. Epiſcopum Nitrienſem Thomam
de Debrenthe, caſtro homonymo & pluribus pa-
gis ad idem pertinentibus exuit, parique pœ-
na Nobiles quosdam de Hym Remethe & de
Papa affecit, quod ſe abſente, in regno ſpolia
exercuiſſent „ nec non ſigillis, a quibusdam li-
„ teris regalibus fraudulenter diſtractis, & eis-
„ dem, aliis literis per eosdem — doloſe fa-
„ bricatis, impreſſis, cum iisdem in nonnullis
„ cauſarum ſuarum proceſſibus, nomine litera-
„ rum regalium uſi exſtitiſſent “ *d*). Sub eo-
dem Matthia rege 1486. conventus Fratrum
minorum Ordinis S. Franciſci Agrienſis literæ
duplices (faſſionales & ſtatutoriæ, illæ quidem
Nicolai de Gara Palatini, hæ nomine Capituli
Agrienſis 1375. editæ, poſſeſſionem dictorum
Fratrum — quod mirum videri poteſt — di-
midiæ partis pagi Lövö attinentes,) a judicio
regio (perſonali præſentiæ regiæ) falſæ pro-
nun-

nunciatæ, atque „ tanquam male, inique & „ fraudulenter fulminatæ & fabricatæ " rejectæ ſunt. In ipſis deinde adeo regni Comitiis (Decr. 1486. art. 11.) Abbatiæ & Præpoſituræ falſitatum in literis exarandis accuſatæ ſunt. — Famoſus eſt præ aliis omnibus impoſtor ille *Gabriel literatus de Zömlén*, qui, circa tempus regiminis Alberti & Uladislai I. Hungariæ regum, quatuor ſupra quadraginta & amplius inſtrumenta & privilegia ſpuria excluſit vendiditque, ſubinde vero hanc ſuam nefariam aliis imponendi libidinem, mortem ſubiturus, *ad puritatem ſuæ conſcientiæ* ore confeſſus, ſcriptoque complexus eſt *e*): at iſto nihilo ſegnior erat infamis ille doli fabricator *Johannes literatus maledictæ memoriæ*, qui ſub Sigismundo rege, literas & privilegia commentitia, per Thuroczienſem provinciam, tot numero ſparſerat, ut ad jurium & titulorum confuſionem, quam inde ſequi neceſſe erat, tollendam, ſecernendaque vera inſtrumenta a mendacibus, Emericus Bebek Judex Curiæ Regiæ, legatus regio nomine in provinciam mitti debuerit; qui 1391. in Generali Ordinum Comitatus de Thurocz Conventu, omnes omnium Nobilium literas inſpexit & recenſuit, confectoque ſolemni illarum indice, (*Regiſtro de Thurocz*) qui a prima manu profectus adhucdum ſupereſt *f*), veritati non minus, quam celebritati Nobilium illius Comitatus profuit, & adhuc usque prodeſt. Hæc omnia ſine dubio, & *larvatorum* (cum præ ſe fert aliquis, quod non eſt) adhuc audacia & doli, quos in legibus & diplomatibus domeſticis ſæpe notatos reperias *g*), occaſionem fecerint inſeren-

dæ

dæ literis confirmationis regum noſtrorum inde ab initio ſæc. XV. ſolemni formulæ: confirmari videlicet literas oblatas non niſi „ eatenus, „ quatenus eædem rite & legitime exiſtunt „ emanatæ, viribusque earundem veritas ſuf- „ fragatur. “

a) KATONA *in Hiſt. crit. Regum Hung. ſtirpis Arpadianæ* Tom. III. p. 210. de veritate hujus diplomatis cavere noluit. KERCHELICHIUS illud in *Notitiis prælim. de regnis Dalm. Croat. Sclavoniæ* p. 114. e croatico a ſe latine redditum primus vulgavit, „ *recognitum*, (ut addidit,) *per eminens Di-* „ *caſterium aulicum, ac pro legitimo acceptatum au-* „ *thenticatumque.* “ Inſcriptum (intimatum) idem eſt omnibus, ſingulariter autem “ *populo noſtro glorio-* „ *ſæ nationis Sclavonico* : “ majori vero fide dignum commentum hocce non eſt privilegio Alexandri Magni, quo eundem itidem *inclytam gentem Slavicam* donaſſe olim ſibi plerique omnes perſvadebant, hodie vero nemo ſanæ mentis ſibi perſvadet amplius.

b) Tranſumſit illud Capitulum Poſonienſe 1685. die 7. Auguſti. Fragmentum vero ejusdem vulgavit Georg. PRAY *in Diatribe in Diſſert. Antonii Gánoczy de S. Ladislao Hung. Rege.* p. 59. Integrum legi in MSS. Steph. KAPRINAI Tom. VI. B. n. 79.

c) MSS. KAPR. Tom. IX. C. nro. 76. 77.

d) KAPR. Tom. I. B. Nro. 74.

e) WERBOECZI l. c. Part. II. Tit. 14. §. 50. — 82. Cum nomen Gabr. Zömlen quamvis infame, in Tripartitum W. opus, ac proinde Leges Hungariæ & Tranſſilvaniæ irrepſerit, operæ pretium faceret, qui nobis undecunque infelicis viri notitiam procuraret. At enim credetne hominum ventura propago, nos in tanta literarum luce, & in tanto advocatorum numero, Werböczii adeo vitam, ad imitationem Schrögkhii Plutarchi Germanorum, adhoc usque tempus nequicquam exſpectaſſe?

f) Inſigne hoc eſt antiquitatis Hungaricæ documentum, cujus ſimilia fruſtra alibi quæſiveris. Legi ego illud in protographo, dum menſe Novembri 1798. Peſtini auctoritate Tabulæ, quæ, quod regis no-

nomine jus dicat, *regia* nuncupatur, transumtum est. Materia illius pergamena est, forma libelli quam in quarto dicimus. Foliis utrinque inscriptis, filoque e pergamena consutis, decem constat; scriptura in eodem sola monastica est, seu neogothica, abbreviaturarum vero maximus numerus. Sigillo, de filo serico pendente, Emerici Bebek (textus Bubek habet) communitum est; & demta postrema pagina, in qua pleraque omnia epilogi verba obliterata sunt, integrum & sic satis bene conservatum est. Causam & occasionem edendi istius instrumenti in textu allegavi. *Registri* nomen in epilogo accepit, Titulus in fronte (Registrum de Thuroch) serius, ut videtur, inscriptus est. Pertinuit diploma hoc porro inter chartas sic dictas pariculas, cum ex epilogo exemplum illius (par registri præsentis) in domo tauarnicali fuisse depositum cum certitudine possit erui. Distinctum est, si prologum & epilogum demas, septuaginta membris (paragraphis.) Horum cuique argumentum breve præmissum est, membrumque quodvis novus versus orditur. Præter Comitatus Thurocziensis familias nobiles, etiam Arvensium Nobilium jura & titulos respicit; Comitatum Arvensem enim illo tempore districtum (hodie processum dicimus) Thurocziensis fuisse, vel ex hoc instrumento manifestum est. Recensentur in illo CLXVII. literæ *veræ*, ut ibi appellantur, justæque, falsarum nulla in specie facta est mentio. Omnium antiquissimum, quod ibidem, in Transumto attamen duntaxat Capituli Strigoniensis, commemoratur diploma Andreæ II. Regis est *de anno gratiæ* 1230. præter quod alia adhuc duo ejusdem regis annorum 1233. & 1235. adnotavi. Regem Belam IV. numero XXXI. auctorem præ se ferunt; unicum Stephanum V. 1271. (non Stephanum II. 1171. ut BELIUS in Cottu Thurocz. retulit) — XII. Ladislaus Cumanus elargitus est; VI. Caroli Rob. regis sunt; XXIV. Ludovico tribuuntur; a Conventu Thurocziensi L. profecta sunt. Sigismundi regis perpauca, & Judicum Curiæ Regiæ, cet. prætereo. Plerisque omnibus istis regum literis, libertatis a jugo servitutis, ordinisque equestris & agrorum inest collatio. Falluntur vero vehementer, qui vulgari traditione decepti, Belam IV. post cladem a Tataris

ac-

acceptam, in anguſtias Comitatus Thurocziensis compulſum, hic ultimæ plebis homines, vel pro tantillo beneficio ab iisdem accepto, equeſtri axiomate donaviſſe credunt. Neque enim rex, Auſtriam in fuga petens, longius inter Thurocziensſes ſubſtitit, neque privilegium in regiſtro quodpiam reperii, quod fatali illo univerſæ Hungariæ anno datum eſſet. Sed neque univerſæ Belæ IV. literæ, Thurocziensibus tunc conceſſæ, nobilitares ſunt, in quibus largiendis Belam IV. ſaltem ante an. 1241. difficilem fuiſſe, aliunde (KOLLÁR *Amoenit. Hiſt. jur. publ. Regni Hung.* P. II. p. 182. 83.) meminimus. Habuit adhæc Thurocziuni jam & ante hæc tempora, ab origine inde regni, equeſtres ſuas familias, quas non Bela IV. primum tales creaviſſe putandus eſt. — Id tandem adhuc, de regiſtro hoc vel maxime memorabili quæri poſſet: nihilne Bebekius cenſor literarum, quæ ibidem non ex aſſe, ſed ſummatim tantum exhibentur, in nonnullis comprobandis humani paſſus eſt? — Utinam aliquis rerum patriarum ſtudioſus, antiquitatisque hungaricæ amans & peritus, in lucem publicam protraheret incomparabile illud monumentum perpetuo commentario illuſtratum. Fieret id ſane magno rei diplomaticæ & genealogicæ, hiſtoriæque & juris commodo.

g) Adeſt coram me diploma per P. Kaprinaium olim ex autographo deſumtum, anni, ut apparet e contextu, 1322. (centenarius enim in temporis notatione omiſſus eſt) ſententiam Curialis Comitis (Vice-Comitis) & quatuor judicum provinciæ Csallóköz, (Comitatus Poſon. minoris) in Petrum & hujus patrem Jacobum filium Almud in ſe continens, qui quidem quod plebeiæ conditionis hominibus, mentito Udvornicorum nomine, prædium quoddam ſuum coram Capitulo eccleſiæ Poſonienſis vendiderint, ignitis clavibus caſtri, *imitando* (ut ſententia habet) *judicium plenæ provinciæ* (majoris Comitatus) *& eorundem Uduornicorum*, in faciebus ſuis notati, bonisque eorum univerſis in Fiſcum Comitatus redactis, continuoque venditis, provincia pulſi ſunt. — Quanta ad intelligenda juris antiqui capita vel hoc unum diploma ſuggerit!

§. 17.

§. 17.

In tanto igitur diplomatum falsorum numero, attentione & judicio opus est, prius quam instrumento aliquo in rem tuam utaris, ne falsum pro vero habeas, fœtumque supposititium pro genuino & germano foveas. Cavendum hoc erit eo diligentius, quo major omni tempore impostorum erat vafrities a), & quo major sæpenumero vel ex uno & singulari aliquo diplomate falso, temere pro vero & genuino habito, rerum ac personarum nascitur confusio. „ Recepto enim mentito instrumento, „ jus commune violabitur, prædiis suis injuste „ ejicientur legitimi successores, veterum an- „ nalium series interturbabitur, pervertetur „ ordo temporum, historiæ fides concidet " b). Cum vero diplomata antiqua commode legere, eadem intelligere, deinde fraudes impostorum & insidias evitare, non sit possibile, nisi regulæ in promtu sint, quæ lectorem diplomatum studiosum, censoremque veri justique tenacem juvent & dirigant, seu nisi idem præceptis artis diplomaticæ rite imbutus sit; de hac in universum quædam commentabor, priusquam ad ipsam artis pertractationem perveniam. Necessitas artis diplomaticæ.

a) „ Olim non defuere falsarii, inquit MURATORIUS, „ tam acuti ingenii tantæque industriæ, ut in „ confingendis præcedentium sæculorum monumen- „ tis, neque contra chronologiam, neque contra „ historicam eruditionem, aut notariorum formu- „ las quidquam peccarent, & probe imitari nos- „ sent veterum characteres & notas, aut eorum „ tantummodo apographa confingere. Si quando „ eorum fœtus occurrunt; neque enim quisquam „ neget, quin talia efformari potuerint, & ex iis „ aliqua superesse possint, *frustra* interdum artis

„ cri-

„ criticæ subsidia adhibentur ad falsas ejusmodi „ merces a veris secernendas. " MURAT. *Antiquitates Italicæ medii ævi*, Tom. III. Differt. XXXIV. Col. 30. — Hæc equidem proxime ad Scepticismum diplomaticum dicta sunt; enimvero legibus inveniendæ veritatis id omnino adversatur, omnes veri justique characteres in instrumento aliquo deprehendere, illudque nihilominus pro fictitio habere.

b) BARTH. GERMON. *Discept*. II. P. IV. c. 2.

SECTIO II.

DE ARTE DIPLOMATICA GENERATIM.

§. 18.

Artis Definitio.

GATTERER *Diplomaticam artem* scientiam esse dicebat diplomatum intelligendorum, dijudicandorum, applicandorumque. Mihi hæc artis definitio latius, quam deberet, patere videtur; non quod diplomatum intelligentiam in illorum Censoribus requirat, quis enim sobrius de re quam non intelligit judicet? verum quod scientiam illa, quorum tam varia ac multiplex dos est, applicandi etiam (in historia, jure, *cet.*) urgeat. Infinitus est, qui arti hac definitione attribuitur, ambitus *a*), quem nec Gatterer nec alius quisquam adhuc emensus est, in cujus ego finibus regundis & circumscribendis, cum artis etiam genesim, ad quam in notione adferenda inprimis attendi debet, respicerem; morum, legum, & institutorum ævi intermedii nunquam immemor, retinendam putavi modestam illorum auctorum

artis

artis diplomaticæ definitionem, qui illam potiſſimum ad dijudicanda diplomata referunt, atque cum hoc ſine habitu eadem legendi interpretandique fieri non poſſit, plenius illam artem eſſe pronunciant, quæ regulas legendi, intelligendi, diſcernendique vera diplomata a ſalſis ſuppeditat. Campus hic quo ſe humani ingenii vires cum laude fructuque maximo exerceant peramplus eſt, fungeturque artis iſtius peritus ſæpe

vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exſors ipſa ſecandi.

a) Equidem laudabo jureconſultum, qui natura ſimul & arte ad id comparatus eſt, ut e diplomatibus idoneos ad locupletandam artem quam colit calletque flores decerpere, intraque tecta comportare poſſit: neque tamen ea propter e. c. antiquitatis & hiſtoriæ ſtudioſum a Tabularum ævi præteriti inſpectione arcendum eſſe quisquam putabit, quod nempe a Themidis ſacris alieni, (e. c. PP. Benedictini) illud quod jura in vetuſtis membranis attinet, ipſi in uſum forenſem deducere non intelligant. Diplomaticorum intereſt fontes e quibus jurisconſulti, hiſtorici cet. hauriant, ſuarumque diſciplinarum campos rigent, indagare, recludere, probare. Qui ultra progreditur, quamvis duplici laude dignus, alienum attamen jam, etſi vel maxime contiguum, territorium ingreſſus eſt.

§. 19.

Natales artis diplomaticæ in ſæculum XVII. incidunt. Inveniendæ, ſubinde excolendæ etiam plenius & accuratius, occaſionem præbuerunt controverſiæ de fide & authentia primum quidem ſingularium tantum quorundam diplomatum, donec tandem audacior hoſtis factus tantum non omnibus chartis ævi veteris bel- *Natales artis inter bella diplomatica.*

bellum indixit. Principes in bellis iſtis diplomaticis (quo nomine frugiferas illas controverſias notare placuit) agebant ex parte una doctiſſimi quidam e Societate Jeſu presbyteri *a*), ex altera vero antiquitatum omnis ævi, præcipue intermedii, peritiſſimi ſodales ordinis ſacri, qui a S. Benedicto nuncupatus eſt. Neutris amici & fœderati deerant. Sequebatur autem S. Ignatii inſtitutum DANIEL PAPEBROCHIUS, qui, poſt P. HENSCHENII ſimiles conatus, docte & ſubtiliter indagando diſcrimen veri ac falſi in vetuſtis membranis, primus erat, qui propylæum artis diplomaticæ aperuit *b*): S. Benedicti contra regulam profitebatur JO. MABILLONIUS, ordinis non minus quam ſæculi ſui ornamentum, qui dum Papebrochii regulas ſevere examinaret, veritatique inveniendæ ſtudioſe adaptaret, opus diplomaticum a Papebrochio cœptum, applaudente orbe literato, feliciter ad faſtigium eduxit. — Nutare videbatur antiquitatis inprimis Merovingicæ fides, poſt HENSCHENII, PAPEBROCHII, HARDUINI & ſociorum graviſſimos in eam factos impetus: tuebantur illam alii, præſertim PP. Benedictini, in Gallia & extra illam, e. c. JOSEPHUS PEREZIUS in Hiſpania, facem & ſigna Mabillonio præferente *c*), non minus fortiter quam feliciter. Equidem in P. Papebrochio mireris oportet inſigne veri ſtudium, modeſtiamque ſingularem, quam celebri illa epiſtola, anno 1683. 20. Julii ad P. Mabillonium data, teſtatus eſt, qua nimirum & ſententiam ſuam retractare, & victoriæ laudem adverſario attribuere non erubuit, confeſſus: „ ſibi in ſua de eodem argumento lucubra-

„ tiun-

„ tiuncula (*Propylæo antiqu.*) nihil jam amplius „ placere, nisi hoc unum, quod tam præclaro „ operi & omnibus numeris absoluto (JO. „ MAB. *de re diplom.*) occasionem dederit. " Induciæ hæ erant duntaxat doctarum litium, impensæ, ut fere fieri solet, comparandis majoribus adhuc belli apparatibus. Epistolam, in Supplemento Mabilloniani operis, & nova hujus editione expressam, exhibent etiam *Annales Benedictinorum* Tom. I. p. 577.

a) Jesuitas e composito monumenta antiquitatis horumque fidem labefactare & evertere studuisse, quod originis novitiæ sui ordinis sibi conscii, & vetustatis gloriam, & diplomata antiqua, quibus tabularia præsertim Benedictinorum refertissima esse norant, iisdem inviderent, seque ipsos hac ratione in partem prædæ venturos esse sperarent, vulgaris est post PETRUM LUDEWIGUM (*in Præf. ad Reliquias Manuscriptorum omnis ævi* Tom. I. p. 27. & seqq.) plerorumque etiam hodiernorum auctorum sententia: quam attamen iniquam esse, parumque doctam, profectam a malevolis Societatis Jesu obtrectatoribus, egregie demonstrare conatus est auctor anonymus (MICH. DENIS) in libello: *Kurze Erzählung der Streitigkeiten über die alten Urkunden. Frankf. u. Leipzig (Heidelberg)* 1785. 8.

b) Scripsit PAPEBROCHIUS (natus Antverpiæ 1628. 17. Martii, mortuus 1714. 28. Junii) *Propylæum antiquarium circa veri ac falsi discrimen in vetustis membranis*, hocque libello, si non primi artis diplomaticæ parentis ac inventoris laudem sibi promeruit, saltem condendæ novæ arti occasionem dedit. Prostat ille in AA. SS. Tomo II. mensis Aprilis, Antverpiæ 1675. Fol. ob vastitatem & raritatem operis, cui insertus est, recusus in DAN. BARINGII *Clave diplomatica*, Hannoveræ 1754. 4.

c) Propylæo Papebrochii opposuerat JO. MABILLONIUS, presbyter ac monachus Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri, celeberrimum opus suum *de re diplomatica* sex libris comprehensum, Paris. 1681. fol. Libro I. veterum instrumentorum anti-

quitas, materia & ſcripturæ explicantur. IIdi Argumentum eſt diplomatum ſtylus, ſubſcriptiones, ſigilla & notæ chronologicæ. IIIio Quædam adverſariorum objecta diluuntur, tum notitiarum & chartariorum expenditur auctoritas. IV. Agitur de Francorum Regum Palatiis, villisque regiis, in quibus diplomata condita ſunt. Hæc palatia numero CLXIII. totidem ſectionibus ordine alphabetico commemorantur, & illuſtrantur. V. Exhibentur & explicantur veterum Scripturarum varia ſpecimina, tabulis LX. comprehenſa. Primo ſpecimina veterum codicum & inſcriptionum cum variis alphabetis. Secundo ſpecimina diplomatum regiorum a Dagoberto I. usque ad S. Ludovicum. Tertio ſpecimina chartarum eccleſiaſticarum. VI. Continentur ducenta & amplius diplomata & inſtrumenta, pleraque deſumta ex archetypis, ad præcedentium librorum probationem. — Obſervare vero convenit, Mabillonio præcipuam fuiſſe curam antiquitatis ejus maxime, quæ ad illuſtrandam regum Francorum primæ & ſecundæ ſtirpis memoriam ſpectat. In Regum tertiæ ſtirpis *d*iplomatibus illuſtrandis proceſſit oratio auctoris præclari duntaxat ad S. Ludovicum, (✝ 1270.) in quo ut conſiſteret, perſvaſerat nova rerum facies, quæ in diplomatibus poſt eum conditis ejusmodi viſa eſt, ut Mabillonio argumentum alterius operis eſſe videretur, aliis, quod pertractarent, relinquendum. — *Secunda* operis Mabillonii editio cum ſupplementis auctoris & præfatione THEOD. RUINARTI, poſt mortem Herculis illius literati (natus erat Rhemis 1632. 23. Nov. mortuus 1707. 27. Decembris) prodiit, itidem Pariſiis 1709. in Fol. reg. — *Tertia* vero *Diſſertationibus variorum locupletata*, *notisque illuſtrata a Marchione* JOH. ADIMARI T. I. II. Neapoli 1789. fol.

§. 20.

Progreſſus artis a) in Gallia.

Inſignem hanc de Papebrochio victoriam iniquo animo ferebant, quicunque conatibus ejus antea faverant. Quare non multo poſt

bellum

bellum diplomaticum magna utrinque animorum contentione recruduit, classicum hac vice canente BARTHOLOM. GERMON, iterum Jesuita, in disceptatione *de veterum Regum Francorum diplomatibus, & arte secernendi antiqua diplomata vera a falsis.* Paris 1703. 12. Hac disputatione non sine ingenii acumine causam malam defendit sagacissimus auctor, repræsentata a Mabillonio autographorum ævi Merovingici atque Carolingici specimina subleStæ fidei insimulans, regulasque ejusdem ad judicium de fide & sinceritate diplomatum ferendum parum esse fidas atque idoneas, ac proinde pleraque omnia ævi veteris monumenta pro spuriis & adulterinis, saltem pro dubiis esse habenda contendens, inter cetera usus captiosa similitudine, a domibus, quas expositititiis infantibus educandis christiana pietas destinavit, deducta, quarum unam inquit: „ si quis ingrediatur, „ quia degentes illic infantes plerosque esse „ spurios novit, incertos omnes pronunciat, „ neque ex illis quemquam pro legitimo ha„ bet, quin ille legitimum se certissimis signis „ demonstravit: ita etiam, quia vetustissima „ quæque tabularia adulterinis diplomatibus „ mixta esse novimus, omnia, quæ illinc „ prodeunt instrumenta, pro dubiis & incertis „ habere debemus, donec illa manifestis argu„ mentis vera & legitima esse probentur. " Lacessitus hac adversarii petulantia MABILLONIUS, *Supplementum Librorum suorum de Re diplomatica*, Parisiis 1704. in fol. edidit, ibique Germoniani nominis nulla mentione iniecta, certitudinis gradum, qui circa diplomata ævi veteris obtinere potest, curatius definivit,

Archivique S. Dionyſii integritatem, unde ſpecimina ſua depromſerat, defendit, tandem aſſerta etiam quædam a ſe antea candide retractavit, pleraque vero novis argumentis probavit, confirmavitque. Aperte magis, minorique cum indulgentia in confutandis Germonii & amicorum dubiis verſati ſunt, præcipue JUSTUS FONTANINI, RUINART, LAZZARINI, alii. Horum athletarum egregiis conatibus, quamvis poſt iteratos etiam Germonii *a*) & aliorum tumultus, monumentorum antiquorum fides & auctoritas vindicata fuerit: fuerunt tamen etiam poſtea, qui fidem diplomatum *temere* vellicare, de lubrico artis diplomaticæ diſſerere, ipſaque artis fundamenta hoſtiliter aggredi veriti non ſunt. Pyrrhoniſtæ iſti diplomatici *Germoniſtarum* notantur cognomine, quo tamen ſignare nollem, modeſte & cum ratione interdum de legitimis natalibus chartarum & librorum ævi veteris dubitantes; quemadmodum RICHARDUM SIMON, LENGLETUM *du* FRESNOY, ipſumque HICKESIUM *b*) aliquando dubitaſſe conſtat, nequicquam conquerentibus de horum Scepticismo illis, quibus dubitatio omnis quantumvis ſobria pro delicto eſt.

a) Diſceptationes illius in unum collectæ, Viennæ nuper recuſæ prodiverunt, cum præmiſſa earundem hiſtoria, e gallico in latinum verſa. Viennæ 1790. 4.

b) GE. HICKESIUS *in Linguarum veterum ſeptemtrionalium Theſauro grammatico-critico & archæologico*, Oxoniæ 1705. in Fol. non reticendum eſſe putavit, quæ in Canonibus Mabillonii diplomaticis incerta ac lubrica ſibi viſa ſunt, mediusque inter ſeverum Papebrochii rigorem, nimiamque Mabillonii laxitatem in veteribus inſtrumentis examinandis, ſubſiſtere voluit. Cenſuram & animadverſiones doctiſſimi illius Eccleſiæ Anglicanæ presbyteri non omnino ſpre-

viſſe

visse amicos bonæ causæ, patet vel ex præfatione Ruinarti docta, quæ novæ operis Mabilloniani recentioni præmissa est. Excerpsit Hickesiana etiam Germonius, quamvis doluerit se patronum suæ causæ hominem hæreticum nactum esse. LUDEWIG. l. c. p. 34.

§. 21.

Tumultus diplomatici, quemadmodum maturius in Germania magno ingeniorum motu & jurisconsultorum strepitu surrexerant: ita prius etiam ibi, quam in Gallia sopiti sunt. Longa est illorum series, variusque in supremis Imperii tribunalibus litium fuit exitus. Equidem ad pacem inter litigantes Germanos procurandam, id certe plurimum conferre debuit, quod bella, quibus Germania vexabatur diplomatica, *forensia* fuerint, in Gallia contra *literaria* tantum & *umbratica*. Neque enim in jure sive publico sive privato, diplomata & rerum gestarum seriem operose evolvere ibi referebat, ubi morum & legum a majoribus acceptarum vix aliqua jam fuit reverentia, omniaque ab unius dependebant nutu & arbitrio *a*). Belligerantibus ergo adhuc Gallis, Germani Mabillonii & commilitonum nec non adversariorum inventa ad rem suam accommodarunt diplomaticam, novisque locupletarunt accessionibus. Fecit hoc in primis GODEFR. BESSEL, Abbas Monasterii Benedictinorum Gottwicensis in Austria, qui in Tomo prodromo *Chronici Gottwicensis* 1732. typis Tegernseensibus in fol. reg. edito, vestigiis fratris sui Mabillonii insistens, rem antiquam librariam & diplomaticam, præcipue Germanicam, post tempora Imperatorum stirpis Carolingicæ, FRANC. JOSEPHO HAHNIO († 1748.) b.) in Germania.

1748.) in laboris ſocietatem adſcito, egregie illuſtravit *b*). Horum jam Benedictinorum operibus adjuti, Germanorum alii breviora artis compendia contexuerunt; qualibus CHRIST. HENR. ECKHARDUS & JO. FRID. JOACHIMUS de juventute academica bene meriti ſunt *c*); alii *ſigilla* examinare, alii *abbreviaturas* explicare tentarunt, elaborarunt alii in enodandis *monogrammatibus*, & combinandis inter ſe *temporum notis* & rationibus: fuerunt, qui in *ſingulorum Imperatorum* & *Regum* immo & *Imperatricum* diplomata commentati ſunt. Dicam de his omnibus plura, ubi locus & materia me monuerint.

a) Seriem bellorum diplom. quibus Gallia Germaniaque flagrabant, illorumque cauſas & eventus varios, docte non minus quam eleganter ad ſua usque tempora pertexuit I. PETR. LUDEWIGIUS, Academiæ Fridericianæ, quæ Halis Saxonum floret, quondam Cancellarius, in præfatione longiori, quam *Reliquiis manuſcriptorum atque diplomatum omnis ævi* præmiſit. Francof. & Lipſ. 1720. 8. Neque tamen quemquam illa etiam legiſſe, & cum Ludewigianis contuliſſe pœnitebit, quæ in prologo Tomi III. *Actorum pacis Weſtphalicæ*, Hannoveræ 1735. fol. a viro quondam perilluſtri I. GODEFR. A MEIERN de *bellis diplomaticis* ſcripta ſunt. Qui artis diplom. hiſtoriam literariam nuper ediderunt, de controverſiis diplomaticis recentioribus conſulendi ſunt.

b) Tomus iſte prodromus, qui partibus duabus, totidemque juſtæ molis voluminibus abſolvitur, pro faciliori intellectu annalium dicti Monaſterii, qui ſequi debuiſſent quidem, verum ſecuti ſunt nunquam, chronico præmiſſus eſt. Agitur in hoc ſplendido, multis tabulis æri inciſis illuſtri, omninoque bonæ frugis opere (paucis enim, quas alii notarunt, quis offendatur maculis?) de codicibus antiquis manuſcriptis, de Imperatorum ac Regum Germaniæ (a Conrado I. usque Fridericum II. † 1250.) diplomatibus, de eorundem palatiis, villis & cur-

tibus regiis, atque de Germaniæ medii ævi pagis. Sunt, qui, nescio quibus inducti rationibus, non Besselium, verum Fr. Jos. HAHNIUM auctorem operis nuncupant; e prologo Abbatis id tantum certum est, virum reipublicæ literariæ factum, eidem egregiam opem & operam in hoc opere condendo, in emendandis amanuensium apographis, in regendis chalcographis, aliisque quam plurimis commodasse. Utrique sententiæ circa verum operis auctorem adversatur FR. ROBERTI in *Polymathia*, quæ Romæ 1782. 8. expressa est, ubi Italus auctor P. I. p. 137. in hunc modum: „De Diplomati-„ca item Alemanniæ sapientissimos Canones edide-„re Cl. viri Eckhard & Barring, nec non GODWIEK „*in suo chronico*.“ (!)

c) C. H. ECKHARDI *Introductio in rem diplomaticam præcipue Germanicam*, cujus editio altera Jenæ 1753. 4. curis Jo. Chr. BIASCHE prodiit, styli quoque se commendat puritate & elegantia. Ad hoc compendium proxime bonitate sua accedit I. FRIDR. JOACHIM'S *Einleitung zur deutschen Diplomatik*, qui liber Halis 1785. tertium recusus est. Docta illius recensio prostat *in der allgem. deutsch. Bibliothek* Vol. LXIX.

§. 22.

Vastissimum simul etiam doctissimum opus de re diplomatica, & ex quo plerique auctores præsentis ævi, velut ex penu bene instructa, compendia & prolusiones suas academicas depromunt, duum viri (CAR. FRANC. TOUSTAIN & TASSIN) iterum Benedictini e Congregatione S. Mauri intra annos 1750 — 1765. voluminibus sex in 4. ediderunt. Inscriptum illud est: *Nouveau Traité de Diplomatique, où l' on examine les fondemens de cet art, on ètablit des regles sur le discernement de titres, & l' on expose historiquement les caracteres des bulles pontificales, des diplomes donnès en chaque siècle, avec des eclaircissemens sur un nombre considerable de points d'* Præsens artis Conditio.

 histo-

historie, de chronologie, de critique & de discipline; & la refutation de diverses accusations intentèes, contre beaucoup d' Archives celebres, & sur tout contre celles des anciennes eglises, par deux religieux Benedictins de la Congregation de S. Maur. Paris Tom. I. 1750. Tom. VI. 1765. Versionem priorum trium voluminum germanicam adornavit cel. JO. CHRISTOPH. ADELUNG, quam subinde in IX. volumina dissectam continuavit ANT. RUDOLPH, in agro primum, deinde in ipsa urbe Erfordiensi sacrorum apud Evangelicos minister *a*). JO. CHRISTOPH. GATTERER Historiarum Professor Göttingensis, primus erat, qui mole hac magna & indigesta, at thesauris eruditionis vastæ raræque refertissima, prudenter usus est, jam prius ab eruditione diplomatica celeberrimus, evulgando: *Elementa Artis Diplomaticæ universalis* Vol. I. Gœttingæ 1765. 4. cum XII. Tabulis æri incisis. Tulit autem liber hic omne punctum intra Germaniam & extra illam, quod & novo, quem in hanc disciplinam induxit, materiarum ordine, justaque partium ab aliis disjectarum dispositione, perspicuitate proinde sua, rerumque quas tradidit utilitate & veritate, se suis lectoribus maximopere commendaret. Neque ergo cœci alicujus partium studii, quo discipulos in suos magistros identidem ferri experimur, me quisquam accusabit, si veri reverentia ductus, artis diplomaticæ in *justum systema* vocatæ, hunc primum auctorem fuisse pronunciavero. Id vero una mecum dolebunt omnes, qui bonitatem libri usu aliquando experti sunt, desiderari Volumen illius alterum, cujus potiundi auctoris morte (5. Aprilis 1799.) spes omnis

inter-

intercisa est *b*). Debitum saltem illud, quod contraxerat vir longe doctissimus, in omnique Historia hujusque studiis subsidiariis vere princeps, promittendo iterum iterumque continuationem præstantissimi sui operis, ex asse non exsolvit, edendo *Delineationem Diplomaticæ*, (*Abriss der Diplomatik*) Goettingæ 1798. 8. continuoque emittendo Diplomaticam applicatam, (*Praktische Diplomatik*) ibidem 1799. 8. In illa enim inuentis a se pridem perpauca addidit, lectorumque exspectationem in parte libri ultima prorsus destituit: in hac vero quæstiones resolvit & explanavit, systematis rigore neglecto, quarum resolutione theoremata partis theoreticæ continuo dilucidanda erant potius. Post Gattererum inter Germanos artis præcepta libris compendiariis complexi sunt JO. SCHWAB & GREG. MAX. GRUBER, quibus adhuc JER. JAC. OBERLIN Argentoratensis Professor addendus est *c*). Eminuit inter hos GRUBERUS e Scholis piis, Viennæ non ita pridem adhuc Diplomaticæ Professor, († 1799.) qui Gattererum feliciter imitatus, illis Diplomaticæ capitibus præcipue operam impendit, quæ in hujus Elementis adhuc deerant. Novissimi tandem operis diplomatici, quo nos Germania donavit, auctor est CAR. TRAUG. GOTTL. SCHÖNEMANN, iterum Prof. Goett. cujus Volumen I. nuper admodum hoc titulo prodiit: *Versuch eines vollständigen Systems der allgemeinen, besonders älteren Diplomatik*, *Hamburg* 1801. 8. Fœtus hic est ingenii elegantis, judicii subacti, lectionis vastæ. In primis in eo elaboravit auctor clarissimus hoc volumine, quod maxima parte prolegomenis absoluitur, & quod duo

adhuc

adhuc alia excipient, ut novis artem limitibus circumſcriberet; unde priores antiquos mox latius protulit, mox arctius contraxit iterum. In operis progreſſu, rem diplomaticam juribus & ſtatutis ævi medii cognoſcendis, atque in uſum forenſem deducendis, omni ſtudio adaptare conſtituit; quem in finem jam antea librum: *Codex für die praktiſche Diplomatik.* 1. *Th. Götting.* 1800. 8. commentationemque duplicem: *Ueber den Umfang der Diplomatik als Wiſſenſchaft*, 1798. atque *de Finibus artis Diplomaticæ practicæ regundis* an. 1800. ediderat. Auctori cultiſſimo ceterum, vindicanti Jurisprudentiæ Diplomaticæ principem in hac arte noſtra locum, jam HEUMANNUS quodammodo proluſiſſe videtur; (*De re dipl. Imp.* Tom. II. præf. p. XXIII. & *ſeqq.*) quid vero majus inde Hiſtoria juris ævi intermedii diplomatica enaſci poterit? — Fuerunt ergo *Germani* Gallorum, quibus ſuos natales & maxima incrementa ars diplomatica in acceptis refert, præcipui nec impotentes æmuli. Præponi vero hoc reſpectu ex utroque populo multis, gentilibus vero ſuis omnibus debet LUD. ANT. MURATORIUS *d*). Quæ enim FONTANINI, LAZZARINI & alii contra Germonium vulgarunt, quæ Scip. MAFFEJUS ſcripſit, quæ MANNI de ſigillis collecta edidit, quæque TROMBELLI *e*) de ætate codicum definienda diſſeruit, pulchra bonaque ſunt: at ſi doctrinæ ambitum ſpectes, reique codicillaris, omnisque antiquitatis intermediæ ſcientiam, illis, quorum Muratorius auctor eſt, nullatenus æquiparanda. Syſtema porro Diplomaticæ integrum nullus Italorum condidit, cujusmodi libro, rei ſuæ diplomaticæ accommodato, nec

Britan-

Britanni, neque Hiſpani adhuc uſque gaudent; etſi alias in Hiſtoria Diplomaticæ literaria antiquiori celebrentur HICKESII, ANDERSONII, RUDIMANNI, RYMERIQUE Britannorum nomina, neque PERESIUS & RODRIGUESIUS Hiſpani ignoti ſint. Reliqui Europæ populi, quamvis diplomata ad annales ſuos conſcribendos, e. c. inter Danos SUHMIUS, affatim adhibuerint, de ipſa arte nihilominus, ſi Hungaros excipias, inter quos providentia ſuorum Regum etiam artis diplomaticæ dignitas ſuſtentatur, perparum philoſophati ſunt.

a) Titulus operis translati in germanicum idioma eſt: *Neues Lehrgebäude der Diplomatik, welches in Frankreich von einigen Benediktinern von der Congregation des heil. Mauri ausgefertiget worden. I. Th. Erfurt* 1759. 4. — *IX. Th. Erfurt* 1769. cum 100. Tabulis æneis. Cum originali iſtius operis editione caruerim, verſione uſus, hanc poſthæc ubique allegaturus ſum.

b) GATTERERI — clarum & venerabile nomen gentibus! — elogium recitatum in conſeſſu Societatis Regiæ Scientiarum Goettingenſis, 20. Apr. 1799. in quo merita & virtutes, quibus ille inter Hiſtoricos eminuit, expenduntur, exſtat in *Commentationibus ejusdem Societatis*, Vol. XIV. Goettingæ 1800. 4.

c) Prodivit auctore JO. SCHWABIO, Philoſophiæ in Univerſitate Heidelberg. Profeſſore: *Brevis introductio in rem diplomaticam* Heidelbergæ 1776. 4. Caret compendium hoc Tabulis æneis non minus, quam artis, cujus præcepta docet, definitione; cujus auctor, ut ipſe in præloquio ingenue confitetur, nec vetera emendare, nec nova quæpiam adferre auſus eſt. Retinuit ergo idem poſt Eckhardum partitionem Introductionis ſuæ illam, quæ inde a primordiis artis diplomaticæ a criteriis inſtrumentorum internis & externis deſumta fuerat, in auxilium vocatis ſæpe multumque GATTERERI notionibus & Elementis. — OBERLINUS in *Artis Diplo-*

Diplomaticæ primis lineis, Argentorati 1788. 8. Tabulis XI. quid in arte diplomatica doceri debeat, oftendere conatus eft; difpofuit proinde tantum artis capita, quæ fummatim indicavit, uberius illa oretenus expofiturus fuis auditoribus. GRUBERI tandem notiffimi funt libri duo, primus: *Lehrfyftem einer allgemeinen Diplomatik, vorzüglich für Oefterreich und Deutfchland I. II. III. Theil. Wien* 1783. 8. alter: *Auszug aus dem gröfsern Diplomatifchen Lehrfyftem zum Gebrauch der Vorlefungen. Wien* 1784. 8. cujus Compendii editio nova eaque emendata, Viennæ 1789. 8. procurata eft.

d) LUD. ANT. MURATORIUS, Bibliothecæ Ducis Mutinenfis aliquando præfectus († 1750.) inter præcipuos bonæ frugis polygraphos præteriti temporis collocandus eft. Inerat huic viro Antiquitatum omnis ævi, præcipue intermedii, quam ampliffima ejus opera teftantur, notitia extraordinaria; notari vero hic loci inprimis debent ejusdem: *Antiquitates Italicæ medii ævi.* Mediolani 1738. feqq. Fol. Vol. I — VI. E volumine hujus fplendidi operis tertio, multa rei diplomaticæ ftudiofo proficua didici, cujus auctor Eclecticis, quos appellant, accenfendus, a nimia credulitate tamen, quam Pyrrhonismo diplomatico aberat longius.

e) JO. CHRYSOST. TROMBELLI fcripfit: *La Diplomatica, o fia l' arte di conofcere l' età ed autenticita de' Codici Latini e Italiani*, Bononiæ 1757. Edit. 2. Neapoli 1780. 8. Equidem titulus Diplomaticæ arroganter nimis huic libro attributus eft, qui codicum duntaxat ætatem inveftigat, diplomatum, quorum tamen ad veteris ævi manufcriptorum antiquitatem definiendam fæpe non leve momentum eft, nulla ratione habita. Eft porro illius auctor conjecturarum ferax, rei literariæ recentioris, (quam faltem G. M. PORCELLI qui fecundam libri editionem procuravit, negligere haud debuiffet,) ignarus, Germanorum adhæc contemtor iniquus, lectione attamen non indignus.

§. 23.

Fata Artis Diplomaticæ in Hungaria.

Inter litigantes in fupremis Regni Hungariæ tribunalibus, controverfiæ de fide & integri-

tegritate diplomatum, quibus jura ſua evincere conantur, admodum frequentes ſunt; memoriam iſtarum controverſiarum, lite per judicem deciſa, Archivum, quod *Curiale* vocamus, recipit cuſtoditque. Quæ vero publice inter nos geſta ſunt bella diplomatica, libris typo expreſſis, ad forum commune librarium deducta, *tria* fere ſunt, quorum primum plene terminatum eſt, reliqua ſopita potius, quam plane exſtincta videri poſſunt. Materiem omnibus dabant diplomata argumenti graviſſimi, quæ ut vera ſinceraque laudabantur ab his, ut falſa contra nulliusque fidei vituperabantur ab illis. Et *primum* quidem bellum diplomaticum inter nos ſuccendit, opportunitate loci quo degebat fretus, GODOFR. SCHWARZ Iglovia Hungarus, qui originem & fidem famoſiſſimæ bullæ Sylveſtri II. Pontificis anni M. qua regnum Hungariæ & hujus ſymbolum S. Regni Corona S. Stephano Regi a dicto Pontifice collata ſunt, & quam MELCH. INCHOFER e S. I. in *Annalibus eccles. Regni Hungariæ*, Romæ 1644. Fol. primus in lucem publicam emiſit *a*), ceu ſpuriam atque commentitiam argumentis pluribus acriterque aggreſſus eſt *b*). Hoc facinus Schwarzii audax, etiam initia religionis Chriſtianæ, nec non ſacram Regni Coronam, Conſtantinopoli in Hungariam traducentis, gyaris & cœco carcere dignum multis viſum eſt. Enimvero ex omni Hiſtoria Regni Hungariæ literaria non memini auctoris cujuspiam, cujus placita a doctis indoctisque ſcriptoribus, puerorumque jejunis interdum magiſtris, adeo frequenter fuiſſent in medium prolata, proſciſſa, convulſa, dirisque devota, quam iſtæ eædem theſes

Schwar-

Schwarzii. Sine dubio STILTINGUS Hagiographus Belga *c*), & Patres Soc. Jeſu Hiſtoriographi Hungari *d*), quibuscum aliquamdiu idem agebat KOLLARIUS *e*), doctiſſimi erant opinionis novitiæ adverſarii, acerrimique bullæ, de cujus ſinceritate agebatur, vindices. Permultum de hujus fide detraxit BALTH. KERCHELICH Canonicus Zagrabienſis, indigitando incunabula inſtrumenti controverſi commentitia, trahendoque etiam Kollarium in alia omnia. Hodie, vulgarem bullæ textum qui defendat, nemo eſt amplius.

Majori multo cum artis diplomaticæ apparatu, hujusque viciſſim læto incremento, *bellum ſecundum diplomaticum* a civibus noſtris geſtum eſt. Dederat huic anſam diploma S. Stephani Regis, anni MI. in protographo ſuperſtes, quo Abbatiam S. Martini Benedictinorum in monte Pannoniæ prope ad Jaurinum condidit. Natales ſpurios diplomati huic objecerunt, fidemque ejus in foro & ſcholis evertere cònati ſunt, qui ſemper latere voluit, doctiſſimus DAN. CORNIDES, & qui hujus opera & conſilio ſedulo uſus eſt, JOS. BENCZUR *f*). Utrisque ſe mox opponebant, viri multis non minus nominibus, quam rara eruditione inſignes: Comes IGN. BATTYÁNI Præpoſitus tunc major Capituli Agrienſis, non multo poſt Epiſcopus Tranſſilvaniæ, ANT. GÀNOCZI, & JO. CHRYSOST. NOVÁK; quibus iterum iidem illi duumviri reſponderunt, ſcriptis *Libellis, quibus Anonymus, authentiam diplomatis de anno MI. in dubium vocans defenditur.* Viennæ 1780. 8. Mirabantur hoc tempore Germani copiam eruditionis diplomaticæ in oris Tibiſco & Maruſio vicinis *g*), cujus re-

gulas

gulas celeberr. aliquando Regni Hung. Historiographus GEORGIUS PRAY († 1801.) primus in Hungaria publice docuit.

Tertium tandem *bellum diplomaticum* civile commovit LAD. KÖVESDI Jurisconsultus Hungarus, impetendo fidem & sinceritatem instrumentorum, quibus Rex Bela cognomento cœcus Præposituram Præmonstratensium Bozokiensem anno 1135. fundavit, Bela subinde IV. 1262. confirmavit, condemnando Transumtum etiam utriusque hujus diplomatis, quod jubente Judice Curiæ Andrea Báthory, ad preces Georgii de Fancz, Conventus S. Benedicti de juxta Gron anno 1566. edidit. —In dubium porro vocaverat idem, Capituli Budensis literas anni 1471. quibus metæ Præposituræ prædictæ definitæ sunt, nec non & Præposituræ Saaghiensis cum fundamentale pervetustum diploma, tum Stephani V. 1270. istius confirmatorium, Jesuitis Patribus spurios illos fœtus attribuens, inprimis P. JOANNEM TRSZTYANSZKY nefarii doli accusans, asseverando: hunc detracta de diplomatibus veris civium Carponensium & Zoliensium sigilla, assuisse privilegiis fictis ac mendacibus *h*). Nihil ad hæc talia respondendo sprevisse videntur Jesuitæ, ad quos exstincta societate alioquin hæc lis jam non pertinuit, has opponentis parum eloquentis argutias, quas docte & non sine petulantiæ salibus, neglecto attamen eo quod caput rei erat, resoluit dissipavitque causæ sociorum Jesu amicissimus DAN. CORNIDES, in *Epistola ad L. K. i*) quæ, ut epistolis obscurorum virorum inseratur, est dignissima. Quamvis vero non defuerit adversario animus continuandi porro

quo-

quoque certamen hocce literarium *k*), non tamen inventus eſt quisquam, qui porro cum eodem in arenam voluiſſet deſcendere, vel quod diplomata Bozokienſia defenſione non egere, quæ regni Judices probarant *l*), putaverint, vel quod victoriæ laudem modicam admodum ex hoc certamine ſperari poſſe judicaverint.

Fundatio Monaſterii Rutheni Munkatſienſis, per Theodorum KORIATOVITS, dictum Ducem de Munkács, anni 1360. dignam *quarto bello* diplomatico inteſtino materiam ſuggerit. Præluſerunt illi jamjam Com. IGN. BATTYANI, & JOANNICIUS BASILOVITS: ille explodendo diploma, (*in LL. eccleſ. R Hung.* T. I. p. 514. 15.) quod defenſoribus omnino opus habet; hic tuendo illud, dubiis attamen criticorum etiam poſthæc adhuc obnoxium, in *Brevi Notitia fundationis Theodori Koriatovits olim Ducis de Munkács*, cet. P. I. II. III. Caſſoviæ 1799. 4.

Non ſine fructu fuiſſe concertationes iſtas diplomaticas, ut bellum fere omne, quantumvis cruentum, emolumenti tamen habet aliquid, certum eſt. Acuerunt illæ concertantium ingenia, fugataque credulitate ignava, in ſcholas *m*) & prætoria artem introduxerunt, quæ diplomata rectius intelligere, & cautius dijudicare docet. Cum autem methodi illius, quæ Diplomaticam univerſalem ævi intermedii accommodate ad chartas noſtras domeſticas exponit, tenuia nonniſi adhucusque exſtent initia; illud enim, quod P. MANCINI *n*) hac in re præſtitit, oppido parum eſt, ipſaque hæc introductio veſtibulum duntaxat eſt Diplomaticæ ſpecialis Hungaricæ: utamur poſthæc

etiam

etiam oportet Gallorum & Germanorum in diplomatibus noſtris examinandis opera, adhibitis in auxilium regulis, quæ a chartis indigenis abſtractæ, in operibus indigenarum paſſim ſparſæ ſunt: donec filius patriæ exiſtat aliquis, qui ad modum MABILLONII, BESSELII & HEUMANNI, rem diplomaticam Hungariæ illuſtret confirmetque; quod ego quidem eo certius futurum eſſe confido, quo major illius artis in Hiſtoria Hungariæ, hujusque Jure cum publico tum privato eſt neceſſitas, quo major Hungarorum animis amor patriæ, jurisque & conſuetudinum a majoribus acceptarum amor inſidet, & quo magis populares noſtri rerum ſolidarum cognitione delectantur, præ rerum futilium nugarumque lectione & ſtudio.

a) Hoc illud erat, quod huic operi imperfecto, nec multarum rerum diviti, in Hungaria, priusquam Poſonii 1795. 8. denuo recuſum eſſet, non ubivis obvio, immodicum conciliaverat pretium. Debemus vero novam illam operis recenſionem ſtudio Spect. & literatiſſimi viri IGN. ST. HORVÁTH, qui fragmen continuati operis in autographo nactus, hoc etiam vulgare conſtituit.

b) In opuſculis, quæ inſcripta ſunt: 1) *Initia Religionis Chriſtianæ inter Hungaros, Eccleſiæ orientali adſerta, diſſertatio hiſtorico-critica, auctore* GABRIELE *de juxta* HORNAD, *Hungaro. Francof. & Lipſ.* 1740. 4. — 2) *Entlarvte Bulle Pabſts Sylveſter des II. die er an den h. Stephanus König in Ungarn abgeſchickt haben ſoll, von D.* GOTTFR. SCHWARZ *in Rinteln. Lemgo* 1777. 4.

c) In vita S. Stephani Regis, quæ *Actis Sanctorum* Antverpienſibus ad diem II. Septembris inſerta eſt, recuſa vero in Hungaria, Jaurini, 1747. Fol.

d) Vel hoc facto Jeſuitarum Hungariæ manifeſtum eſt, quam viles ſint neniæ illorum, qui ſibi aliisque perſvadere volebant, Patres Societatis Jeſu e compoſito in elevanda & deſtruenda veterum inſtrumentorum fide laboraſſe.

e) Pertinaciter hic bullam Sylveſtrinam defenderat in *Hiſtoria diplomatica juris Patronatus Apoſtolicorum Hungariæ Regum*, Vindobonæ 1762. 4. a KERCHELICHIO vero non multo poſt ad partem oppoſitam traductus, ſententiam ſuam retractavit in libro: de *Originibus & uſu perpetuo poteſtatis legislatoriæ circa ſacra Apoſtolicorum Regum Hungariæ*. Vindobonæ 1764. 8.

f) Ex epiſtolis, quas ante annos fere triginta amicis ſuis ſcripſerat CORNIDESIUS intellexi, eundem multo prius argumenta ad convellendum diploma hoc S. Stephani collegiſſe, quam eidem aperte bellum indixit anonymus (JOS. BENCZUR) in libello: *Schreiben an einen Freund, darinn einige Zweifel wider die Aechtheit der Stiftungsurkunde, welche der h. Stephan erſter König von Ungarn dem Benedictiner Kloſter auf dem h. Martinsberg ertheilt haben ſoll, den Gelehrten zur Prüfung vorgeleget werden. Wien* 1779. 8. Sine mora contra hunc inſurgendum ſibi putavit, non cum tenui doctrinæ apparatu, IGN. C. BATTHJANI, qui ſub nomine AGAMANTIS PALLADII, *Reſponſa ad dubia Anonymi adverſus privilegium S. Stephani propoſita* 1779. 8. publicavit. Succedebant huic continuo RR. VV. ANT. GANOCZI, & CHRYSOST. NOVÁK, quorum ille *Libellum caſtigatum, ſeu refutationem argutiarum* edidit, *quas ſcriptor anonymus cet.* Magno-Varadini 1779. 8. hic vero *Vindicias diplomatis* — conſcripſit, Budæ 1780. 8. impreſſas. Docte deinde idem diploma adhuc examinarunt, & ab objectionibus adverſarii vindicare ſtuduerunt: Summe Rev. JOS. KOLLER, in *Hiſtoria Epiſcopatus Quinqueeccleſienſis*, Poſonii 1782. 4. Tom. I. p. 357. & *ſeqq.* atque GREG. GRUBER im *Lehrſyſtem einer allgem. Diplomatik*. P. II. p. 339 — 367.

g) Vid. *Allg. deutſche Bibliothek. III. Anhang zu den BB. XXXVII — LII. p.* 1317.

h) Conf. *Status ac Synopſis Proceſſus novi ſimplicis Familiæ Dacſo contra — Præpoſituræ Bozokienſis poſſeſſores quoad — cum appendice, de Auctoribus fundationem Bozok examinantibus.* Auctore L. K. (Peſt. 1784. 4.)

i) Vid. GEORG. PRAY, STEPH. KATONA & D. CORNIDES *Epiſtolæ exegeticæ in Diſpunctionem* ANTONII GANOCZI, — *cum appendicula ad* L. K. Peſtini 1784 8.

k) Conf.

k) Conf. ejusd. L. K. *Continuationem Synopsis*, *cet.* & *Examen Verböczianum.* Pestini 1785. 4.

l) Vellem, Lectores omnes relegerent illa, quæ PAPEBROCHIUS in *Propylæo* post AL. WILTHEMIUM speciose disputat de diplomatibus talibus, quibus sua fides & auctoritas coram prætore & assessoribus manet, quamvis eadem merito rejiciant eruditi a testimonio ferendo in re historica.

m) Anno 1777. primus Diplomaticæ Doctor in Universitate tum Budæ considente constitutus est.

n) P. ANT. MANCINI *Compendiaria politioris literaturæ notitia.* Pars II. Posonii 1779. 8.

§. 24.

Usus & præstantia Artis Diplomaticæ.

Si diplomatum usus tam magnus est atque multiplex, quam prius ostensum est; quantam esse putabimus præstantiam & utilitatem artis illius, quæ circa thesauros istos ævi veteris intelligendos, examinandos, & juste æstimandos versatur? Sane ex quo Historiarum fidem, diplomatum auctoritate recte definita & rite vindicata metimur, ridemus illorum commenta, qui, vel ex ignorantia, vel turpi assentiendi libidine, origines gentium & familiarum superius quam par est reducunt, privilegia Alexandri Magni *a*), Cæsarum Romanorum, Attilæ *b*), cet. contestantur, somniaque male sana, pro eo quod verum est, venundant: vel qui e converso, vana ac temeraria suspicione laborantes, suppostitias falsariorum lacinias ubique metuunt. — Universe, fraudis hodie minus fit; e patrimoniis suis non amplius exturbantur legitimi hæredes falsarum literarum testimonio; — Historiæque testi temporum & luci veritatis integritas sua candorque restitui cœpit, ex quo ars diplomatica perpetuus illius custos & rigidus satelles est.

 Usum,

Uſum, vel maximam potius illius neceſſitatem, experiuntur illi quoque, qui e Codicibus antiquis lectiones variantes auctorum ſacrorum & profanorum operoſe excerpunt, editionesque Claſſicorum, aut SS. Patrum (ad modum Benedictinorum e Congr. S. M.) emendatiores procurant. Ipſum denique ſubitarium incrementum artis haud ita pridem inventæ, incremento artis cujusvis alterius majus, nos de præſtantia & utilitate ejus optime ſperare jubet.

a) „ Probabile eſt — inquit PETR. de REWA, *de* „ *Monarchia*, *& S. Corona Regni Hungariæ*, apud „ SCHWANDTNERUM *in Scriptoribus rerum Hung.* „ *Tom. II. p.* 829. Slavos, hoc ipſo nomine, ini- „ tio Monarchiæ tertiæ Græcæ, & ante claruiſſe; „ quod Alexander M. Græci Imperii fundator pot- „ entiſſimus, eorum in bellis ſtrenua uſus opera „ fuerit, eos collatione plagæ meridionalis auxerit, „ & nomen eorum decorum, *eximio illuſtraverit* „ *privilegio*, quod jam ſequitur, tum in honorem „ eorum appoſitum, tum quod publice me conſcio „ non exſtaret. " — In pluribus jam libris obviam fabulam inſipidam, hic vel leviter attigiſſe ſatis eſto.

b) Teſte EDERO V. C. Valachi Tranſſilvaniæ, noſtra admodum ætate, in publico illius provinciæ Tribunali, ad literas metales Attilæ, in charta linea, hodierno Valachorum idiomate, atque hodiernis ipſorum characteribus ſcriptas provocarunt, iisque vetera ſua jura in cujusdam pagi teritorio confirmare adniſi ſunt. Vid. *Supplex Libellus Valachorum Tranſſilv.* — *cum notis hiſtorico-criticis* I. C. EDER. Claudiopoli, 1791. 4. p. 59.

§. 25.

Partitio Artis Diplomaticæ.

Abſoluitur ea tribus partibus: *Graphica*, *Semiotica*, & *Formularia*. Et Formularia quidem criteria tradit, quæ autographa cum apographis habent communia; priores contra partes, circa

circa characteres verſantur, ſolis autographis proprios. Etenim *Graphica* (*Schriftkunde*) literarum, & vocabulorum, cum ſingulorum, tum plurium etiam in eadem ſerie decurrentium, ſcripturam cuique ævo propriam, nec non inſtrumenta ſcriptoria demonſtrat; *Semiotica* vero, (*Diplomatiſche Zeichenkunde*) ſolemnia diplomatum ſigna recenſet & examinat. Ad *Formulariam* pertinet, verba & dictiones diplomatum ſolemnes enarrare, earumque ſtructuram & diſpoſitionem cuique ævo propriam explicare. Omnium harum rerum, nonniſi primas lineas in hoc libro ducere ſtudui.

*) Retinendam eſſe putavi hanc Artis Diplomaticæ partitionem, a GATTERERO primum adhibitam, de cujus bonitate ipſo uſu diuturno edoctus ſum. Contra vero diſplicet mihi etiam nunc Diplomaticæ in *theoreticam* & *practicam* diviſio, quam in præfatione ad introductionis hujus editionem primam jam repudiavi, & quam artis indoli parum convenire vel e collatione Diplomaticæ practicæ, quam nuper GATTERER edidit, cum Diplomatica ejus theoretica manifeſtum evadit. An OBERLINI V. C. methodus tabellaris, ad ſpeciem ſubtiliter Diplomaticam adumbrans, imitatores nacta ſit aliquos, neſcio. — GR. GRUBER, (*in Programmate didactico, ſuper optima methodo ſcribendi diſcendique artem diplomaticam*, Viennæ 1795. 4.) facilius multo diſpoſuiſſe videri poteſt, qui, retenta artis definitione GATTERERO propria, Diplomaticam quatuor ſectionibus voluit abſolui, ita, ut in *prima* tirones docerentur diplomata legere, in *altera* eadem intelligere, in *tertia* dijudicare, in *quarta* demum parte eadem adplicare, „ *permiſta continuo cum theoria praxi.* “ Hoc ergo, cum in parte qualibet fieri debeat, quæ adhuc neceſſitas partis quartæ eſſe poterit?

§. 26.

Qui libri cuique capiti illuſtrando & confirmando ſerviant, ſemper, ubi locus me mo- Bibliotheca diplomatica.

 nue-

nuerit, dicturus ſum. Plerique in BARINGII *Clave diplomatica* ad annum usque 1754. recenſiti ſunt, quorum catalogum ſuis ſpicilegiis ſuppleverunt continuaruntque H. G. FRANKE *a*), OBERLIN l. c. WILL *b*). Omnium horum opera in rem ſuam uſus eſt F. AUG. HUCH, († 1794.) ſcribendo: *Verſuch einer Literatur der Diplomatik*, *Erlang.* 1792. 8. Cujus libri ſectione prima, fata Artis diplomaticæ auctor proſecutus eſt, altera vero Bibliothecam diplomaticam adornavit, ſeu auctores, qui ſive de re diplomatica univerſe, ſive de ſingulis ejus capitibus aliquid ediderunt, interdum cum adjecta criſi, recenſuit. Decennio proxime præterito, opinionum conflictu & belli tempeſtatibus ſævo, pauci erant, qui Arti diplomaticæ nomina ſua dederunt, eratque illius proventus, ſi SCHOENEMANNI nuper admodum inceptum opus demas, quo auctor præſtantiſſimus noviſſima etiam artis opera complexus eſt, exilis, collatus cum ubertate ſuperiorum temporum. Qui magna & multa volumina horret, multorum lectione ſuperſedere poteſt, ſi BARINGII, GATTERERI, GRUBERI, SCHOENEMANNIque libris ſedulo & diligenter utatur: rem diplomaticam contra penitius ſcrutari nulli licebit eſſe tam felici, niſi in Bibliotheca bene inſtructa habitet, ad tabulariorum præterea penetralia admittatur, prudenterque utriusque frui poſſit beneficio.

a) Adjecta eſt hujus compendioſa bibliotheca diplomatica, HOFMANNI & OBERKAMPII lucubrationibus de re diplomatica. Lipſ. 1758. 4.

b) Vide hujus *Kleine Beyträge zu der Diplomatik und deren Literatur. Altorf.* 1789. 8.

DIPLO-

DIPLOMATICÆ PARS I. GRAPHICA.

CAPUT I.

DE LITERARUM SCRIPTURA.

§. 27.

Quamquam literarum usus, secundum Plinium tam vetustus est, ut de ejus determinata origine nihil quidquam constare possit: prope tamen ad verisimilitudinem accedit, inventionis literarum, humanum ingenium propemodum superantis laudem, Phœnicibus attribuendam esse. A Phœnis & Aegyptiis illarum cognitio ad Hebræos & Græcos, a Græcis ad Romanos, a Romanis tandem ad Germanos, reliquosque Europæ populos barbaros transiit. Ad Hungaros monachi itali germanique simul cum doctrina christiana illam propagarunt. Literarum inventio.

*) Initio non scribebantur verba, sed exprimebantur potius res ipsæ pictura qualicunque. Scriptura *realis* proinde, cum pluribus suis speciebus, multo antiquior *literali* est. Universe rem hanc egregie illustrarunt, ANT. JO. GOGUET, libro a juventute studiosa inprimis diligenter consulendo: *Von dem Ursprunge der Gesetze, der KK. und der WW. Th. I: S.* 171. & sequ. atque GATTERER in *Elementis Artis Diplomaticæ* §. 72. Quibus addi debet HEUMANNI *Conspectus reipublicæ literariæ*, re-

cognitus a I. N. EYRING. Hannoveræ 1791. 8. P. I. pag. 259 — 279.

**) Vetus eſt inter Hungariæ & Tranſſilvaniæ eruditos quæſtio: an Hungari ſacris chriſtianis nondum initiati, ac proinde priusquam alphabetum latinum quo nunc utimur adoptarunt, literas ſcripturæque literalis uſum tenuerint? Adfirmavit id omnium doctiſſime & pertinaciſſime, argumentis undequaque collectis, atque, præter morem ſuum, invidioſe adeo contra diſſentientes propugnavit, immortalis MATTHIAS BELIUS, in exercitatione, quam ſcripſit, de *vetere Litteratura Hunno - Scythica*. Lipſiæ 1718. 4. Aegerrime vero idem exemplis Scripturæ illius, quam *Hunno - Scythicam* appellabat, caruit, cujus ne minima quidem fragmenta, omni adhibita cura & animi contentione, in præmium magni laboris ſui reperire potuit: quamvis Bibliothecam ill. Collegii quod Debrecini eſt, librum hujusmodi, vetuſtis literis hungaricis, orientalium more a dextra ſiniſtram verſus ſcriptum, olim poſſediſſe narrent, fragmentumque libelli cujusdam aſcetici, vetuſtis hujusmodi characteribus deſcripti, literatiſſimus aliquando DAN. CORNIDESIUS amicis pluribus contemplandum obtulerit. (WALLASZKY *Conſpectus reip. lit. Hung.* p. 47.) Quid? Quod nuper admodum SAM. GYARMATHI V. C. in Grammatica linguæ Hung. (*Okoskodva tanitó Magyar-nyelv meſter.* I. Darab, Kolosváratt 1794. 8.) ſpecimen inſcriptionis parietinæ literis iſtius modi obſoletis conceptæ, lectorum oculis, inciſum ligno, exhibuerit. At enimvero omnium horum teſtimoniorum auctoritate rem ad liquidum deductam necdum eſſe oggerunt alii; cum ipſa adeo ſocietas erudita Hung. Debrecinenſis, in Grammatica lingv. Hung. (*Magyar Grammatika*, Bétsbenn 1795. 8.) quam eidem debemus, ſine ira & ſtudio inſcriptionem a Gyarmathio prolatam, hungaricis literis factam eſſe neget, interpretes vero illius GYARMATHI & KATANCSICH, (vid. hujus *Comment. de Iſtro ejusque adcolis*: Budæ 1798. p. 309.) ſe mire torquentes, argumentum illius vel maxime diſſonans & diverſum eruant, nec reliqua teſtimonia dubio omni majora ſint. Vulgarunt equidem Auctores etiam novi operis diplomatici, Tom. II. §. 53.

53. Not. D. & §. 159. Tab. XIV. duplex alphabeti veterum Hunnorum exemplum, quorum alterum ex HICKESII *thesauro* desumtum, aliquantum a Beliano diversum est, sed nullo de valore illius adjecto judicio, nisi esse illius cum Runico quandam similitudinem, id quod PRAJO etiam placuisse videtur, qui alphabetum Belianum ad Gothos Transilvaniæ aliquando incolas pertinuisse suspicatus est; (Conf. INNOC. SIMONCHICZ *Dissert. de Numismatica Hung. Diplomaticæ accommodata.* Vien. 1794. 8. pag. 112 — 115.) desiderante FRERETO (*Memoires de l' Académie Roy. des Inscriptions*, Tomo VI. pag. 618.) vel minimum cognationis nexum, spectatis literarum figura, ordine, nomine & potestate, inter alphabetum illud Hickesianum & omnia reliqua, quæ eidem aliquando erant cognita. — Ea certe, quæ THUROCZIUS, BONFINIUS, & OLAHUS narrant de bacillis ligneis, quibus Siculi Transsilvaniæ notas incidunt adhucusque, quibusque ad instar dicarum utuntur, ad adstruendam BELII hypothesin parum conferunt, ut adeo porro quoque digni vindice nodi remaneant: an Hungari ante admissam in Hungaria fidem christianam, revera proprios sibi literarum characteres, quos subinde adscitis latinis, in detestationem ethnicæ superstitionis dimiserunt, adhibuerint? Nonne potius hoc statuentes alphabetum quodpiam peregrinum perperam hungaricum esse sibi aliisque persuaserint? Distinxerintne porro auctores & defensores hujusmodi alphabeti acute satis scripturæ realis classes omnes a scriptura, quæ literalis est? Et si eisdem humani fortassis contigit aliquid, nonne exercitationes de *Literatura Hunno-Scythica* eodem loco habendæ sint, quo habentur Commentationes illæ, quæ de *Bibliothecis & Societatibus Scientiarum antediluvianis* scriptæ sunt?

§. 28.

Omnium ergo Nationum, quotquot adhuc cognovimus alphabeta, a punico, tamquam communi stirpe, suam trahunt originem. Nec obstat, ut exemplo aliquo utar, magna literarum hebraicarum a latinis diffe- Diversitas formæ literarum,

ren-

rentia; cum hæ non longius forma diſtent ab illis, quam a latinis ſcriptura Germanorum curſiva, certiſſime ab romana vetere deſcendens. Mutantur calami literæque ſicut pilei. Nobis ad literarum latinarum variationem tantum, quæ ævo medio contigit, attendendum eſt. Hanc, cum ratione connectendi literas inter ſe invicem, quæ itidem variabat, qui probe tenuerit; næ ille cujuſcunque ſæculi ætatis mediæ ſcripturas legere, atque de illarum ætate judicare poterit.

§. 29.

Quare alphabeti latini duntaxat ratio habetur?

Vix eſſe poteſt cuiquam obſcurum, quare Diplomaticæ præcipue Hungaricæ ſtudioſos, de variatione literarum latinarum tantum ſollicitos eſſe jubeam. Hungariæ enim Reges ad Joſephum II. (qui idiomati teutonico favebat) nullam niſi latinam linguam in diplomatibus conſcribendis admiſerunt, nec poſthæc aliam (niſi Hungaricæ iſte honor obtingat) facile admiſſuri ſunt. Characteres adhæc, quibus Hungari, Germani, Slavique noſtri utuntur, dum in vernacula ſcribunt, latinæ ſunt originis. Id una mecum doleas oportet, linguam hungaricam, numero, & ſvavitate, nec non verborum pondere, & flexionis facilitate, multis Europæ linguis anteponendam, ſerius & negligentius quam debuiſſet ſcribi colique cœptam eſſe. Antiquiſſima, quæ superſunt, ſtyli Hungarici ſpecimina, non ſine voluptatis ſenſu, a GE. PRAY ex vetuſto Codice ſæc. XIII. deſumta, in JO. SAJNOVICS *Demonſtratione idioma Ungarorum & Lapponum idem eſſe*, Tyrn. 1770. 4. p. 4. & *ſeqq.* & in RR. KOLLER — qui ipſemet co-

codicem eundem recensuit — *Historia Episcopatus Quinqueecclesiensis* Tom. I. p. 414. legeris *a*). Antiquissimum typorum hungaricorum specimen quod in Bibliotheca Pestana ostentatur, *Epistolæ S. Pauli* sunt, quas BENED. KOMIATI in gentis suæ idioma convertit, atque Cracoviæ 1533. 8. edidit. Idem ego antea pro *primo* etiam habui: est autem ætate multo superius illud, quod oratione & carmine sacro inventionem manus dextræ S. Stephani Regis celebrat, & quod Parochia Jegenyensis in Transsilvania possidet, utpote quod Norimbergæ jam anno 1484. typis expressum est *b*). In diplomatibus tandem & chartis, gentis Hungaricæ idioma, a solis, quantum memini, Transsilvaniæ sæc. XVI. & XVII. Principibus *c*), & privatis Hungaris *d*), ab utrisque vero rarius nonnisi, ut plurimum solœcismis & barbarismis inquinatum *e*), frequentius autem multo, quod mireris, a Turcis, populi Hungarici & libertatum ejus injustis & barbaris oppressoribus, fuit adhibitum *f*). Unicum diploma regium hungarice conscriptum illud est, quo Josephus II. an. 1789. die 18. Dec. Hungaris Comitia proxime indicenda est pollicitus. — *Germani* Hungariæ cives, sæculo XV. & prouti non temere suspicor maturius adhuc, literis contraxerunt dialecto ipsis propria *g*). Nec regum adeo ejusdem ævi, e. c. Elisabethæ Alberti regis viduæ, desunt literæ Germanicæ, quas vel Germanis jure civitatis hungaricæ gaudentibus inscripserunt, vel quæ ab illis, e. c. Matthia Corvino, ad vicinas Germaniæ provincias, ad Regni Hungariæ Coronam tunc pertinentes, datæ sunt. — *Bohemi* sæc. XV. sub auspiciis Giskræ ducis do-

mesti-

mesticis bellis, quibus Hungaria dilacerabatur, sese ingerentes, idiomati slavico inter majores nostros propagando permultum profuerunt. Vidi autographas literas privatas an. 1453. in Comitatu Scepusiensi bohemico idiomate scriptas; adsunt etiam Regum Hungariæ diplomata slavica *h*). Inter rariora denique antiquitatis hungaricæ monumenta pertinet, diploma S. Stephani *græcum*, quo monasterium sacrarum virginum in valle Vesprimiensi condidit transumtum a Rege Colomanno, expressum in PRAII. *Vita S. Elisabethæ viduæ & B. Margarithæ Virginis.* Tyrn. 1770. 4. p. 221.

a) Desumtum est specimen hoc, quod adhuc inventum est primum, e Codice missali membranaceo Bibliothecæ Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Posoniensis ad S. Martinum, inter liturgicos Nro. LXII. Judicio RR. KOLLERI idem circa finem sæc. XII. initiumve XIII. scriptus est: eademque erat PRAII, scrutatoris talium rerum sagacissimi (lib. cit. pag. 249.) de ætate illius sententia. Versus finem ibidem legitur: *Sermo sacerdotis super sepulchrum*, hungarice conceptus, brevis ille quidem, at si antiquitatem ejus spectes, usumque loquendi & scribendi Hungarorum, qui tum obtinuit priscum, ab hodierno non minus abhorrentem, quam stylus XII. Tabularum a stylo ævi Ciceroniani abhorruit, quam maxime memorabilis. Inter tot ergo, quot nunc Hungaria docta censet Doctores Linguæ & Literaturæ hungaricæ, optandum est, ut aliquis existat, qui e. c. munus Professoris sibi delatum adeat, scripto in parænesim illam funebrem docto & perpetuo commentario. Exordium ita habet: *Latiatue feleym zumtuchel mic vogmuc. Ysa pur es chomuv uogmuc. Menyi milostbem terumteue eleve miv isemucut adarnut etc.* — Digna est attentione & studio philologorum Hung. etiam *vita B. Margaritæ Virginis*, Regis Belæ IV. filiæ, cujus auctor ætate ad obitum illius proxime accedere videtur, & quam

ex

ex exemplari apographo, ſæc. ut ſuſpicatus eſt XV. PRAY lib. cit. pag. 251 — 377. edidit.

b) Teſtis eſt hujus rei loci Parochus (ANT. BARTALIS) in *Notitia Parochiæ Jegenyenſis*. Claudiopoli 1794. 8. pag. 122. 123. Carmen incipit: *o deuckeoſeeges zenth iob keez, mel'et magiar ohaitua neez, draagha genche neepeunknec, nag' eoreome ziueunknec. cet.*

c) Huc pertinent horum diplomata legum in Comitiis Tranſſilvaniæ latarum confirmatoria, quale illud eſt Joannis II. anni 1565. quod I. C. EDER V. C. in ampliſſima ſua diplomatum & ſcriptorum Hiſtoriam & Jus utrumque Hungariæ & Tranſſilvaniæ illuſtrantium collectione poſſidet. — GABRIELIS BETHLEN plura & ipſe legi protographa.

d) Inter literas familiæ de KAZA proprias, charta proſtat, quietantiam vulgo dicunt, Abbatis de Tyhon anni 1478. hungarice ſcripta, qua ego quidem antiquiorem nullam ſcio. Sæculi XVI. adeo chartæ hungaricæ raræ adhuc ſunt.

e) Immiſcebantur nimirum vocabula germanica, slavica, præcipue latina (inſpice *approbatas*, & *compilatas* etiam, *Conſtitutiones Regni Tranſſilvaniæ*) orationi & dictionibus hungaricis, flexione & terminatione ad leges Grammaticæ hungaricæ facta, id quod Germanis etiam haud ita pridem adhuc ſolemne fuiſſe notum eſt. Vidi recentioris ævi haud pauca diplomata, quorum prologus & epilogus latino idiomate ſcripti ſunt, hungarico textus reliquus. Sunt, quibus hodie puritatis ſtudium in loquendo ſcribendoque lingua patria jam nimium eſſe incipit.

f) In Hungaria & Tranſſilvania, inter alias dominationis Turcicæ reliquias, chartarum etiam, cum turcica tum hungarica dialecto ſcriptarum, tantus adeſt numerus, ut operæ omnino pretium faceret diligens ille Hungarus, qui *Diplomatarium Hungarico Turcicum* ederet. Videntur autem Turci, qui cum imperio in Hungariam mittebantur, ut plurimum Raſcianos Neogræcosque habuiſſe ab epiſtolis, feræ ſuæ dominandi libidinis interpretes.

g) Eſt mihi in manibus inſtrumentum originale germanicum anni 1416. ſtatuta & conſvetudines collegii textorum (*die Wollenweberzunft*) in tribus

Sce-

Scepusii urbibus, Leucsoviensi nimirum, Kesmarcensi & Leibicensi, in se continens; quod hic loci tam ob argumentum quod tractat, quam ob stylum, quo ineunte sæc. XV. Scepusienses usi sunt, commemorare debui.

h) Instrumentum illud slavicum vel potius bohemicum prostat, in copiosa rerum ad Historiam Hung. illustrandam pertinentium collectione, NIC. JANKOVITS viri spectabilis, antiquitatum Hungaricarum non minus periti quam amantis, cujus testimonio fidedigno id, quod paullo ante (not. d) de instrumento hungarico notavi, quo nempe nullum adhuc innotuit antiquius, nititur. Bohemiam attinent, quæ SOMMERSBERG in *SS. rerum Silesiacarum* vulgavit Regum Hung. e. c. Ludovici II. diplomata *bohemica*. In Tabulario tandem gentis Illyricæ, jam civitate Hungara donatæ, Carlovicensi, vidi auream bullam Stephani reguli Serviæ an. 1348. lingua & charactere literarum genti illi propriis exaratam; quo vero tempore dialectus *Croatica* simul esse cœperit diplomatica, id eruditis Croatiæ civibus definiendum relinquitur. — De instrumentis *Valachica* (romana rustica) conscriptis, nihil habeo, quod pro certo adferam.

§. 30.

Latini idiomatis late patens dominatio.

Etiam in alias Europæ linguas scholasticorum idioma sæviit, minus attamen, nec tempore tam longo, quam in Hungaricam, ut excusari non possint Ludovicus I. & Matthias Corvinus Reges, qui culturam & dignitatem idiomatis gentilitii negligentes, istud a sæva linguæ latinæ tyrannide tantum non penitus opprimi passi sunt: quemadmodum illa linguam *græcam* oppressit, quæ Siculis & Neapolitanis diutissime erat diplomatica, magna e sæc. XI. XII. XIII. diplomatum græce scriptorum copia in archivis utriusque Siciliæ adhucdum superstite; nec non *arabicam*, quæ in Hispania & Sicilia sub Arabum imperio in diplomatibus iti-

itidem viguit. Soli *Ruſſi a*), & qui præter hos ritu græco ſacra faciunt ab eccleſia latina diſſidentes *b*), diplomata latine ſcripta & olim ignorarunt, & adhuc ignorant, ſecuti Byzantinorum exemplum, e quorum re diplomatica ſub Phoca tyranno (602.) dialectus romana perpetuum exulare juſſa eſt. Inter Chriſtianos Romanæ eccleſiæ aſſeclas, *Angloſaxones* in Anglia primi erant, qui lingua ut dicebantur *laica*, chartas & diplomata ſcribere tentarunt, teſtantibus id documentis, quæ e ſæc. VIII—XIII. ſuperſunt. Ibidem a ſæculo XI. ad XIV. lingua Wilhelmi conqueſtoris *francica* cum anglica & latina de principatu quaſi contendebant, triumphante tandem vernacula, quæ edicto Eduardi III. 1362. forenſis & diplomatica facta eſt.— Pro vetuſtiſſimo inſtrumento, quod ſupereſt idiomate teutonico, GATTERER *c*) poſt WIGUL. HUNDIUM chartam habuit diviſoriam inter Waldeckios Bavariæ regionis dominos anni 1170; SCHOENEMANNUS contra *d*) nullum an. 1217. agnoſcit antiquius. Neque apud *Batavos, Hiſpanos Italosque*, diplomata nativa dialecto ſuperſunt, quæ ſæculum XIII. ætate anteverterent.— Lingua *Bohemica* ſæc. XIV. ad dignitatem diplomaticæ pertigit *e*); In Galliæ vero chartis veſtigia linguæ *romanæ ruſticæ* jam ſæculo IX. obſervantur: at lingua Gallorum hodierna diploma ſcriptum antiquius an. 1133. inventum nondum eſt. Quamvis autem ſubinde linguarum latinæ, francicæ hodiernæ, & romanæ ruſticæ in chartis & diplomatibus Galliæ uſus promiſcuus & arbitrarius fuerit: dominari attamen mox cœpit domeſtica, donec tandem latina, jubentibus ita Ludovico XII. præcipue

Fran-

Francifco I. Regibus, e foris & cancellariis regni Galliæ profcripta, gentilitiæ locum omnem cedere debuit *f*). — Omnium fcilicet populorum Europæ, quos barbaros Latium nuncupabat, idioma maternum, diu admodum, minus cultum minusque politum erat, magisque ab grata fermonis latini pronunciatione abhorrere videbatur, quam ut Grammatici illorum temporum fibi perfvafiffent, fieri poffe, ut illud vel alphabeti romani characteribus exprimi, vel artis legibus comprehendi poffet. Id quoque fortunæ, & propagationi linguæ romanæ ævo medio non parum profuit, quod clerici fuerint, armis agrique cultura aliis relicta, qui chartas defcribebant, atque Cancellariarum tenebant fubfellia. Habebant ifti linguam latinam fibi aliunde familiarem, cui ubique confervandæ & propagandæ, nunquam non omnem impenderunt operam.

a) Inde a cognito literarum ufu, Ruffis lingua nativa nunquam non fimul erat diplomatica; commemorantur ergo in annalibus jam fæc. X. tabulæ folemnes idiomate genti proprio defcriptæ. Originale, quod velut e fluctibus fuperiorum temporum fervatum eft, primum, alii circiter anni 1150. effe dicunt, alii (*Götting. Anzeigen* 1801. *St.* 35.) anni 1262.

b) Legi Regulorum Rafciæ fæc. XV. latinas literas, legi itidem Principis Moldaviæ & Valachiæ Radulii Michniæ diploma folemne anni 1617. hungaricum. Sunt vero hæc talia exceptiones nonnifi a communi regula.

c) Vide hujus *Commentationem de linguæ Germanicæ epocha diplomatica*, in *Commentat. Soc. Reg. Scient. Götting.* per an. 1779. Vol. II. *Götting.* 1780.

d) Facit vero hoc vir fagaciffimus, quantum adfequor, nequaquam temere. Vid. Ejusd. *Verfuch eines vollftänd. Syftems der Diplomatik. I. Bd. S.* 290. & fequ.

e) FR.

e) FR. CARL. ALTER *Beitrag zur praktischen Diplomatik für Slaven, vorzüglich für Böhmen, Wien* 1801. 8. *Vorbericht S.* XVIII.

f) Uberius hæc discussa sunt, in novo opere dipl. (*N. L. G. d. Diplom.*) VI. §. 504 — 527. quocum conferri debet SCHOENEMANN l. c. pag. 261. & sequ.

§. 31.

Variatio formæ literar. ab Augusti ævo ad nostrum usque.

Characteres literarum primos simplicissimos fuisse dubitari nequit. Tales Augusti quoque Imp. ævum tulit; quod uti de eo, quod elegans & pulchrum est, aptissime omnino judicabat: ita inferioris ævi obtorta, & fucata literarum forma, delectari potuit minime. Lineas ergo, quibus literarum partes, ætas romana incorrupta adhuc expressit, non inepte ductus literarum appellabimus *originarios* & *primitivos*, quibus opponemus *adventitios*, quorum accessione temporis progressu literarum species, a prima sua simplicitate continuo magis magisque degenerans, tandem in crispatam monstrosamque illam, opinione ævi barbari elegantem, formam descivit, quam vulgus *gothicam* appellat, & quæ in scriptura Germanorum hodieque, dum vernacula scribunt, est conspicua. Stupendus ille labor erat, quo alphabeta pleraque omnia cum veteris tum inferioris ævi delineata, inprimis autem literarum latinarum mutationes & vicissitudines sigillatim, prolixius forte & operosius quam optes, adumbratas *a*) in novo opere diplomatico cernimus. Scopo, quem in hoc libro propositum habeo, suffecerit alphabeti latini illas metamorphoses cognovisse, quas Tab. I. exhibet; usus instrumentorum originalium, cuique in talia penitius inquirenti, plu- Tab. I. Nro. 5.

ra dabit, in ſcholis vero ſupplebit tabellam illam literarum latinarum genealogicam, reducendo illam ad Auguſti usque ævum, fidelis juventutis, annisque & captui ejus accomodata inſtitutio.

a) Vid. *N. Lehrg. d. Diplom. II.* §. 162. — 439. III. §. 1. & ſequ. cum Tabulis æneis huic Tomo annexis XX — XXIII.

§. 32.

Literæ 1) majuſculæ, 2) minuſculæ.

Dividuntur literæ in *majuſculas* & *minuſculas*. Hæ ab illis non tam magnitudine, quam ductuum, e quibus coaleſcunt, forma diſcrepant. Majuſculæ lineis rectis acutisque diſtinctæ, *Capitales* appellantur; quæ ſi a celeritate in ſcribendo, cui lineæ curvæ præ rectis opitulantur, rotundam nanciſcantur ſpeciem, *Uncialium* paſſim cognomen accipiunt, quarum formam & a capitalibus diſtantiam, facile, ut reor, quisque concipit. An vero novem duntaxat Uncialium habitum poſſint induere, quod PP. Benedictinis viſum eſt; (Tom. III. §. 33.) vel duodecim præciſe, quod mihi etiam antea præeunte GATTERERO placuit, vel plures adhuc? In id vero longius inquirere, ni docte nugari lectoribusque nauſeam movere velim, operæ pretium non eſt.

§. 33.

Minuſculæ a), minutæ b), curſivæ.

Minuſculæ, vel nexu inter ſe continuo ſcriptæ ſunt, vel ſine omni connexione ſubſiſtunt. Has *minutas*, illas *curſivas* appellare placuit. Curſivis, dum calamo ſcribimus utimur; conveniunt minutæ cum hodiernis typographorum literis. Ex quadruplici hac litera-

rum

rum forma, quadruplex etiam ſcriptura exiſtit: *Capitalis*, *Vncialis*, *Minuta*, & *Curſiva*, quarum quælibet vel *pura*, vel *mixta* eſſe ſolet.

*) JUST. LIPSIUS, RICHARDUS SIMON, & plerique omnes archæologi ſuperioris ævi, veteribus Romanis, ad incurſiones usque barbarorum, non niſi majuſcularum literarum uſum fuiſſe cognitum, contendunt. Hæc ſententia jam hodie placere nulli poteſt; etenim præter ſcripturam majuſculam, etiam minuſcula uſos fuiſſe Romanos veteres, evictum eſt.

§. 34.

In Hungaria 1.) Diploma nullum proſtat omnino deſcriptum literis majuſculis, quæ quidem in diplomatibus Angliæ ante ſæc. VIII. in Galliæ vero, Germaniæ atque Hungariæ chartis atque diplomatibus nunquam dominatæ ſunt. Contra vero

Epochæ iſtarum literarum in Hungaria.

2.) Inſcriptiones operum artis e. c. ſigillorum, lapidum, cet. ad ſæc. uſque XV. factæ ſunt literis majuſculis. Minuſculis literis factam perigraphen vidi in ſigillis Eliſabethæ reginæ, Wladislai I. Joannis Hunyadi, & Matthiæ C. ſecreto. In numis Hung. majuſculæ nunquam non ſunt adhibitæ *a*).

Tab. V. Fig. 9.

3.) Fuiſſe aliquando uſum aliquem etiam *literarum longiorum* in diplomatibus domeſticis, exemplo ſunt literæ S. Stephani an. 1001. in quibus verba verſus primi, invocationem Dei regisque nomen & titulum exprimentia, nec non ſubſcriptio, longioribus literis, minuſculis attamen, quibus paucæ duntaxat majuſculæ interjectæ, deſcripta ſunt. Eundem morem ſecutus eſt Notarius Andreæ I. in hujus, quod unicum a Rege iſto ſupereſt, protographo an.

 1055.

Tab. II. Nro. I. 1055. nisi quod in hoc diplomate literæ graciles in longum protractæ eæque majusculæ lineam primam integram occupent; in S. Stephani vero, post Regis titulum, in primo versu adhuc prologi verbis aliquot, charactere quem reliquus contextus habet scriptis, locus datus sit. In literis Andreæ II. quæ vidi tribus quatuorve, eandem hanc observavi lineam primam absolvendi consvetudinem, in quibus attamen longiores literæ jam cum auspicii formula desinunt; eademque ista formula, cum regio BELÆ (IV.) nomine, in hujus diplomate anni 1252. bulla aurea corroborato, singulari elegantia coloreque diverso, literis non jam amplius longioribus, majoribus attamen & rotundis picta est. (Vid. sequ. §. 46.) Subinde sola initialis nominis regii, sæpius initiales etiam regnorum quæ in titulo recensentur, reliquis eminentiores sunt *b*), constructæ & intricatæ, ut vix agnosci possint, ad leges gustus gothici (Germanis: Fractur,) cujus formæ literis sæc. XV. interdum primus ordo diplomatum continuo scriptus est, quarumque usus in bullis vel novissimis summorum Pontificum est adhuc aliquis.

Tab. II. Nro. I. 2. 3. 4.) Literæ minutæ, quantum e paucissimis, quæ nobis e sæc. XI. & XII. supersunt, chartis autographis, atque analogia cum exterorum chartis *c*) judicare licet, ad Andream II. immo Belam usque IV. præ cursivis dominatæ sunt, irrepentibus subinde in diplomata continuo majori numero cursivis, donec tandem (Tab. II. Nro. 4. 5.)

5.) Ab exitu inde sæc. XIII. scriptura (minuscula) cursiva ceu jure postliminii, cum antea jam sæc. V. & VI. in antiquissimis, quæ supersunt, chartis, fuisset dominata, denuo

regna-

regnare cœpit, admixtis eidem rariuſcule e. c. in principio capitum & verſuum, literis alterius ſpeciei.

6.) Character ſcripturæ iſtius curſivæ ille eſt, quem ſæc. XVI. *longobardicum*, ſubinde *gothicum*, id eſt *barbarum*, dixere, quem vero rectius *ſcholaſticum*, ſeu *neogothicum*, etiam *monaſticum*, appellaveris. Sæviebat hoc cincinnatum, apicibusque otioſis deforme ſcribendi genus ſæc. XIV. & XV. in omnes literarum ſpecies, cum in diplomatibus publicis, tum *inprimis* in chartis privatorum librisque manuſcriptis, & artis operibus *d*), placuitque Europæis non minus, quam habitus ædificiorum templorumque, quæ ex illo tempore ſuperſunt, gothicus, cujus magna eſt ſimilitudo cum literarum neogothicarum ſpecie. Abſterſit ſquallorem hunc tandem de notis alphabeticis, quem ævo barbaro contraxerant, ars typographica; impediri tamen non potuit, quo minus in ipſos typos adeo, gothicus ille horror irreperet, ut veteres editiones ſæculi adeo jam XVI. librorum de jure utroque, Scholaſticorumque argutiis palam faciunt. Tab. III. Nro. 12.

7.) Excipi ab hac regula debent ſolemnia nonnulla diplomata Caroli Roberti & Ludovici I. Regum ſæc. XIV. in quibus ſcriptura, *Italicæ*, quam dicunt, elegantiam ſectatur, traductis nimirum in comitatu illorum Regum melioribus ſcribis, e regno Neapolitano in Hungariam *e*).

a) Conf. Tabulæ æri inciſæ, quibus *Notitiam Rei numariæ Hungaricæ* Budæ 1801. 4. illuſtravit STEPH. SCHOENVISNER, Abbas RR.

 b) Vidi

b) Vidi diplomata regia sæc. XIII. in quibus prima nominis Regii diploma exordientis litera deest; vidi in Tabulario urbis Sopronienfis instrumentum Belæ IV. 1269. in quo nomen & titulus Regis ita expressa sunt: *ela Dei gratia, ungarie, almatie, roatie, ame, ervie, allicie, odomerie, umanieque rex.* Negligentiæ, vel etiam defectui callographorum, quos passim distingui a communibus scribis meminimus, & quorum intererat initiales literas reliquis ornatius depingere, hiatus isti debent tribui.

c) GATTERER *Elementa* A. D. §. 73.

d) In calicibus, patinis, campanis cet. inscribendis, artifices multum exercuerunt ingenium male sedulum. Inscriptiones in metallo factas charactere gothico, difficillimas lectu semper expertus sum.

e) Vidi legique hujusmodi diplomata ex archivo Comitum de BALASSA, possessionem dynastiæ *Kékkö* attinentia. conf. *N. Lehrgebäude d. Dipl.* T. III. §. 172. & GATTERERI *Elem.* §. 73.

§. 35.

Literæ i & y. Ad literarum confusionem evitandam, exeunte sæc. X. litera i accentu acuto (í) notari cœpit, circa sæc. XIII. vero finem puncto etiam identidem distincta deprehenditur. Hinc tria i (ı, í, i.) haud raro in iisdem chartis recurrunt, duravitque hæc scribendi ratio instabilis ad medium usque sæc. XVI. ex quo tempore solum i puncto notatum restitit. — Ab antiquissimo porro inde tempore *a*) litera y (hoc charactere i geminatum scribebant ævo intermedio) sæpius punctis uno vel duobus superne notabatur, ad discernendum eam ab u, præseferente sæpe eandem speciem. Sæculo XV. hæc consvetudo, ceu jam minus necessaria dimissa est. Sæculo XII. & XIII. circello u interdum notatum observatur, unde in scriptura germanica semicircellus literæ u imponendus, sine dubio suam trahit originem. Id adhuc monere debeo,

debeo, exſtare non pauca ævi veteris inſtrumenta, in quibus literæ i & y non a prima manu, verum ſerius accentibus & punctis notatæ ſunt. Fecerunt hoc paſſim imprudentes hujusmodi chartarum poſſeſſores, & illarum cuſtodes, ad facilitandam ſibi illarum lectionem, immemores, quantum momenti vel exile puncti ſignum, ad firmandam vel refellendam diplomatum ſinceritatem ſæpe habeat.

a) Conf. GATTERER *de methodo ætatis Codd. MSS. definiendæ*, in *Commentat. Soc. R. Scient. Götting.* Vol. VIII. p. 107.

§. 36.

Subjungam huic capiti ſequentia axiomata: Conſectaria.

1.) Omnium ſcripturarum eſt aliqua inter ſe cognatio, regreſſusque continuus in iſtarum genealogia, a nobis ad prima & antiquiſſima usque monumenta quæ ſuperſunt, eſt poſſibilis. Vana proinde ſunt HARDUINI, de impoſtoribus, quos ſæc. XIII. affingit, ſomnia.

2.) Inter prima & præcipua antiquitatis & ſinceritatis criteria, genus characterum pertinet, quo monumentum aliquod ſcriptum eſt.

3.) Primo ſoloque obtutu agnoſcere ac definire velle ætatem ſcripturarum, ceu annos prætereuntium nos hominum, lubricum eſt.

4.) Cum literarum characteres vario tempore varii fuerint, neceſſe eſt, ut ſcripturæ certæ quædam conſtituantur periodi, utque dividantur in ſua genera.

5.) *Linnaeismo* GATTERERI *graphico*, quem ſubtilius adhuc elaboratum cum PP. Benedictinis communem habet, plus ineſt doctrinæ &

ſubtilitatis, quam utilitatis, majorque nominum, quam rerum copia.

6.) Ridiculum eſt ſcripturas ſecundum ſæcula partiri, velleque cuique ſæculo diverſam ſcribendi rationem attribuere. Quis enim ſanus in annum 1801. novam ſcripturæ epocham defigat, quod idem novi ſæculi primus eſt?

7.) Ipſa adeo ſcriptura ejusdem hominis diverſo tempore diverſa eſſe poteſt. Magnus in ſcripturam hujusque varietatem, vel calamorum & atramenti diverſi influxus eſt; multo majorem vim ætatis & morborum in manuum robur ac imbecillitatem experimur. Caute ergo ſcriptorum comparatio, ad veritatem & antiquitatem enucleandam (*verificatio*) debebit inſtitui.

*) *N. Lehrgebäude d. Dipl.* Tom. III. §. 55. & *ſeqq.*

CAPUT II.

DE VOCABULORUM SCRIPTURA IN DIPLOMATIBUS OBSERVATA.

A.) De ſcribendi ratione ævi medii (Orthographia).

§. 37.

Cauſæ neglectæ Orthographiæ.

Ætate media, quum bonæ artes omnes, antiquitatisque ſtudium ſepulta jacerent, Gothique & Longobardi proprii idiomatis fæce & dialecto, linguam latinam temerarent, atque barbaro ſuo ore linguam latinam loquerentur atque ſcriberent, utique neceſſe fuit rectam etiam ſcribendi rationem, ſeu *orthographiam*, corrumpi atque temerari. Neque tamen ævum illud, omni prorſus ſcribendi lege caruit; quod ſuſpicari, conſtans quædam ſcripturarum, ætate

te parium, ſimilitudo & conſenſio prohibet. Neglecta certe orthographia in vetuſtis membranis non ut earundem fidem infringat, eandem non leviter confirmat potius.

*) FONTANINI *Vindiciæ antiquorum diplomatum* p. 104.

§. 38.

Errandi modus triplex.

Inficiebatur vero tribus modis accurata illa veterum ſcribendi ratio, per *adjectionem*, *detractionem*, & *commutationem* literarum, propullulantibus innumeris, ſæpenumero lepidis, in ſcribendo erroribus, præcipue ex barbara latina vocabula pronunciandi ratione, quæ adhæc pro diverſitate gentium & dialectorum barbararum omnino diverſa eſſe debuit, linguæque latinæ ſupina ignorantia.

§. 39.

Adjectio literarum.

Pronunciatio vocabulorum latinorum, ſæculis barbaris propria, diſtento interdum plenioreque fiebat ore, atque literarum adjectionem in ſcripturam induxit, cui grammatici ævi adhuc romani intercedunt, & cujus neque hodie in pronunciando quisquam inter nos uſus eſt. Specimina, adjectionis literarum ejusmodi otioſæ, ſunto: *michi*, *nichil*, *habundare*, *heremita*, *perhennis*, *habeis* pro *ab eis*, *interhemit*, *hÿs* pro *his*, *hoſtia* pro *oſtia*, *Hungaria* pro *Ungaria* ſeu *Ungria*, *Hauſtria* pro *Auſtria*, *ſuper hetera* pro *ſuper æthera*, *columpna*, *tamptum*, *temptatio*, *dampnum*, *conſumptus*, *Zemplin* pro *Zemlin*, *auctum* pro *actum*; quo etiam conſonantes duplicatæ in principio verborum *Lladislaus*, *Llewchovia*, *ffamiliaribas*, *fferdinandus* cet. referendæ ſunt.

§. 40.

§. 40.

Detractio literarum.

Idem os gothicum interdum se contraxit arctius; hinc detractio literarum, in vocabulorum scriptura accidit, quæ potissimum in verbis, in quorum medio litera geminanda esset, observatur, e. c. *eicit*, *reicit*, *anulus*, *elemosyna*, *consuerunt* pro *consueverunt*; item *poplo*, *domni*, *dinoscitur*, *caracter*, *exortor*, *exilarat*, *actenus*, *ypotheca*, *Spania* pro *Hispania*, *Storia* pro *Historia*, *edis* pro *hædis*, *orreis* pro *horreis*, *esterno*, *erbosa*, cet.

§. 41.

Commutatio literarum.

Literas porro, quarum pronunciatio aliquid similitudinis habet, sæpissime inter se esse commutatas, diplomata vel leviter intuenti facile apparebit. Scriptum namque sæpissime legimus: *optineat*, *Kloria*, *set*, *karissimus*, *Karolus*, *atfero*, *charte*, *æcclesie*, *memorie*, *ymo*, *pocius*, *prether*, *iobemus*, *cognuscat*, *gracia*, *redemcio*, *ydoneus*, *indiccio*, *Danuuius*, *cottidianus*, *multipharios*, *phas* pro *fas*; *ecus* pro *equus*; *longincum* pro *longinquum*; *dyw* pro *diu*; *defastare* pro *devastare*; *præsbyter*, *ydiote*, *ryuulus* *Wana* pro *Bana*; *secuntur* pro *sequuntur*. *Omode* pro *Amade*; *Apor* pro *Opor*; *Orod* pro *Arad*; *Beszprim* pro *Veszprim*; *Budrug* pro *Bodrog*; *Comani* pro *Cumanis*, *Wulgaria* pro *Bulgaria*; cet. Hæc omnia, & ut postea ostendam adhuc majora, sermo latinus per Francos, Gothos, Longobardos cet. passus est.

*) Fuit aliquando tempus, quo verba diplomatum & codicum nexu describebantur continuo, nullo vel tantillo spatio inter duo verba relicto. Facilis hac

hac ratione lectio nimium quantum impediri debuit; quare subinde secreta sunt vocabula a se invicem. Evenit autem ignorantia scribarum, ut secretionem hanc sæpenumero instituerent præpostere, adjungentes vocabulo vicino literam unam vel plures, de prima vel postrema syllaba verbi alicujus decerptas, ut: *bonorum eorum* pro *bonorum meorum*; *dictari debes* pro *dicta ridebis*, cet. *Annexionem* hanc literarum & syllabarum ineptam, nonnulli e. c. FONTANINI l. c. novum eumque *quartum* esse dixerunt modum deflectendi a recte scribendi legibus.

§. 42.

Sequentium observationum generalium, in dijudicanda scribendi ratione ævi medii, ac proinde in secernendo etiam diplomata vera a falsis, permagnus usus est: Observationes generales.

1.) Quo magis ratio scribendi in chartis ævi intermedii hujus ruditatem & Notariorum imperitiam sapit, eo major, ceteris paribus, chartarum fides est.

2.) Inter chartas illius ejusdemque ævi aliæ aliis correctius, & ad orthographiæ leges accommodatius scriptæ sunt. Quo magis scilicet interdum monachus scriba dexteritate & doctrina præstabat aliis, eo etiam scribebat illis emendatius.

3.) Orthographia in uno eodemque instrumento interdum diversa est; imprimis autem

4.) Nominum propriorum scriptura omni tempore & inter omnes populos varia fuit & inconstans. *Colomanni a*) certe, *Geysæ b*), & *Emerici c*), immo & *Stephani d*) regum Hungariæ nomina, tam varie inflexa, obtorta, & terminata occurrunt, cum in annalibus & numis, tum in diplomatibus, ut mirum non esset,

ſet, ſi quiſpiam peregrinus in ſerie regum Hungariæ illius ævi, cum novo nomine novum etiam regem ſibi detexiſſe videretur. Nec in *locorum* & *urbium* nominibus exſcribendis ſibi magis conſtant ævi intermedii monumenta. Fuit autem ſcribarum hæc inconſtantia in Hungaria major adhuc, quam alibi, ubi in tot nationum, quæ regnum a primordiis ſuis incolebant, confluxu, ſcribarumque e provinciis vicinis colluvie, nominum præcipue propriorum pronunciandi & ſcribendi ratio incerta & inſtabilis eſſe debuit. Diverſimode ergo e. c. *Süinegh*, *Szabolts*, *Szegſzard e*), cet. ſcripta ſunt. *Kesmarci* vero nomen plusquam viginti modis variatum legitur; occurrit namque ſcriptum: *Kesmarkt*, *Kaſzmark*, (*Caſeoforum*, *Cæſareoforum*;) *Kaismarkt*, *Kaiſersmarkt*, *Kesmarg*, *Kezmarg*, *Kesmargkt*, *Kesmarkth*, *Kezemargk*, *Kazmarek*, *Kezmark*, *Kasmarkh*, *Kiesmarck*, *Kesmarc*, *Kasmarc*, *Kazmerk*, *Kiersmark f*). Scilicet ſecundum variarum linguarum genium, & populi mores, nomen unius hominis, & loci, nonnunquam diverſis modis efformatum, terminatum aut conſciſſum audiebatur & deſcribebatur. MURATORI *Antiqu. Ital. med. ævi Tom. III. p.* 746.

Tab. II. Nro. 3. 4. 5. 5.) Diphthongus *ae*, ex chartis ſæc. XIII. XIV. immo & XV. *conſtanter fere* exulat, (exempla certe in contrarium ab unius alteriusque ſigilli inſcriptione deſumta rariſſima, e diplomatibus prolata, nulla prorſus ſunt) dominante *e* ſimplici; cui ſæc. XI. XII. in diplomatibus e. c. S. Stephani 1001. interdum hæc nota ę in antiquiſſimis codicibus jam occurrens, ad diphthongi poteſtatem denotandam ſubjuncta eſt. In

(Margin: Tab. III. Nro. 1.; Tab. II. Nro. 1. 2.)

eodem

eodem diplomate diphthongus ae coarctata (æ) pluries recurrit, quæ coarctandi ratio in numis romanis, nec non codicibus antiquioribus, immo in sigillis etiam quibusdam perpaucis post annum 1072. in diplomatibus vero nuspiam observata est a Mabillonio & ejus sodalibus *g*). Est autem verisimile, compendiose scribendi studio, *e* simplex in libris scholasticorum substitutum fuisse duplici; mox vero ad diplomata etiam solemnia, sigillorumque inscriptiones diligentissime factas, diphthongi loco admissum, turpem illius ævi prodit ignorantiam.

6.) Verba origine græca erronee communiter expressa sunt.

7.) Non desunt e. c. codices ævo isto barbaro ad leges orthographiæ diligentius, quam putares, descripti, quos ex antiquioribus aliis, scribendi ratione antiqua eaque rectiore retenta, religiose desumtos esse, caret dubio.

a) DAN. CORNIDES *Genealogia Regum Hung. qui sæc. XI. regnavere.* Poson. 1778. 4. p. 105. 6.
b) JOS. KOLLER *Commentarius de Sacra Regni Hung. Corona*, Quinqueeccl. 1800. 4. pag. 66.
c) ST. KATONA *Historia critica Regum Hung.* Tom. IV. p. 460.
d) *Ungrisches Magazin Bd. III. S.* 367.
e) CORNIDES l. c. p. 349.
f) Conf. *N. Lehrgebäude d. Dipl.* T. VI. §. 498.
g) MABILLON. l. c. p. 59. *N. Lehrgebäude d. Diplom.* *V.* §. 152.

§. 43.

Observationes speciales.

In re diplomatica Hungarica speciatim porro observare convenit:

1.) In diplomatibus domesticis sæc. XIV. XV. XVI. literam s sæpissime poni pro sch, pro s vero usurpari z; in cujus locum postea substitue-

tuerunt ſz. e. c. *Genges*, *Kuesd*, pro *Gyöngyös*, *Kövesd*, in quibus s ad inſtar Græcorum σχ effertur. *Zylffa*, *Bornemyza*, *Zarazwelgh*, *Zengurg*, ab Hungaris hodie ſcribuntur: *Szilvaſa*, *Borneniſza*, *Szárazvölgy*, *Szentgyörgy*, cet.

2.) Antiquiores Hungaros geminaſſe in multis vocabulis vocales, per quod ſignificabant, ſyllabas eſſe producendas, e. c. *Kaald*, *Baach*, *Zaaz*, *Chaak*, Zent *Paal*, *cet.*

3.) Accentus in Scriptura Hungarica circiter exitum ſæc. XVI. adhiberi cœptos eſſe; (PRAY in *vita S. Eliſabethæ* p. 250. not. A.) Editio certe Bibliorum in vernacula princeps, (Viſolban, 1590. Fol. interprete CASP. CÁROLI) jam accentus habet.

4.) Uſos füiſſe literis Ch vice Tſch vel Tſ. ut *Chitnik*, *Chetnek*, *Cheterteklhel*, *Chazar*, *Chwda* pro *Tsuda*, &c.

5.) Nomina patronymica originis Serbicæ & Croaticæ hodie in *its* deſinentia, ſæç XV. XVI. in th deſinunt, ut *Keglewith*, *Bakyth*, *Stanſith*, *Petrowyth* &c.

6.) Eodem tempore pro gy in verbis hungaricis ponebant gh e. c. *Nagh*, *Haghmas*, *wewlgh*, cet. ſæc. XIII. exmiſſo h & y ſcribebant: *Mogorfalw* pro *Magyarſalu*, *Kemenvelg* pro *Keményvölgy* cet.

7.) Iidem loco diphthongi ö adhibebant literas ew, e. c. *Gewmer*, *Gewr* pro *Györ*; *Tharkew*, *Pelſewz*, *Werbewz*, *Zewlewſy* de *Ewrs*, *Kiralewrdewye*, cet. In MSS. ſæc. XVI. pro ö vidi o cum commate ſuffixo poſitum.

8.) Ab iisdem vocalis *u* in vocabulorum medio communiter geminata eſt: e.c. *Twra*, *Bwda*, *Hwnyad*, *Dlwgoſch*, *Hwzythe*, *Thwrcas* cet.

9.)

9.) Orthographia linguæ Hungaricæ non nisi exeunte sæc. XVII. & ineunte XVIII. studio inprimis JO. TSÉTSI ad certas regulas revocata, constansque facta est. (PETR. BOD in præf: præmissa Dictionario FR. PÁRIZ PÁPAI, Cibinii 1767.) Nec magis possunt veteres linguæ illius reliquiæ, ubique & continuo de litera ad literam legi, quam verba scripta linguarum Francicæ Anglicæve, ni monstra in verborum scriptione & pronunciatione quærere ac invenire velis.

*) Conf. TIMON. *Imago novæ Hungariæ*. Cap. II.

B.) *Brachygraphia, seu Doctrina de Abbreviationibus.*

§. 44.

Ad inconstantem illam ac vitiosam ævi medii scribendi rationem accesserunt, in vocabulis describendis, infinita adhuc scripturæ compendia, seu *abbreviationes*, quarum ævum illud, ob typorum defectum, scribarum impatientiam & paucitatem, materiæque in qua scribebatur præstantiam, omnino erat feracissimum. Equidem nec Græcis & Romanis, nec orientis populis scribendi compendia ignota aliquando erant, neque diplomata ad sæc. XII. ab iisdem sunt prorsus libera: scholasticorum attamen inprimis solertia factum est, ut post sæc. XII. in immensum illorum creverit numerus, dominante in Scholis & Academiis prava lectiones dictandi consvetudine, clericis vero, seu scholasticis, verba magistrorum præcipiti penna adsequi anxie contendentibus *a*). Cum clericis e scholis illius ævi in regum & principum aulas

Abbreviationes quare adhibitæ?

aulas compendioſe ſcribendi ille modus, atque in diplomata publica privataque tranſiit, qui in iſtis circa finem ſæc. XV. derelictus, in operibus Theologorum & Jureconſultorum, nec non Medicorum etiam circa annum 1500. immo ſerius etiam, typis adeo jam expreſſis, non minus quam in MSS. ſæc. XIV. & XV. fœde dominatus eſt.

Tab. III.

a) *La Diplomatica* di TROMBELLI pag. 112. & ſequ.

§. 45.

Modi, quibus oriebantur.


Oriebantur autem abbreviaturæ: 1) ex literis coarctatis, 2) omiſſis; & quidem vel ſine diſcrimine, addito tamen omiſſionis ſigno aliquo, (*abbreviaturæ propriæ dictæ:*) vel ita, ut initiales ſive primæ literæ retinerentur equidem, ſed ſine omni omiſſionis ſigno. (*Siglæ.*) 3) e literis coarctatis, & omiſſis ſimul; ex quo modo contrahendi, *notæ Tironis* ſeu *Tironicæ* natæ ſunt.

§. 46.

Abbrev. ex literis coarctatis.

Literis coarctatis, Romani ævique medii ſcribæ, ubi ſpatii anguſtia, literas vocabuli alicujus ſingulas non capiebat, uſi ſunt. *Coarctari* enim tum dicuntur, cum duæ pluresve literæ, ita in anguſtum coguntur, ut unius tantum literæ ſpeciem præ ſe ferant, aut unius etiam literæ ſpatio contentæ ſint. Diverſi, quibus id fiebat, modi, ad quatuor revocari poſſunt *a*). Coarctabantur nempe 1) *contignatione*, e. gr. Æ, TE, VT, MR, AE pro ante, AR pro Aurelius 2) *innexione* ſeu implexione, e. c. ST 3) *inſertione* P H 4) *columnatione*, quem modum in ſolemni diplomate

mate fundationis Præpoſituræ Thurocʒienſis Belæ IV. regis an. 1252. obſervavi, in quo verba invocationis divinæ, nec non nomen Regis, literis columnatis ſcripta ſunt, in hunc modum:



(In nomine ſanĉte Trinitatis & individue Unitatis amen. Bela)

a) Vid. GATTERER. *Elementa artis dipl.* p. 47.

*) Vocula *et* ætate media coarĉtabatur varie; adhibebatur adhæc coarĉtata, ad vocabula exſcribenda, quorum partem aliquam ſyllaba *et* conſtituit, e c. *hab&*, *r&in&*, *poſſid&*, qui modus ſcribendi in diplomatibus domeſticis, e. c. S. Ladislai pro PP. Benediĉtinis S. M. P. achrono, non infrequens, in confinio ſæculorum XII. & XIII. dereliĉtus eſt.

§. 47.

Dum literæ aliquæ, ſive in principio, ſive in fine, ſive denique in medio vocabuli, ſine diſcrimine omittuntur, omiſſionis ſigno addito, *Abbreviaturæ* adſunt *proprie ſic dictæ*: e. c. st' ſunt; nb̄ nobis; 9ſeſſū conſeſſum; ep̃s epiſcopus; kma & cariſſima; v° vero; b³ bus; nra noſtra; tam³ tamen; 9tulim⁹ contulimus; 9° commiſſio; cet. quarum tantus in chartis atque codicibus ſæc. præcipue XIII — XV. cenſetur numerus, ut omnino ſufficiat ſæpius, ad repellendos puſillanimes atque ignavos, a graviſſimarum rerum lectione & intelligentia. Quid? Quod in ſolvendis iſtis nodis adhæſerint interdum illi adeo, qui in hoc artis genere erant exercitatiſſimi. (*N. Lehrg. d. Diplom. III.* §. 104.) Paucæ, quas

Abbreviaturæ proprie ita dictæ.

Tab. I. Nro. 7. quas Tabula I. abbreviaturas exhibet, e chartis domesticis ſæc. XIV. & XV. deſumtæ, tironum in gratiam collectæ ſunt.

§. 48.

Regulæ in legendis Abbr. obſervandæ.

Plerique, quorum tabulas antiquas legere, ac proinde abbreviaturas ibidem obvias reſolvere intereſt, uſu & exercitio diuturno legendi hanc artem ſibi propriam reddere conſueuerunt, de regulis generalibus, quarum complexus ſyſtema abbreviaturarum conſtitueret, lectionis veritatem confirmaret, improbumque illum laborem quodammodo facilitaret, nihil ſoliciti. Sed quærere ſuo jure poſſet aliquis: ſyſtema hujusmodi exſtetne aliquod? Equidem ego, qui abbreviaturas ævi intermedii, cum Hebræorum ſcriptura vocalium punctis deſtituta, hæc vero cum ſignis omiſſionis comparare ſoleo, illarum theoriam, ſaltem relate ad diplomatum ſcripturam, poſſibilem eſſe jam pridem perſvaſus ſum; perfectam vero inter deſideria adhuc refero diplomatica: quamvis me non lateant eruditi conatus CONR. MANNERT, Profeſſoris Altorfini, Scriptoris Geographiæ antiquæ præſtantiſſimi, qui condendi hujusmodi ſyſtematis abbreviaturarum, nuper felix fauſtumque aliquod fecit initium *a*). Hoc usquedum uberius perficiatur, uſum, optimum adhuc legendi magiſtrum, porro quoque conſulamus, adhibitis regulis uſu abſtractis, uſuque roboratis. En tibi iſtarum aliquas:

1.) Contractionis in ſcribendo, uti nunc obſervantur, ita ætate quoque barbara regulæ quædam obſervatæ ſunt. Hinc factum eſt ſine dubio, ut eodem tempore literæ ſyllabæque

aliæ

aliæ conſtanter exprimantur, aliæ conſtanter deſint. Exempla huic regulæ adverſa, aut calami errores ſunt, aut ſcripturæ ſcholaſticorum talium, qui ſine certa lege promiſcue decurtarunt omnia.

2.) Differunt omiſſionis ſigna. Præter lineolas enim, ſive transverſas, ſive perpendiculares, ad modum *s* formatas, adhibebantur ad ſcribendi compendium indigitandum etiam literæ, notæ numerales, ductus arbitrarii, vocula *et* coarctata (&), cet. Exempla (§. 47.) ubivis occurrunt.

3.) Quo antiquiora ſunt diplomata, eo pauciores abbreviaturas habent. In diplomatibus ergo Hungariæ ſæc. XI. XII. pauca notabis ſcribendi compendia, quorum major jam numerus cenſetur ſæc. XIII. quam maximus vero ſæc. XIV. ad finem uſque XV. in chartis vero privatorum & codicibus ad dimidium fere ſæc. XVI. plena ſunt omnia. Tab. II. Nro. I. 2. Tab. III. Nro. I.

4.) Nota 9 in locum ſyllabæ vocem terminantis *us*, ſæc. XI. (immo jam & X, quamvis rariſſime) paſſim adhiberi cœpit, inferiori autem ævo conſtanter eſt adhibita. Ad diſcernendam ſcripturarum ætatem non minus vetus nota ɔ pro ſyllaba *con*, itidem in fine ſæc. X. utut initio rariuſcule conſpicua, ex plurium ſæculorum exilio quaſi redux, valet; quæ ſubinde ad reſtauratas usque literas, immo etiam longius adhuc, particulam illam nunquam fere ſuis elementis exſcribi paſſa eſt *h*.)

5.) In abbreviaturis enodandis, diligentia, & cautione maxima opus eſt, ne conjecturis falſis atque temerariis, in argumento diplomatis eruendo, a vero aberres, ipſumque adeo

 diplo-

diploma, in ſuſpicionem falſi atque ſuppoſititii inducas. Origo Ducum Sabaudiæ Saxonica, illorumque cum Saxoniæ Ducibus cognatio, ſola præpoſtera annalium veterum lectione, confuſioneque nominis utriusque nititur; nec ergo fabula cordatis ſcriptoribus placere poteſt amplius *c*). Ita porro obſervante BARINGIO, l. c. præf. p. 13. & *ſeqq.* e verbo contracto kma, in dipl. Erici regis Daniæ an. 1278. alii eruerunt *Annam*, alii *Katharinam*, alii *Beatam*, contendentes, eandem in ſerie genealogica Ducum Brunſvicenſium, deſideratam fuiſſe ad inventionem usque diplomatis, quod perperam legerunt, & interpretati ſunt. Sine dubio errore ſimili etiam Carolo Rob. Regi Hung. conjux *Catharina*, quam nunquam habuit, attributa eſt. Conf. KATONA *Hiſt. crit. RR. H.* Tom. VIII. p. 278. & *ſeqq.* Etiam *centeſimæ* loco *cæmenti* in Wladislai II. Decretum VII. art. 3. anni 1514. lectione præpoſtera illatæ ſunt. HORÁNYI in *appendice ad Chronicon* SIM. *de* KEZA, Vien. ſ. a. 8.

a) Vid. *Miſcellanea meiſt diplomatiſchen Inhalts, bearbeitet von* C. MANNERT. *Nürnberg* 1795. 8. 124. *S.*

b) MANNERT. l. c. p. 38. 39. conf. lectu & ſtudio digniſſimi hujus libri docta recenſio, *in den Götting. Anzeigen* anni 1795. pag. 949. In chartis domeſticis ſæc. XIII. nota ɔ cum co & *con* alternat. Sub majori ſigillo Caroli Rob. in diplomate anni 1338. quod Sopronii luſtravi, verbum *commiſſio* integre ſcriptum eſt.

c) CAR. DENINA *Geſchichte Piemonts u. d. übrigen Staaten des Königs v. Sardinien: überſetzt von* FRIDR. STRASZ. *Berlin* 1800. 8. conf. *Götting. gel. Anzeigen* anni 1800. pag. 1492.

*) Ad habitum in contractionibus enodandis ſibi comparandum, obſervatis aliorum, exemplorum uſu; & exercitio indefeſſo opus eſt. Facilitabit operam tironibus DAN. BARINGII *Clavis diplomatica*, Hannoveræ

noveræ 1754. 4. nec non *Praktische Anweisung zur Diplomatik, und zu einer guten Einrichtung der Archive; aus dem Französischen der HH.* LE MOINE *und* BATTENEY. Nürnberg, 1776. 4. cum Supplementis, quæ ibidem 1777. sunt edita. Exemplorum numero omnibus præstat JO. LUD. WALTHERI *Lexicon diplomaticum*, Ulmæ 1756. fol. a bonitate vero præceptorum inprimis commendari debent MANNERTI *Miscellanea.*

§. 49.

Inter Scripturæ compendia *Sigla* porro seu *Siglæ*, quas Cicero *literas singulas* appellabat, referuntur, cum initiales tantum seu primæ literæ, plerumque semper capitales majusculæ, ad exprimendum vocabulum describuntur, sine omissionis signo aliquo. Adhibebantur illæ ab antiquissimo inde tempore *a*), & e sæc. XII. XIII. etiam in Hungariæ chartis larga illarum seges superest. Siglæ.

a) Scriptores, qui de siglis veterum Græcorum Romanorumque exposuerunt, recensuit HUCH l. c. pag. 269—272.

§. 50.

Dividuntur siglæ in *verbales* & *numerales*. Hæ numeros, illæ verba quæcunque alia denotant. S. P. Q. R. & Friderico III. Imperatori familiares quinque vocales literæ, siglarum verbalium exempla sunt. Adhibebantur potissimum nominibus propriis indicandis *a*), inprimis in Pontificum romanorum ævi medii literis, in quibus regum & principum adeo, nec non episcoporum cet. nomina, vel punctis duobus jacentibus (. .) vel initiali duntaxat litera expressa sunt. Sequebantur hunc morem alii quoque publici privatique homines. Divisio Siglarum.

a) In diplomate Belæ III. Regis an. 1181. e protographo per illuſtr. quondam PH. E. SPIESZ (*Archiviſche Nebenarbeiten* P. I. *Halle* 1783. p. 140. 41.) evulgato, regium nomen ſola initiali *B.* & ad eundem modum, Notarii quoque *Pauli*, Epiſcopi dum diploma ederetur jam Ultraſilvani, nomen, ſemel plene deſcriptum, mox itidem primo duntaxat hujus elemento *P.* notatum eſt. Eſſe hunc anonymum illum Belæ Regis Notarium, annalium domeſticorum auctorem antiquiſſimum, e collatione diplomatis hujus, & ſiglæ P. cum initialibus Chronici verbis (*P. dictus Magiſter*) perperam lectis, typoque expreſſis, cum veriſimilitudine aliqua colligitur. At veriſimilitudinis ratio aliunde adhuc quam e ſolo nomine repeti debet poteſtque; vid. DAN. CORNIDES, eruditionis laude, præcipue ampliſſima Hiſtoriæ & antiquitatum Hungaricarum notitia clariſſimi, *Vindiciæ Anonymi Belæ Regis Notarii*, opus poſthumum, quod dum jam hæ paginæ prelo ſubderentur, curante celeb. I. CHRISTIANO ENGEL, hujusque ſupplementis auctum, Budæ 1802. 4. luce donatum eſt.

§. 51.

Siglæ ſimplices, compoſitæ.

Verbalium ſiglarum aliæ *ſimplices* ſunt, aliæ *compoſitæ*. *Simplices* ſingulis literis ſingulas voces declarant, e. gr. G. pro *Geyſa* vel *Gregorio*; A. A. A. F. F. pro *ære*, *auro*, *argento*, *flando*, *feriundo*, quales in formulis populi romani ſolemnibus inprimis frequentes ſunt; in *compoſitis* duarum vel plurium initialium literarum concurſu, ad ſignificandum verbum ſimplex opus eſt. Tales ſunt: LAD. pro *Ladislaus*, KAL. JAN. pro *Kalendis Januarii*, & innumeræ aliæ, præcipue in inſcriptionibus veterum Romanorum obviæ. Compoſitarum ſpecies ſunt ſiglæ *repetitæ*, quibus dualis pluralisve denotantur numeri, e. gr. CAESS. AUGG. *Cæſares Auguſti duo*, VVV. BBB. *viri boni tres.*

§. 52.

§. 52.

In diplomata Siglæ ſæc. IX. admiſſæ ſunt. Sæc. XII. & ſequentibus frequentiſſima illarum exempla occurrunt *a*). Sæculo tandem XVI. conſvetudo hæc ſcribendi incerta, e chartis exulare debuit. Eſt tamen adhuc ſiglarum uſus aliquis, in numis ſignandis, atque in inſcriptionibus concinnandis, quæ ævi noſtri monumenta, haud minori cum difficultate olim poſteri legent, quam illa eſt, quæ nos vexat, deſudantes ſæpenumero, in diſſolvendis hujusmodi diplomatum ævi veteris ænigmatibus. Quid mirum ergo Juſtinianum Imperatorem conſuetudinem ſcribendi per ſiglas lege prohibuiſſe *b*)? Neque alia de cauſa, quam ut errandi minus periculi ſupereſſet, ſiglæ nominibus feminarum indicandis, inverſæ in antiquitatis monumentis paſſim ſunt conſpicuæ. Scribebatur ſiquidem W pro *Marca;* Ↄ pro *Caju;* ↃꞀ pro *Caja Liberta;* cet.

Siglarum diplomaticarum Epocha, & difficultas.

a) In formulis Notariorum ævi medii, quas *ſtylum Cancellariæ* (e. c. ſtylum Cancellariæ Matthiæ Regis per Thomam de Nyir Kallo) nuncupabant, quasque inter diplomata vere edita referendas eſſe caret dubio, quod eædem exemplo tantum eſſe deberent, nominibus perſonarum & locorum veris, ſiglæ arbitrariæ T. N. cet. ſubſtitutæ ſunt. INNOCENTII III. P. Rom. *Decretales* atque aliæ *Epiſtolæ*, Romæ 1543. expreſſæ, ſiglis nominum propriorum ſunt refertiſſimæ. Occurrunt ibi bene multæ literæ ad Regem & Epiſcopos Hung. e quibus ſexcenta ſiglarum exempla facile excerpſeris. Suffecerit ſequens: „ N. Strig. Aepiſcopo, N. Patavien. & N. Cena„ dienſi Epiſcopis. Cum Ven. frater noſter Epi„ ſcopus, & dilecti filii B. Præpoſitus, M. Cantor, „ S. & M. Canonici Varad. eſſent in noſtra præ„ ſentia conſtituti. " — — — —

b) *Cod.* L. I. tit. 17. *de veteri jure enucleando.* Ibidem L. 2. §. 22.

§. 53.

Siglæ numerales: *Siglæ numerales* numeris exprimendis serviunt. Sunt vero notæ numerales, in consignandis diplomatum calculis adhibitæ, duplicis generis, *romanæ*, & *arabicæ*, quas vulgo *Ziphras* appellamus. Romani numeri pro literis alphabeti vulgo habentur, ideoque siglis adnumerati, hoc loco pertractari debent; de ziphris vero, earumque in diplomatibus epocha, non alio quam hoc loco commodius agitur. M, mille; C, centum; L, quinquaginta; D, quingentos; X, decem; V, quinque valere, nemo ignorat. Ex ꟾꟾ unciali D, & ex ⅃ quadrato L, tanquam dimidias partes prodiisse, argute satis traditur. I. II. III. IIII. V. primam & simplicissimam, secundum digitos connumerandi rationem produnt. V, figuram manus, seu complexum quinque digitorum adumbrat; X, seu duæ manus verticaliter oppositæ, illius duplum valent. Alii notarum harum originem aliter exponunt; mihi illa, quam descripsi, reliquis videtur facilior, atque adeo etiam ad veritatem propior.

*) Conf. HEUMANNI *Conspectus reipublicæ literariæ, ed.* EYRING. P. I. p. 268.

§. 54.

Usus numerorum Romanorum in Diplomatibus. De numerorum notis romanis in antiquis membranis hæc teneto:

1.) Numerus e. c. annorum, personarum cet. rotundus, nonnunquam pro incompleto occurrit *a*).

2.)

2.) Interdum in chartis domesticis, neglectis siglis numeralibus, annus & numeri quicunque, disertis literis expressi sunt, quod quidem inprimis sæculis XIV. XV. XVI. in chartis, quas inspexi, observasse mihi videor. Fiebat id sine dubio, confusionis, quam ingruentes Ziphræ parere identidem debebant, evitandæ causa.

3.) Millenarius numerus sæpe, sæpissime vero numeri infra denarium, disertis verbis exscripti leguntur, reliquis per siglas expressis.

4.) Universe in chartis & libris ævi medii, interdum numerus millenarius, aliquando centenarius *b*), nonnunquam utrique omissi, atque non nisi sæculi currentis anni adnotati sunt.

5.) Numeros tandem punctis lineisque interjacentibus distinctos, superaddito passim *o* ad terminationem indicandam, sæpe legeris. Exempla sunto: M̊. C̊. C̊. C̊. septimo. — M. CC. LXXX. tertio. M — CC — LXX nono.

5.) Unitas vulgo punctum sibi habet impositum, atque in fine communiter protrahitur. e. c. vj. iiij.

a) *N. Lehrgebäude der Diplomatik.* V. §. 92.

b) Instrumentum Comitatus Posoniensis, quod §. 16. Not. g.) commemoravi, datum Posonii in Festo S. Joannis Bapt. anno Domini MXXII. (elisis, de quo dubitari nequit, tribus centenariis) anno MCCCXXII. non potest esse antiquius. Ad idem sæculum referendæ sine dubio sunt literæ illæ, quas indulgentiarum appellamus, quas G. A. WILL haud ita pridem vulgavit, quasque idem, spectando notam temporis scriptam, anno Domini MLXXXVI. ceu primum & antiquissimum reipublicæ Norimbergensis monumentum, felici casu a se inventum, attribuit. Est nimirum humani quid passus Vir jam pie defunctus, cum centenarium numerum in temporis

poris nota omissum esse non animadverteret. Vid. ejusdem: *Kleine Beiträge zu der Diplomatik. Altdorf* 1789. p. 22.

§. 55.

Notæ numerales arabicæ.

Ziphrarum origo ex oriente, ab Indis procul dubio, repetenda est, quod ipsum nomen prodit, modusque illas a dextris sinistram versus exhibendi confirmat *a*). Ex oriente Arabes in occidentem illas traduxerunt, ubi circa finem sæc. X. & initium XI. ab Europæis in sodalitium numerorum romanorum, inprimis per GERBERTUM (subinde PP. SILVESTRUM II.) assumtæ esse videntur. Ac primum quidem Ziphræ hæ in libris tantum mathematicorum, deinde in annalibus etiam, in calendariis, alisque libris, nec non in artis operibus usurpatæ cernuntur *b*), tandem vero etiam in diplomatibus fiunt conspicuæ.

a) KAESTNER. *Geschichte der Mathematik* Vol. I. *Götting.* 1796. p. 31. & *seqq.* Vol. II. ibid. 1797. p. 695. & *seqq.* conf. *Allgem. Lit. Zeitung*, 1799. Nro. 45.

b) GATTERER. *de methodo ætatis Codd. MSS. definiendæ*; in *Commentat. Soc. reg. scient. Götting.* Vol. VIII. p. 109. *N. Lehrgeb. der Diplomatik* V. §. 115. cf. Tom. VI. in prologo.

§. 56.

Usus Ziphrar. in dipl. Hung.

In Hungariæ diplomatibus sæc. XV. notæ numerales arabicæ romanis successerunt. Quamvis enim vestigia illarum inter Hungaros jam sæc. XIII. in modo abbreviandi (e. gr. „ 2*dum* „ *antiquam consvetudinem* " in literis Ladislai Cumani Regis 1283.) videre mihi videar, exemplum tamen, quod usum earundem diplomati-

maticum demonſtraret, nullum inveni, quod ævo Ladislai Poſthumi Regis († 1457.) eſſet antiquius; in cujus ego ſigillo ſimplici ſecreto, annum arabicis notis ad pedem ſcuti expreſſum ipſemet obſervavi, in cujus præterea ſigillo duplici majeſtatico, perigraphen utriusque partis, annus 1456. iterum arabicis notis exaratus terminat *a*). Ad eundem modum etiam ſigillum majeſtaticum Wladislai II. annum 1490. inſcriptum ſibi habet *b*). Exempla conſvetudinis hujus plura, in Regum Hungariæ diplomatibus ſæc. XV. non inveni, quæ in chartis & literis privatorum illius temporis, & artis operum inſcriptionibus *c*) adhuc rara ſunt. Vidi ſæc. XVI. adeo codices accepti & expenſi, in quibus poſthabita, qua ſe commendant, Ziphrarum commoditate, numeri romanis characteribus expreſſi ſunt *d*). Diligentia ceterum magna in utrisque legendis, ob formam, quam diverſo tempore diverſam induerunt *e*), opus erit; (variat enim illa non minus, quam literarum ſpecies) idque vel eo majori, quo plus numeros recte legiſſe ſæpe intereſt.

a) Inſcriptio literis majuſculis monaſticis ſequens eſt: *Ladislaus Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Auſtriæ, Stiriæ, & Lucemburgæ Dux &c. Moraviæ Marchio* 1456. Vid. *Oſſervazioni iſtoriche di* DOM. M. MANNI *ſopra i ſigilli antichi de' ſecoli baſſi*. Tom. VI. Sig. l. nec non *Neu. Lehrgeb. der Diplom.* Tom. III. §. 372. Tab. XXXII. MANNIUS ſigillum iſtud Wladislao I. († 1444.) adſcripſit, PP. Bened. vero annum 1451. expreſſum eſſe putaverunt. Utrumque perperam; conf. GRUBER *Lehrſyſtem ſeiner diplom. Kollegien*, edit. 2. *Wien*, 1789. 8. p. 172.

b) Vidi plura exempla ſigilli hujus magnifici originalia, in quibus notæ numericæ 1490. more nobis proprio commode ſcriptæ ſunt. Ejusdem imago in IGN.

C. BAT-

C. BATTHYÁNI *LL. eccl. R. Hung. Tom. I. p.* 568. expreſſa eſt.

c) Volui librum, in quem acta publica magiſtratus Bartphenſis, (Protocollum vocant) relata ſunt, annorum 1433. & ſeqq. in quo annorum numeri plerique omnes, vulgaribus notis ſcripti ſunt. Eandem ſcribendi rationem obſervavi in nonnullis Procerum Hungariæ ſæc. XV. epiſtolis, notisque ſimilibus annus 1470. ( ) turri urbis Budenſis principi inſcriptus eſt.


d) „ Anno 1526. proventus e fodinis Neoſolienſibus erant fl. (187725); Lucrum regis exinde fl. . — Cuprum cuſum vendebatur fl. den. ; rotundi vero centenar. fl. ; fuſum fl. ; pro tectura domus factum fl. ; ſimplex ſeu rubrum cuprum fl. den. . — Ad conſervationem coquinæ regiæ (Ludovici II. regis) ad ſingulos dies per flor. vigintiquinque, demtis conviviis ſuæ Maj. exponebantur per annum fl. ; ad emtionem vinorum pro ore Regiæ Majeſtatis per annum fl. . "

e) Docte hac de materia diſſeruit STEPH. SCHOENVISNER V. Cl. vid. *Ungar. Magazin* Vol. IV. Faſc. 2. Tabulæ certe, in quibus varietatem illam WALTHERUS l. c. PP. Benedictini Tab. 60. & GATTERERUS l. c. Tab. III. adumbrarunt, diligenter in auxilium adhibendæ erunt.

§. 57.

§. 57.

E literis coarctatis & omiſſis ſimul, ſignisque arbitrariis, ortæ ſunt *Notæ Tironis* ſeu *Tironicæ*, quæ ſummæ in ſcribendo velocitatis adjutrices, abbreviaturarum abbreviaturæ dici quodammodo poſſunt. Quidquid certe ingenium humanum compendioſi in ſcribendo unquam excogitavit, id omne in ſcriptura Tironica reperias. Præter ſigna enim arbitraria, omnia ſcripturæ & literarum genera, hic in ſocietatem vocata; miſcentur literæ græcæ latinis, concreſcunt unciales cum minutis, minutæ cum curſivis, modis innumeris, variis & multiplicibus. Convertuntur deinde literæ, mutilantur, inclinanturque in partem illam, in quam impetus volantem tachygraphi manum rapuit. Exemplum eſto: **Notæ Tironis.**



Lingua mea calamus ſcribæ, velociter ſcribentis.

§. 58.

Vetus eſt hæc compendioſiſſima ſcribendi conſvetudo, Græcis non incognita. Hoc uti ſuſpicari licet e literis græcis, quæ notis Tironicis implexæ obſervantur: ita auctoritas ſcriptorum & exempla, rem extra dubium collocant. Enimvero utebatur illis ſapiens XENOPHON, cujus ætatem an præceſſerit notarum harum uſus apud antiquitatis populos, in utramque partem diſputatum eſt. A Græcis ad Romanos migrarunt hæc ſcribendi ænigmata, inter quos, quod TIRO, libertus Ciceronis, notarum nume- **Hiſtoria notarum Tironis.**

numerum auxerit, easdemque ad orationes, quæ vel in ſenatu, vel judicio, & concione populi habebantur excipiendas, commode adhibuerit, cognomen *Tironicarum* nactæ ſunt. Placuiſſe illas CICERONI conſtat; quibus etiam TITUS Imperator quam velociſſime potuit ſcribere. SENECAM quemdam (diverſum omnino a *Marco* & *Lucio* homonymis) ferunt, digeſto & aucto notarum numero, opus effeciſſe in quinque millia. Ampliavit illud deinde CYPRIANUS Carthaginenſium præſul, adjiciens notas chriſtiano loquendi uſui neceſſarias, fuitque notarum uſus ſæc. III. & IV. in judiciis & concionibus ſacris longe maximus. Ab notis, hac ætate, qui illis utebantur, *Notarii* cognominati ſunt. — Ex codicibus tandem in ipſa diplomata, præcipue primas illorum delineationes, quas primos conceptus appellamus (*minuta*), ſubſcriptionesque ſolemnes, (quæ ſubinde a nonnullis pro characteribus arabicis ſunt habitæ) translata ſunt intricatiſſima illa ſcripturæ compendia, quorum nonum ſæculum *a*) omnibus aliis fuit patientius, quorumque veſtigia in abbreviaturis vulgaribus ɔ. 9. &c. colligimus. Sæculo X. e diplomatum contextu evaneſcunt; recte vero intelligi, non ita pridem adhuc cœpta ſunt.

a) D. P. CARPENTIER O. S. B. in *Alphabeto Tironiano, ſeu notas Tironis explicandi methodo, Lutetiæ Pariſiorum,* 1747. *fol.* quinquaginta quatuor vulgavit diplomata, ſolius Ludovici pii Imperatoris, notis Tironis deſcripta, quorum lectionem vocabula nonnulla plene inſerta, & formulæ illo ævo ſolemnes diplomaticæ, utcunque facilitant. Obſervarunt alii, locum quoque, ſuper quo ſigillum expreſſum eſt, notis hujusmodi obſitum, quæ circum ſigil-

ſigilla etiam, & in ſubſcriptionibus Cancellariorum ſæc. adhuc XI. ſunt adhibitæ. GRUTERUS in *Corpore Inſcriptionum* Tom. II. P. II. Amſt. 1707. fol. viginti quinque notarum expreſſit millia, in quarum tamen ſerie, una eademque recurrit ſæpius. CARPENTIER l. c. explicandarum auſpicatò aliquod fecit initium, quo multo felicior fuit TUSTINIVS in celebrato opere diplomatico Tom. V. ex quo hiſtoria, & exempla etiam (§. 57.) excerpta ſunt.

§. 59.

Notæ Tironis in chartis hungaricis.

In Hungariæ diplomatibus, quorum nullum ſæc. XI. eſt vetuſtius, ænigmatum horum nullum prorſus exſtat veſtigium. Codicem namque notis Tironis deſcriptum, quem auctores novi operis diplom. Tom. V. §. 172. Cardinalem BEMBO, Rom. Pontifici JULIO II. e Tranſilvania miſiſſe, poſt GRUTERUM narrant, hungaram fuiſſe progeniem dubito; quippe qui alibi prognatus, in Hungariam transplantari potuit. Inquirent, ſpero, curioſius in illum, qui certiora aliquando de Literatura Hunno-Scythica dare voluerint.

§ 60.

Steganographia, ſeu Cryptographia.

Adhuc de *Steganographia*, ſeu *Cryptographia* (ſcriptura occulta, *Zifferſchrift*) dicendum hic loci eſſe putavi aliquid, cujus præcepta, accommodate ad Europæ hodiernæ dialectos, certatim auctores dare video. Conſtat vero illa ſcripturæ ratio, literarum characteribus, ad arbitrium delectis, quos alius non intelligit. Vetus hoc eſt occulte ſcribendi artificium, hodieque per aulas principum, inprimis belli tempeſtate, late patens. JUL. CÆSAR ſolebat, ſi quid ſecreti cuipiam per literas ſignificaret, quartum ſemper elementum in ſcribendo, pro

eo,

eo, quod ſumi debebat, ſumere; AUGUSTUS ſecundum: ne obvia literarum lectio eſſet cuivis. BONIFACIUS Germanorum Apoſtolus, & RABANUS MAURUS delectabantur hujusmodi ſcripturæ arcanis; quorum hic quidem, in vicem vocalium, mox puncta, mox conſonantes pro arbitrio ſelectas adhibuit. Erat ergo ſcripturæ occultæ ætate intermedia uſus aliquis. Viri eruditi recentioris ævi, & quidem TAYLORIUS in Anglia, BERTINIUS in Gallia, MOSENGEIL & HORSTIGIUS in Germania, in delectu characterum, horumque ad idioma ſuæ gentis applicatione, compendii præcipuam habent rationem, unde etiam artem ſuam *Stenographiam*, quam *Steganographiam* appellari malunt.

*) De Cryptographia veterum & arte decifratoria, vid. *N. Lehrgeb. der Diplom.* V. §. 73 — 75. nec non TRITHEMIUM, BREITHAUPTIUM, GRAVESANDIUM cet.

CAPUT III.

DE SCRIPTURA VOCABULORUM, SEU ORATIONIS, IN SERIE CONTINUA.

§. 61.

Argumentum Capitis.

Duo hoc capite illuſtranda habeo. Primum quidem, directionem in ſcribendo variam, olim uſitatam, nec hodie exteris incognitam, attingam; de interpunctionibus tandem (*Stigmeologia*) agam, quibus veteres, poſteaquam verba in ſcribendo ſeparare incepiſſent, ſententias, ad ambiguitatem orationis evitandam, lectionemque illius facilitandam, ſecernere a ſe invicem ſoliti fuerant.

A.)

A.) De directione in scribendo varia.

§. 63.

HUGO, in libro de *prima scribendi origine*, quatuor & viginti modos versuum incipiendorum, in tabella proposuit. Possibiles illos tamen duntaxat dixerim: quæ vero usitata aliquando erant, & nunc adhuc sunt, ad tria revocari possunt, versus & commata incipiendi genera. Triplex versus incipiendi modus.

1.) Primum genus est *Scriptura horizontalis*, dextrorsum sinistrorsumve ducta, itemque mixta, βȣϛροφηδον (boviversura) a Græcis olim vocata, quæ a dextra ad sinistram, & vicissim ab hac ad illam redit. Ægyptii, Phœnices, Hebræi, & plerique omnes orientis populi, a dextra ad sinistram, & olim versus ducebant, & adhucdum ducunt; & eundem scribendi modum Hunnis quoque Ungrisque veteribus, haud scio quam vere, nonnulli attribuunt. Nostro more calamum regebant Romani, præeuntibus Græcis, postquam scilicet hi, derelicto sinistrorsum scribendi modo, etiam βȣϛροφηδον scribendi methodum dimisissent, qua Solonis Tabulæ descriptæ erant, & alia adhuc, quæ passim superesse narrantur, antiquitatis græcæ monumenta exarata sunt.

2.) *Scriptura perpendicularis*, cujus plures constitui possunt species. Sinensium, ac Japonensium, descendit ad lævam: Ingurensium (Tartarorum) ad dextram. Ferunt dextrorsum adsurgere scripturam illam, quæ in insulis quas Philippinas vocant obtinet.

3.) *Orbicularis Scriptura* nusquam longius obtinuit. Referri tamen huc debent inscriptiones, quæ ob formam materiæ, in qua fiunt,

 in

in orbem duci debent, e. c. in numis, & ſigillis; quibus inſanias adhuc quorumdam poëtarum, qui in orbem, ſine initio & fine, ſcribunt, adnumeraveris.

*) *Neues Lehrgeb. der Diplom.* Tom. II. §. 48 — 62. conf. HEUMANN l. c. p. 279.

B.) Stigmeologia Diplomatica.

§. 63.

Uſus Stigmeologiæ.

Grammaticorum eſt interpunctionis præcepta dare, ejusque uſum laudare, diplomaticorum vero hiſtoriam & fata illius in tabulis antiquis, præcipue diplomatibus tenere, quæ res ad veri falſique diſcrimen in vetuſtis membranis, & utilis eſt & neceſſaria.

§. 64.

Ubi obſervatur?

Obſervantur diſtinctionis ſigna 1) in monumentorum inſcriptionibus, 2) in codicibus antiquis, 3) in diplomatibus. Non omnibus hiſce locis eodem tempore cœperunt eſſe obvia; operæ ergo pretium eſt tenere, quando, qua forma, quaque lege ubivis compareant.

§. 65.

I. Puncta in monumentor. inſcriptionibus.

Hiſtoriam interpunctionis in inſcriptionibus antiquis, auctores novi operis diplom. Tom. V. §. 4. his fere propoſitionibus complexi ſunt:

1.) In illis vocabula ad ſæc. usque V. ſeparatim a ſe invicem ſcripta occurrere.

2.) Singula fere punctis fuiſſe diſtincta, inprimis ſiglas, & ſcripturæ compendia. Contra vero

3.)

3.) Desiderari puncta, in fine sententiarum, & versuum.

4.) Communem punctorum formam, vel vulgarem esse nostram, vel speciem trianguli referre, cujus basis sursum erecta est.

5.) Non deesse punctorum formas plures, varias, atque inconstantes.

*) Conf. JANI GRUTERI *Inscriptiones antiquae totius Orbis Romani.* Tom. I. II. in 4. voll. Amstel. 1707. fol. opus splendidissimum.

§. 66.

II. In libris MSS.

Interpungendi rationem aliquam, diversam attamen haud parum a nostra, diversam etiam ab illa, quae in monumentorum antiquorum inscriptionibus, ubi singula verba punctis distincta fuisse diximus, etiam in libris MSS. a veteribus fuisse observatam, & quidem inde ab ARISTOPHANIS Grammatici Alexandrini tempore, qui Olympiade CXLV. vixit, prosodiamque primus excogitavit, & accentus invenit, sic satis certum est. De eo Grammatici certent, num Romani, a quo tempore, & qua lege interpunctiones adhibuerint; quibus S. HIERONYMUM Scripturae S. libros, simplicium consideratione pellectum, distinxisse scimus, & quas aurea Romanorum aetate, nec ignotas, neque prorsus neglectas fuisse, est verosimillimum. Exolevisse tandem hac parte librariorum diligentiam necesse est; antiquissimi enim qui supersunt codices sacri profanique, literis uncialibus descripti, interpunctiones ignorant, in quibus continua verborum compage oratio cohaeret, nisi quod novam sententiam seu periodum, in vicem punctorum, novus versus (στιχος)

ſeu linea incipiat, vel etiam litera reliquis eminentior *a*), ut adeo verborum ſeparatim ſcriptorum numerus, vel nullus plane ſit, aut exiguus ad ſæc. VII. major aliquanto jam ſæc. VIII. donec tandem ſub Carolo Magno, PAULO WARNEFRIDO & ALCVINO Diaconis peritiſſimis rem procurantibus, pedetentim omnia & ſingula verba, dirimi a contiguis ſtudioſius, ſententiæque punctorum notis diſtingui cœperunt diligentius. Sunt codices perquam antiqui, quos librarii recentioris manus diſtinctionis ſignis illuſtravit, quod indicaſſe hic ſufficiat.

a) Hinc conſvetudo, continuo poſt ſignum puncti collocandi literam majuſculam, etiamnum vigens, ſine dubio repetenda eſt.

§. 67.

Punctorum forma in libris MSS.

Ad ſæc. usque IX. interpunctionum in codicibus (ſi quæ omnino adſint) forma & uſus variant. Omnium ſignorum poteſtatem punctum ſuſtinuit, quod interdum ſimplicem ſpeciem refert, interdum vero ad inſtar roſæ, racemi, cordis, crucis, ſtellæ, nec non lineolæ transverſæ & perpendicularis pictum eſt. Accedit huc interpunctiones ſæpiſſime adeo negligenter & præpoſtere eſſe adpoſitas, ut peccatores librarios operæ indormire videas. A ſæc. IX. ad XV. ſeu ad MANUTIOS usque, quibus hodiernam interpungendi rationem debemus, DONATI Grammatici legem, ſaltem a diligentioribus ſcribis, utcunque obſervatam cernimus, quæ puncto ad ſummam literam poſito, puncti noſtri finalis; ad mediam literam impreſſo, coli; ad imam denique literam detruſo, commatis noſtri poteſtatem attribuit. At impar tamen lex

fuit,

fuit, omni, & omnium librariorum negligentiæ & ſtupori depellendo: quare in legendis libris, inprimis illis qui a ſæc. XIII. ad reſtauratas usque literas deſcripti ſunt, cum tædio negligentiam amanuenſium ſæpe deteſtaberis.

§. 68.

Signaturæ; Cuſtodes; diviſionis, citationis, Paragraphi ſignum. —

Subjiciam adhuc obſervationes aliquas, antiquitatum & diplomaticæ etiam ſtudioſis, non minus jucundas, quam utiles:

1.) Præter enarratum punctorum uſum, fuerat illorum alius adhuc, isque varius, & multiplex. Adhibebantur enim ad ſcripturæ compendia indicanda, ad reſcindenda verba, quæ præpoſtere textum irrepſerant, ad carminum modulationem regendam, (cui ſcopo literæ alias ſerviebant,) ad acta ſubſignanda, cet.

2.) Vulgaris auctorum, ſive ſacrorum ſive profanorum, in capita & paragraphos diviſio, librum inferioris ævi manu deſcriptum eſſe prodit.

3.) *Signaturæ*, quas typographi noſtri dicunt, numeris romanis exprimi ſolebant, & ſemper fere paginæ faſciculorum ultimæ ſuffigebantur, idque per ſæc. V. VI. VII. VIII. A ſæc. inde IX. omittebantur ſæpius. Ad extremam paginæ oram poſitæ, inſcitia compactorum ſæpius reſciſſæ ſunt. Faſciculus a philyrarum, ad ſummum quinque, ſimul compactarum numero, dicebatur *binio*, *ternio*, *quaternio*, πεντάδιον (quinternio).

4.) *Cuſtodes* a ſæc. XI. initio, crebrius autem a ſæc. XIV. uſurpati cernuntur. Plerumque in veteribus libris ſubjiciebatur cuſtos ulti-

mæ tantum faſciculi paginæ, qui rariſſime, vel nunquam potius, in principio lateris ſubſequentis repetitus eſt.

5.) Cum abundantes literæ ab extrema parte verſus alicujus, in alterum verſum transferendæ fuerunt, additum eſt haud raro *ſignum verbi diviſi:* quod quidem ſignum, ſi eſt lineola horizontalis (—) ſæcula IX. medium, X. XI. XII. prodit; ſi eſt accentus acutus (') ſæcula XII. & XIII.

6.) *Citationis ſignum* („) *Guillemet* ab inventore dictum, poſt inventam typographiam, a Gallis primum adhibitum, ab aliis paulo poſt receptum eſt.

7.) Provocationis nota ·|. nobis hodie adeo familiaris, jam in codicibus ſæc. VI. VII. exſtat. *N. L. G. der Dipl* IV. §. 805. Tab. 58.

8.) *Paragraphi ſignum* a ſæc. VIII. variat; vulgaris ejus ſpecies (§) a ſæc. XV. adhuc usque obtinet.

*) Cum illis, quæ inde a §. 66. hactenus de codicum ſcriptura & interpunctionibus attuli, conferat, qui plura cognoſcere cupit, eruditas TROTZII notas ad librum HUGONIS *de prima ſcribendi origine*, Trajecti ad Rhenum 1738. 8. *N. Lehrgeb. der Diplom.* T. V. §. 5—49. & Commentationem GATTERERI *de methodo ætatis codicum MSS. definiendæ; in Commentat. Goetting.* Tom. VIII. an. 1787.

§. 69.

III. Interpunctio Diplomatum.

In Cancellariis omni tempore conſvetudinum antiquarum magna fuit reverentia, quæ, quod hodiedum fieri obſervamus, a diplomatibus horumque ſtylo & ſcriptura novationes qualescunque, probabiles etiam, longius prohibuit. In illorum medio contextu ſub Pipino, Caro-

Caroli M. patre, primum verba intervallo aliquo diſtinentur, neque tamen omnia, & conſtanter; cum ſæc. X. ad finem jam vergente (e. c. an. 988.) diplomata inveniantur paſſim adhuc, in quibus non pauca textus vocabula concreta adhuc ſunt; ut adeo in fine tantum ſæc. X. verborum in diplomatibus ſeparatio perpetua & conſtans facta ſit. Etiam Punctorum uſus in diplomata ſerius, quam in libros manu ſcriptos introductus eſt. Antiquiſſima enim, quæ ſuperſunt diplomata, punctis carent, niſi quod notæ chronicæ punctis interdum diſtinguantur. Eadem a medio inde fere ſæc. VIII. ad initium X. occurrunt quidem, ſed pauciſſima. Sæc. X. hæc puncti forma (⁝) fuit uſitatiſſima. Licet vero coli quoque noſtri, nec non commatis etiam occurrant formæ, has tamen puncti vices ſuſtinere, dubitari nequit, cum ſæcula illa ignorent diſcrimen, quod nos inter punctum, colon & comma facere ſolemus. Sæc. XI. mox comma noſtrum, mox colon cum ſuffixo commate (;) mox tria puncta iterum ſibi impoſita (e. c. ad quodvis verbum in ſubſcriptione S. Stephani 1001.) pro puncto uſurpantur. Sæc. XII. etiam in Germania ſubſcriptionis regiæ quodvis verbum adjectum ſibi punctum habet, adhibebaturque interpunctio ſæculis prioribus diligentius, quamvis inepte interdum poſita, orationis nexui vim inferat. A ſæculo inde XIII. ad XVI. in Hungariæ diplomatibus & chartis, punctorum nec eadem ſemper erat forma, nec idem uſus. Commatis ſignum, quod mox puncti, mox coli, mox commatis etiam noſtri vices ſæculis iſtis ſuſtinebat, ſæc. XIII. cum puncti ſigno vulgari alternare cœ-

 pit

pit, interdum vero huic ſtat impoſitum, (!) ita, ut ſpeciem ſigni exclamationis referat, quod ſcribæ dubii, utrum rectius adhiberetur, utrumque potius conjungendum eſſe rati ſunt. Vidi diplomata nitidius ſcripta, & diligentius interpuncta, quam putares; vidi Sigismundi e ſæc. jam XV. literas complures, ut nihil de privatorum chartis dicam, in quibus verba equidem diſcreta a ſe invicem ſunt, periodos etiam litera major aperit, at ubi ceterum nullum, niſi in fine diplomatis, diſtinctionis ſignum qualecunque eſt conſpicuum. Neque Matthiæ Regis tempore interpungendi ratio certis legibus fixa, & uniformis erat; commatis certe & puncti ſigna adhibebantur exeunte ſæc. XV. promiſcue. Exſtant præterea ætatis illius literæ e. c. Magiſtratus Budenſis an. 1488. in quibus omnis interpunctio omiſſa eſt. Vulgarem puncto finali ſæc. XIV. XV. & ineunte XVI. apud nos formam duo puncta dabant adjuncto commate :,

*) *N. Lehrgeb. der Diplomatik* V. §. 50. & ſeqq. GATTERER. *Elementa A. D.* §. 54. 55.

§. 70.

Hodierna interpungendi ratio.

Auctor interpungendi legis magis perfectæ, quam hodie ſequimur, eſt ALDUS MANUTIUS typographus incomparabilis, qui anno 1490. Venetiis ſede defixa, in exprimendis correcte non minus, quam eleganter libris, inſtituendisque in arte, quam ipſe exercebat, filiis, ea diligentia verſatus eſt, ut de re tam literaria, quam libraria ſit optime meritus. Extruſit idem e libris, quos prelo ſuo ſubjiciebat, ſcripturam monaſticam, literasque, novo typorum charactere invento, (*curſivo* ſeu *italico*; *romanum*,

num, qualicum *Antiqua Chronica Hungarorum* Budæ 1473. Fol. min. per ANDR. HESS expreſſa ſunt, CONR. SWEYNHEIM & ARN. PANNARZ jam prius invenerant,) priſtinæ ſuæ pulchritudini reſtituit, ſententias noſtro more, punctis, colis, ſemicolis, cet. diſtinxit, hocque modo arti novitiæ novum decus addidit, auctoribus vero antiquitatis græcæ & romanæ reuiuiſcentibus, detracto ævi barbari, quo ſepulti jacuerant, ſqualore, habitum, illorum perſonis noſtroque ſæculo dignum induit *a*). Hoc MANUTIORUM beneficium magni æſtimabit omnis, quicunque difficultates aliquando ſentiet, quibus lectio *incunabulorum*, ut vocant, laborat, in quorum expreſſione typographi characteres manu ſcriptorum, e. c. *de utroque jure*, exacte ſecuti ſunt; vel qui in bullis, quæ ex ſic dicta Pœnitentiaria ſacra, quæ Romæ eſt, a tribus inde fere ſæculis proveniunt, incidet. Horrent illæ literis neogothicis, nullum diſtinctionis ſignum, nulla diphthongus in illis obvia, omniaque in iisdem, vel congeſta, vel omiſſa ſunt, quæcunque lectionem illarum facilem, fraudesque impoſtorum impediunt. Pauciſſimi, qui hujusmodi impetrarunt literas, legendis & intelligendis illis pares ſunt *b*). Quod enim ipſemet in lectione bullarum (Brevia enim, quæ vocantur, ſcribendi rationi cujusque ſæculi accommodata ſunt) ſæculi jam XVIII. expertus ſum: præter cryptographa, & notas Tironis, nihil e medio ævo proponi poteſt illis lectu difficilius.

Tab. III. Nro. 3.

a) Conf. HEUMANN l. c. & DENIS *Einleitung in die Bücherkunde* I. p. 156.

b) De

b) De Negotiatoribus (Scambiatoribus) Curiæ Romanæ, illisque regni Galliæ argentariis, (Trapezitis, *Wechsler*) qui ad ſæc. usque XVII. Gallis bullas Romanas legerunt & interpretati ſunt, vid. *N. Lehrgebäude der Diplomatik* III. §. 833. 34.

§. 71.

Scripturæ nationales cum ſuis Epochis.

Hoc tandem loco, ſatis commode opinor, dici aliquid poteſt, de præcipuis quibusdam *Scripturis nationalibus*, earumque Epochis, ſaltem quoad earum cognitio, rei diplomaticæ *inprimis Hungaricæ* ſtudioſo, utilis & neceſſaria eſt.

I.) *Scriptura Romana vetus*, dominata eſt in toto Imperio Romano, duravitque ad migrationem usque gentium, ſeu ſæc. V.

II.) *Scriptura Romano-barbara*, a ſæc. V. vel VI. ad inſtauratas literas, ſeu finem ſæc. XV. Hujus, præeunte MABILLONIO *a*), complures conſtituuntur ſpecies; (præter *Merovingicam* enim, commemorantur cum ſuis epochis, *Anglo-Saxonica*, *Wiſigothica*, *Longobardica*, cet.) Nobis ſequentes adnotaſſe ſufficiat:

1) *Scriptura Franco-Gallica*, ſeu *Merovingica*; orta eſt hæc e Romana veteri, dominata eſt in Gallia & Germania, duravitque ad Caroli M. tempora.

2) *Scriptura Carolingica*, filia fuit Merovingicae, quam ad Romanæ veteris elegantiam, Carolus M. emendare juſſerat. Duravit hæc a Caroli M. inprimis tempore, ad exitum fere ſæc. XIII. in Gallia, & Germania; in Anglia præſertim a Wilhelmi Conqu. tempore; in Hiſpania ab exitu Sæc. XI. Etiam ab Italis in ſocietatem *Longobardicæ* admiſſa fuerat. Eadem

dem

dem ſæc. XI. per viros religioſos, præcipue ex familia S. Benedicti, ex Italia & Germania in Hungariam traducta fuit; unde ad ſæc. XIII. ſcripturam Hungarorum, cum ſcriptura Germanorum, unam eademque fuiſſe, atque utrosque, ad judicium de illa ferendum, communibus opus habere ſubſidiis, manifeſtum eſt. A Caroli Roberti in Hungariam adventu, ad Ferd. I. ſcripturæ genus in Hungaria exſtitit mixtum aliquod, & inconſtans, ſcribendi magiſtris undequaque, ex Italia, Germania, Polonia, cet. in Hungariam confluentibus, ſcripturamque Hungarorum, ad normam Italicæ, Germanicæ, cet. exigentibus. Univerſe tamen accedebat quam proxime, immo eadem fuit, cum

3) *Scriptura Neogothica*, *Monaſtica*, vel potius *Scholaſtica*, multifariam ad ſubtiliſſimi, ac male omnia ornantis ſæculi guſtum penitus corrupta. Dominata eſt hæc in tota fere Europa. Tenuia ejus ſæc. XII. (e. c. in *Tabula Peutingeriana*) obſervantur initia, quæ demum exeunte ſæc. XIII. invaluit, duravitque usque ad finem XV. immo initium adeo XVI. ſæculi. -- Germani hodiedum, cum Bohemis, quibus etiam Slavos Hungariæ adnumeraveris, in vernacula ſcribentes, nec non Finni & Letti, interdum etiam Sveci & Dani, gothico hoc delectantur literarum charactere: qui bullis vel noviſſimis Rom. Pontificum eſt proprius; ab Anglis vero & Belgis in librorum titulis nunc demum derelictus eſt. Svaderem adeo omnibus, quibus expedita veterum inſtrumentorum lectio curæ eſt, ut a lectione ſcripturæ vulgaris theodiſcæ legendi initium facerent, ad quam quo propius

ſcriptu-

ſcriptura diplomatum ſcholaſtica accedit, quantumvis recentior ea ſit, eo tamen difficilior lectu eſt.

III.) *Scriptura Romana vetus reſtituta*, h. e. ad veteris Romanæ elegantiam reformata. Dominatur inde a reſtauratione literarum, & guſtus melioris, in omnibus Europæ prouinciis, ubi literis quas dicunt latinis ſcribitur.

a) MABILLON. *de re diplom.* p. 45. & *ſeqq.* conf. GATTERER ll. cc. — In opere Benedictinorum diplomatico Tomo III. §. 155 — 59. item Tom. IV. & V. §. 1 — 410. ſpecioſa doctiſſimi MAFFEII argumenta, quibus idem MABILLONII diviſiones ſcripturarum ſecundum Nationes impetierat, criſi ſubjecta ſunt.

CAPUT IV.

DE MATERIA, IN QUA ET EX QUA SCRIPTA SUNT DIPLOMATA, SEU, DE INSTRUMENTIS SCRIPTORIIS.

§. 72.

Materia in qua ſcribebant; I.) e Regno minerali.

Quæ prima fuerit materia, in qua literæ ſcriptæ, definiri nequit. Erat illa ſine dubio ubivis obvia, non diu multumque exquiſita, tractabilis adhæc, ſed rudis, qualem ipſam ſcriptionem initio fuiſſe neceſſe eſt. Non multo magis ſtylus, quo literæ ſive in ſaxo, ſive in ligno, ſive in arborum foliis ſcriptitabantur, perpolitus fuerit; ignorantibus primis literarum inventoribus inſtrumenta plura ſcriptoria, quæ ſubinde materiæ, quæ ad ſcribendum ſumebatur, diverſitas exegit, luxusque & mollities ſcribarum induxit. Enimvero, poſtquam cognoviſſet antiquitas artis ſcriptoriæ uſum multiplicem,

cem, fuiſſetque illa meliori vitæ morumque cultura imbuta, nihil fere intactum relinquebat, ex omnibus, quæ naturæ appellamus, regnis, quod literis ſcribendis non accommodaſſet. Lapideis tabulis Decalogus MOSIS inciſus fuerat; laterculis coctilibus a Babyloniis obſervationes inſcribebantur ſiderum; in marmore denique Græci Romanique multarum rerum memoriam ad nos transmiſerunt; quo e. gr. marmora ſic dicta Oxonienſia pertinent, copioſæque lapidum inſcriptiones Romanæ, quas GRUTERUS collegit, quorumque etiam Pannonia vetus bene dives eſt. E metallis plumbum flexile ſine dubio ante omnia ſcripturæ inſerviit; æri æternaturo ſubinde inſculpebantur e. c. leges publicæ, & fœdera gentium; fuitque omnino æris in rebus majoris momenti exarandis, inter Romanos tantus uſus, ut T. Flavius Veſpaſianus (SUETON c. 8.) ærearum Tabularum tria millia, quæ ſimul conflagraverant, reſtituenda ſuſciperet. Tandem neque auri, & argenti pretium, neque gemmarum durities, ferreum antiquitatis ſtylum obtundere potuit.

§. 73.

Scribendi mos in *foliis arborum*, e. gr. palmarum, quem Indi adhuc usque retinent, auctoribus PLINIO & VIRGILIO, pervetuſtus eſt; certe *foliorum* nomen, quibusvis fere linguis ad membranas & chartas tralatum, antiquitatis ejus ultimæ teſtis eſt. Sed nec reliquas arboris partes neglexit ſcribarum induſtria, ſuffectis in locum foliorum *libris arborum*, id eſt tunicis interioribus corticis. *Lignum* ipſum inter primas ſcribendi materias pertinet, tabulæque II. E Regno vegetabili.

que de ligno tiliæ, quercus, cet. fabrefactæ, adhibebantur legibus, suffragiis, &c. exscribendis. Ab illis *pugillares* nostri ortum trahunt, qui initio erant *lignei*, postea, cera ligno affusa, *cerati*, tandem *membranei*, gypso aut creta illiti, atque deletiles. Fit librorum *linteorum* etiam frequens, præcipue apud LIVIUM mentio, qui illos in antiquissimis gentis Romanæ annalibus commemorat. Tales Sibyllini quoque erant, & hujusmodi libris linteis MOSEM Pentateuchum suum inscripsisse, nisi hoc in papyro ægyptiaca factum fuisse putemus, est verisimile.

§. 74.

Charta Ægyptiaca, corticea, cottonea.

E regno vegetabili nulla materia ad inscribendum desumta, ad inventam usque chartam nostram vulgarem linteam, *Papyro ægyptiaca*, quam etiam nude *chartam* appellavere, fuit usitatior. Fiebat autem hæc charta nilotica, modo, quem PLINIUS (H. N. Lib. XIII. c. 11. 12.) & BAUHINUS delineaverunt, e planta papyro (*Berd* Ægyptiis, Βιβλος Græcis, *Cyperus Papyrus* LINNÆO dicta) in palustribus Ægypti locis succrecescente. Imago fruticis apud PR. ALPINUM & alios occurrit, multo exactius autem apud DOMINIC. CYRILLUM, (*de Cypero Papyro*, Parmæ 1796. Fol.) expressa est. Chartam contra lucem intuenti, jacentes sulci seu fibræ, secantes se invicem cum stantibus apparent. Initia illius obscura sed perantiqua sunt. Quæ majoris formæ, & præstantior ceteris erat, *hieratica* dicebatur, cujus generis *claudiam* præstantissimam habuerunt. Vilissima omnium fuit *emporetica*, mercibus involuendis relicta. Adhibebatur

batur in Europa diplomatibus etiam deſcribendis ad ſæc. usque XI. quamquam in Hungaria uſus diplomaticus ejus nullus fuerit. Teſte EUSTATHIO (vixit circ. 1160.) *ad Odyſs.* φ. iam ſuo tempore ars præparandi illam derelicta fuit; diplomata ergo in charta nilotica deſcripta, ſæc. XII. anteriora ſint, neceſſe eſt.

Papyro multo magis injuriis temporum expoſitus eſt *cortex* arborum *crudus*, primis ſcribendi materiis accenſendus, & quæ ab illo diverſa eſt, *charta corticea*. Fuiſſe hanc veteribus uſitatam evictum eſt. De eo tantum quæri poſſet, num vetus aliquod monumentum in corticea charta conſignatum ſuperſtes adhuc ſit? Id in confeſſo eſt, admodum difficile eſſe, diſcernere chartam hujus generis, a charta ægyptiaca.

Chartæ Cottoneæ (goſſypinæ, bombycinæ) uſum, Arabes jam ſæc. poſt C. N. VIII. tenuiſſe videntur, qui aliquanto ſerius per Græcos in Italiam, quam inferiorem dicimus, propagatus eſt. In regno ergo utriusque Siciliæ, diplomata in bombycina ſcripta, non pauca ſuperſunt; nullum tamen quod ſæc. XI. eſſet antiquius. Vulgaris chartæ iſtius uſus hodie promiscue apud Turcas & alios orientis populos obtinet.

§. 75.

Ars, non e bombyce ipſa tantum, verum e tela quoque pannoque bombycino, conficiendi chartam cottoneam, alterius mox artis mater erat, parandi ſcilicet e pannis lineis detritis, vulgarem hodie *chartam linteam*. In hujus primis originibus detegendis, laborarunt viri quique præſtantiſſimi, & adhuc laborant, præmiis Charta lintea.

etiam

etiam aliquando a Regia Scient. Societate Gœttingensi ad id excitati, quæ quidem bene memor, quam egregie divina illa inventio, artibus & scientiis renascentibus obstetricata fuerit, dignum vindice hunc modum proposuerat. Neque tamen adhuc res omnis ad liquidum perducta est, ob magnam, quæ est inter chartam e gossypio confectam, & eam quæ ex linteo fit, similitudinem. Sunt, qui Italiæ inventionis honorem deferunt, utpote quæ jam anno 1340. linteam fabricata est, Germanisque primam anno 1390. chartariam erigentibus, peritos rei suppeditavit operarios. -- Ad sæc. XV. nullum hujus artis apud Gallos Hispanosque erat exercitium. In Transilvania an. 1546. in Hungaria vero 1613 (?) primæ papyrificinæ structæ sunt *a.*) Sententiam tuentur intermediam, eamque sine dubio tutissimam, qui prima chartæ e pannis lineis confectæ vestigia, non cum MONTEFALCONIO sæc. XI. exquirunt, sed neque cum LUDEWIGIO ad sæc. usque XIV. desiderant, colligentes illa post GUDENUM & SCHWANDTNERUM, non sine magna verisimilitudine, sæculo tertio supra decimum, quamvis certiora specimina in sæculi demum XIV. initia incidant. Hoc eodem tempore, ab Italis cum Rege Carolo Roberto in regnum commigrantibus, etiam Hungari usum linteæ istius chartæ edocti sunt, qui tamen in regum privilegiis, capitulorum investituræ literis, majorisque momenti diplomatibus describendis, ad sæc. XVI. nusquam observatur, ad literas minoris momenti tantum relegatus, privatisque adeo civibus ad illud usque tempus, in pergamena, id quod pacti inter se erant, describentibus.

a) „ Anno

a) „ Anno 1613. primus in Scepusio, immo in hoc „ Hungariæ Regno (?) officinam chartaceam sive „ Papyrificinam exstruxit, Dominus SAMUEL SPILLENBERG, Medicinæ Doctor Leutschoviensis, in „ pago Leutschoviensi *Teplitska.* „ Verba sunt *Chronici Scepusiensis*, ex quo Excerpta vulgavit P. „ CAR. WAGNER, in *Analectis Scep.* P. II. p. 22. "

*) Signum publicum (*Stempel*), quod in Hispania & Hollandia, chartis in quibus diplomata describuntur, ab anno 1555. inprimitur, Galliæ an. 1673. aliis Europæ civitatibus paulo serius, aliis autem, veluti Hungariæ, nunquam complacuit. Habet vero etiam nostra charta lintea notam chartariæ, e qua dignoscitur, ubi & a quo præparata fuerit, quæ quidem in literis dubiis examinandis, vel eo minus debet negligi, quo certius ex eadem falsitas interdum potest coargui. Conf. L. K. (KOEVESDI) *Examen Verböczianum*, Pest. 1785. 4. p. 117. & 184.

**) Conatus indefessi, virorum nostri & superioris ævi, præparandi chartam scriptoriam e pluribus vegetabilium materiis obviis, sæpe abjectis, enarrantur, in der *Neuen allgem. deutsch. Bibliothek, Bd. LII.* in recensione libri: *Die älteste Urkunde der Papierfabrikation in der Natur entdeckt, nebst Vorschlägen zu neuen Papierstoffen; von G. A.* SENGER. *Dortm. und Leipz.* 1799. 8.

§. 76.

Membranæ, quarum usus ætate media tam late patuit, & adhucusque magnus est, inter scribendi materias e regno animali primum locum deposcunt. Vulgare illarum nomen *Pergamena*, scil. charta, ab urbe Pergamo acceptum, non quod ibi primum reperta est, sed quod æmulatione circa Bibliothecas regum Ptolemæi & Eumenis, illo chartas Ægypto efferri vetante, hic domi majorem jusserit copiam fieri membranarum, earumque meliorum, quam antea. Est nempe corii usus in scribendo vetustissimus, ut adeo plenior solummodo III.) E regno animali.

H &

& perfectior ejus elaboratio, Eumeni Pergamiorum regi in acceptis referenda ſit. Ætatem pelles illæ, ovium, vitulorum, cet. membris deglubitæ — ſi ſaxa & metalla demas, — ex omnibus ſcribendi materiis præcipue ferunt, temporisque edacitati reſiſtunt quam longiſſime; quanquam diploma inventum adhuc nullum eſt membraneum, quod ſæc. VI. eſſet antiquius, cum aliquanto antiquiora in charta exſtent ægyptiaca; codicibus vetuſtiſſimis, qui ſuperſunt, deſcriptis in pecudum exuviis. Hungaria ad ſæculi XIV. initia, præter membranas, nulla alia ſcribendi materia in diplomatibus uſa eſt, quas univerſe eo antiquiores eſſe perhibent, quo tenuiores, læviores, candidioresque ſunt, ita ut digitis interceptæ, ſuapte in volumen coëant; protenſæ, obſervante GUDENO, *in præf. ad Syllogen I. Diplomatarior.* p. 3. quoad formam externam, ad ſæc. usque XI. (ut dipl. S. Stephani 1001. & Andreæ I. 1055.) magis ad latitudinem (altitudinem,) quam longitudinem.

§. 77.

Continuatio. Serviebant adhuc ſcribarum uſibus, præter membranas, elephantorum omenta, draconum inteſtina *a*), coria piſcium. Nec cuti adeo humanæ peperciſſe narrantur ſcribæ ſeduli, ut nihil jam de tabulis veterum eboreis, Diptychis, Triptychisque, cet. commemorem. Id præterire non poſſum, deteſtabilem morem *reſcribendi* codices, id eſt, deſcribendi illos membranis, quarum vetuſtiorem ſcripturam, vel *ſpongia* prius abluerant, vel *pumice* depurgarant, duraviſſe inde a ſæc. VI. vel VII. ad

XIV.

XIV. immo ad XV. usque *b*). Hoc tandem tempore publice prohiberi debuit consuetudo illa, ad interitum tot librorum utilissimorum comparata. Diplomata equidem rescripta nunquam ipse vidi, neque ab aliis commemorari memini: attamen nec ista monumenta scribarum effugere potuisse, non scio avaritiamne dicam, vel stuporem & negligentiam, e verbis, in quæ Notarii sequiori ævo jurare cogebantur, nimirum, quod „ in charta unde alia abrasa „ fuerit scriptura, instrumenta sua publica „ non conscribent „ fit verisimile. — Codicillos veterum *palimpsestos*, e membrana vili communiter confectos, causaque parsimoniæ usitatos, hic nominasse satis esto.

a) Quod CEDRENUS & ZONARAS, ille XI. hic autem XII. sæculi scriptores Græci narrant, Basilisco Imperatore († 477.) ortum fuisse Constantinopoli incendium, quo Basilica cum Bibliotheca conflagravit, in qua librorum millia CXX. erant reposita, atque hos inter exstitisse etiam draconis intestinum pedes CXX. longum, cui aurea Homeri poëmata, Ilias & Odyssea, aureis literis inscripta fuerant, una cum Historia rerum ab Heroibus gestarum; id fabulam equidem græcam sapit, confictam attamen ad verisimilitudinem.

b) In Bibliotheca, olim regia, Parisiensi, codex adservatur, sæc. VII. sine dubio descriptus, in quo sub opusculis EPHRÆMI SYRI græcis, fragmenta Vet. & Nov. Testamenti latent. Similia barbariei ævi intermedii portenta plura, in Bibliothecis Europæ majoribus, Mediolanensi, Guelpherbytana, & aliis supersunt.

§. 78.

Communis, maximeque vulgata materia, ex qua veteribus pingebantur literæ, *atramentum* erat. Antiquus hujus conficiendi modus, e ful- *Materia ex qua —*

é fuligine furni cum gummi ſubacto, differebat a noſtro, poſſetque adeo in falſi ſuſpicionem venire diploma, quod ante ſæc. X. hodierno vulgari noſtro atramento ſcriptum eſſet. Hungari liquore hoc atro & communi, in diplomatibus & chartis, ſolo fere tantum & ſemper uſi ſunt; niſi quod in literis regum, quas *armales* dicimus, a ſæc. inde XV. & XVI. primus literarum verſus, nec non perſonæ privilegium impetrantis nomen, in contextu recurrens, ut plurimum *liquore aureo* diſtincta ſint. Auro itaque prima linea ſcripta eſt armalium, quibus an. 1436. Sigismundus Poſonium exornavit; auro etiam fulget primus diplomatis Matthiæ regis anni 1486. verſus, quo privilegia Saxonum Tranſſilvaniæ ab Andrea II. an. 1224. accepta rata habuit *a*). Vidi & miratus ſum ſolemne diploma regis Belæ IV. diverſicolor *b*); memorque ſum inſtrumenti alterius adhuc, quod ſcriptum eſſe videbatur liquore cæruleo *c*). Plura, quæ prima ſpecie viridem rufumque colorem ſimulabant, accuratius inſpecta, atramentum prodiderunt male temperatum, quod diuturnitate temporis in colorem a primævo paulo diverſum degeneraverat. Sunt autem plura præcepta, quæ ſcripturam diplomatum, vetuſtate languidam & emortuam renovare, ac, ut ita dicam, in vitam revocare docent; ſed magna eatenus cautione opus eſt, ne vel tantillum, quod adhuc ſupererat, penitus obliteretur, vel ne ipſum diploma arte recreatum, ceu nuper procuſum, in falſi ſuſpicionem deveniat.

Præ ceteris tincturis, quibus veteres ſcribebant, *purpureus* liquor habebatur nobilior, apud Byzantinos ſolis Imperatoribus aliquando

referr-

reſervatus, qui plinii tempore e muricis cruore fiebat, ſerius vero e cocti muricis & triti conchylii ardore componebatur, unde *encauſti* nomen accepit; quod cum Imperatoribus in ſubſcribendis literis eſſet proprium, *ſacrum* ſeu imperatorium appellatum eſt. Pro purpura *minium* etiam, vulgo *cinnabaris*, ab iisdem Imperatoribus in literis & diplomatibus ſignandis eſt adhibitum, conceſſa ſerius filiis etiam & cognatis minio ſcribendi venia: ad quorum imitationem, præter perpaucos Germaniæ Auguſtos, etiam Serviæ reguli, durante adhuc Imperio Byzantino, rubro charactere in ſubſcribendis literis uſi ſunt. Quod porro miniatæ fuerint juris, quod Imperatores Conſtantinopolitani dicebant capita, *Rubricæ*, (unde *Rubrum* & *Nigrum* Jureconſultorum) dicta ſunt. Librorum deinde titulos minio notare, novumque caput rubrica ordiri, ſolemne fuit librariis romani & inferioris ævi, retineturque eadem conſuetudo in miſſalibus, martyrologiis, breviariis cet. exprimendis adhucusque. De ſcriptura ſanguine humano rutilante, nihil attinet hoc loco dicere; id tamen præterire non poſſum, ad dictis & factis majus robur procurandum, in ſcriptionibus ævi veteris, identidem de latice calicis ſacri fuiſſe aliquid atramento additum, quod in hæreſibus, e. c. Monotheletarum, condemnandis factum fuiſſe, aliunde meminimus, atque in ſigno ſanctæ crucis in diplomatibus deſcribendo, interdum obſervatum eſt. mabillon. l. c. p. 170.

a) Vetuſtus mos eſt ſcribendi liquore aureo. Ætate media codices, præcipue ſacri, in purpureis membranis, illo ſcribebantur: ſed nec diplomata deſunt

chryſographa, cujusmodi in Italiæ, Angliæ & Germaniæ Tabulariis paſſim oſtentantur. *Argenteo* liquore notiſſimus ULPHILÆ codex, & alii deſcripti ſunt; diploma vero adhuc nullum inventum eſt, cujus ſcriptura argento corruſcaret.

b) In ſpecimine ſcripturæ quod §. 46. ex aurea iſta bulla Belæ IV. regis, opera xylographi adumbravi, cæruleus literarum color cum rubeo continuo alternant. Idem obſervavi in initialibus regnorum, quæ ibidem in titulis regiis recenſentur, literisque illis omnibus, quæ novam diplomatis prolixi periodum aliquam incipiunt.

c) Eſt illud conſtitutio procuratoris, per Vice Comitem & Judices nobilium Comitatus de Thorontal. Datum feria 4. proxima poſt Feſtum B. Luciæ Virginis & Martyris, anno Domini 1450.

§. 79.

Inſtrumenta ſcript. reliqua.

Ut materiæ, in quibus olim ſcribebatur, diverſæ & multiplices erant, ita inſtrumenta etiam, ope quorum in eisdem literæ effingebantur, varia fuiſſe neceſſe eſt. *Stylo* ergo, qui primum ferreus fuerit, poſtea oſſeus, vel eburneus, interdum argenteus etiam, in cera exarabantur literæ, qui obtuſius erat parte altera, ut inverſo, præpoſtere ceræ inſcripta, obliterari poſſent commode. *Cælum*, ſeu *Cæltes* ad literas in metallo effingendas ſerviebat; Chartæ vero Niloticæ, membranisque inſcribendis, *memphitica* tellus *calamos* (arundines) habiles dabat, quibus tamen magis adhuc probabantur *Gnidii*. Ab orientis populis, Perſis Turcisque, calamorum uſus ad præſens usque retinetur, qui in occidente exolevit, aptatis ad ſcribendum avium, præprimis anſerum, *pennis*, quas ſæc. VII. inter inſtrumenta ſcriptoria pertinuiſſe ex ISIDORI HISP. *Orig*. Lib. VI. cap. 14. certum eſt. *Penicillo* (*Pinſel*) Sinen-

nenſes hodieque ſcribunt, cujus uſus in libris linteis olim conſcribendis fortaſſis erat aliquis. De atro carbone, putrique creta, plumboque ſcriptorio (plumbagine) diſſerant illi, quibus hæc talia amplius illuſtrare eſt propoſitum. Coronidis loco id adhuc adnotaſſe neminem pigeat, veteres ſecundum *Canonem* ſeu *regulam*, mox *ſtylo*, mox *plumbo rubricaque* præſignaſſe lineas parallelas, cum in diplomatibus, tum in codicibus, ad quas Notarii & ſcribæ ſcripturam dirigerent. In extremitate verſuum hinc ſæpius craſſa circini, ſpatium interlineare dimetientis, exſtant veſtigia. Exemplis, quæ ubivis occurrunt, res non opus habet. GATTERER (in *Comment. de ætate codicum* cet.) PP. Benedictinos ſecutus „Lineæ, inquit, dirigendis verſibus ac columnis, ſi ductæ ſunt „ ſtylo, innuunt ſæc. V — XIII. ſi plumbo, ſæc. „ XI — XIV. ſi colore rubro, ſæc. XIV. XV. “

*) Indicabo libros, e quibus cognitu non minus jucunda, quam utilia, quæ hoc capite expoſui, potiſſimum excerpta ſunt. Fuerunt illi: MABILLON l. c. *N. Lehrgeb. der Diplomatik*, *Bd. I. II.* — CH. GOTTL. SCHWARZII *de Ornamentis librorum veterum disputationes VI.* Altorfii 1705 — 1725. habitæ, recuſæ Lipſiæ 1756. 4. — *Chronicon Gottwicenſe*; HUGO *de prima ſcribendi origine*, ex edit. TROTZII Traj. ad Rhenum 1738. 8. — IM. BREITKOPF *Verſuch den Urſprung der Spielkarten, die Einführung des leinen Papiers, und den Anfang der Holzſchneidekunſt in Europa zu erforſchen T. I. Leipz.* 1784. *T. II. Leipz.* 1801. 4. *Palæographia Græca* BERNH. de MONTFAUCON Pariſiis 1708. Fol. GATTERERI *ll. cc.* quibuscum conferri poſſunt debentque: WEHRS *über das Papier.* Halæ 1789. nec non HEUMANNI; & DENISII ll. ſuperius collaudati.

§. 80.

Problema. *Definire ſecundum Graphicæ regulas, ætatem diplomatis dati, ita, ut exinde ſimul authentia ejus appareat.*

I. Character diplomatis dati (an. 1273.)	II. Sæcula, quæ characterem illum ferunt.
1.) Literæ curſivæ, minutis rarius admixtæ. §. 34.	.. 12 13.
2.) Litera i rarius puncto, ſæpius accentu acuto notata, ſæpiſſime utroque ſigno carens. §. 35.	.. .. 13 14 15 16.
3.) e conſtanter pro æ poſitum. §. 42.	.. .. 13 14 15.
4.) Abbreviaturæ multæ. §. 48.	.. .. 13 14 15.
5.) Punctum figuram ſigni exclamationis habens. §. 69.	.. .. 13.
6.) Scriptura parum ad Neogothicam accedens. §. 71.	.. .. 13.
7.) Membrana magis longa, quam lata. §. 76.	.. 12 13 14 15.

Hi characteres omnes & ſinguli (quos quilibet, dum opus erit, majori adhuc numero excerpere, excerptos cum artis regulis conferre poterit) in ſolum ſæc XIII. cadunt; ad iſtud igitur, diploma datum, referendum eſt: quod ad-

adhæc verum ac ſincerum eſſe debet, cum nota temporis diplomati ſubſcripta, ſæculum XIII. referat, ac proinde per omnia cum charactere inſtrumenti, hoc vero cum legibus Graphicæ concordet, nec reliqui diplomatis characteriſmi, ab oratione, ſigillo, cet. deducti, contrarium ſuadeant.

DIPLOMATICÆ

PARS II.

SEMIOTICA.

DIPLOMATICA.

§. 81.

Alteram Diplomaticæ partem conſtituit *Semiotica*, ab græco σημεῖον ita dicta, ſigna diplomatum ſolemnia exponens, & examinans. In horum cenſum, præter *Chriſmon* & *Cruces*, *Cancellariorum* & *Notariorum ſigna*, *Monogrammata* tandem, & *Sigilla* veniunt. Sunt illa diplomatibus tantum originalibus, (quæ ab eisdem potiſſimum, inprimis a ſigillis, ſanctionem ac robur ſuum accipiunt,) propria: & quod ſæpiſſime, ad judicium de authentia diplomatis, de quo quæſtio agitur, ferendum ſufficiant; non præpoſtere in cenſura diplomatum, ab illorum characterum examine, fiet initium. In analyſi enim, principiis prius bene imbuti, ſæpe inverſo Objectum Semioticæ diplomaticæ.

verſo ordine procedimus, quod in artis pertractatione, ſeu theoria, bonæ methodi leges, facere prohibent.

CAPUT I.

CHRISMOLOGIA, SEU DE CHRISMIS.

§. 82.

Chrismi origo & definitio.

Solemne id fuiſſe meminimus omnibus olim antiquitatis populis, ut rem nullam graviorem, niſi auſpicato, invocatoque prius Deorum auxilio, adgrederentur. Etiam Chriſtiani, & quidem, ut credere par eſt, non tam ducti antiquitatis ſuperſtitioſæ exemplo, quam ſacrarum pandectarum auctoritate moniti, mature admodum, ad exhibendum religionis ſuæ ſymbolum, atque ad antevertendam fortunam adverſam, conciliandamque dictis & factis ſuis fidem & auctoritatem majorem, ritus verbaque ſolemnia, ex inſtitutis & ſacris eorum repetenda, adhibere inceperunt. Inprimis ſacroſanctum ipſis nomen Jeſu Chriſti, fini huic accommodatum, atque pietate, qua in Servatorem ferebantur, dignum cenſebant, quod in exordio magnarum rerum, fronteque & ſubſcriptione tam inſtrumentorum, quam etiam codicum, vel crucis ſymbolo declararent, vel, quod fortaſſis a ſolis Chriſtianis illud intelligi vellent, ſiglis tantum inter ſe flexis & coarctatis, potiſſimum in exordio diplomatum, & ante nominis ſubſcriptionem depingerent. Vocatur nota iſta religioſa nomine neogræco *Chrismus*, ſeu *Chrismon*, a Chriſti nomine, quod deſtinatione ſua deſignat, deducta, exhibens inter-

dum

dum illud ſolum & unicum, interdum copulatum cum ſiglis, formulam piam aliquam brevem in ſe continentibus.

§. 83.

GATTERERUS ordinarias Chriſmi, quod in Germaniæ chartis a ſæc. V. usque XIII. obſervatur, formas, ad tres revocavit claſſes: Chriſmi Epochæ.

1.) Primæ claſſis chriſmon exprimebatur ſiglis J. C. N. atque a ſæc. V. ad IX. usque obtinuit. Quem ſenſum ſiglæ iſtæ recondant, a BARINGIO, JO. GEORG. ab ECKHARD, & aliis diſputatum eſt, triumphante hujus ſententia, qui ſiglis iſtis formulam *in Chriſti nomine* reconditam teneri ſtatuit; quam ſubinde Auctores etiam novi ſyſtematis diplomatici, hujusque felix epitomator GATTERERUS ingreſſi ſunt. Si quid video, ſiglæ illæ initio elementa græca erant, complexæ formulam græcam $\overline{\text{IC}}$ $\overline{\text{XC}}$, id eſt Ιησες Χριςος, vel elemento græco N. addito, Ιησες Χριςος νικα, quæ inferiori ævo, latinis literis ſcripta, latine legebatur: *in Chriſti nomine.* Fuerunt autem hujusmodi teſſeræ chriſtianæ, majori aliquando numero apud Græcos, quam inter Latinos Chriſti aſſeclas, ſiglis utplurimum conceptæ, ſenſum ſæpe habentes abſconditum, ab ipſis interdum Chriſtianis, latino ritui addictis, intellectæ præpoſtere. Huc monogramma Chriſti ☧ pertinet, adnexis interdum græcis α & ω (principium & finis) literis; huc formula vetus, e diſciplina arcani veterum Chriſtianorum ſine dubio repetenda, ιχθυς; huc nomen Jeſu IHS. initialibus tribus literis expreſſum, quod Latini ſequiori ævo, per *Jeſus Homo Salvator*, utut minus recte interpretati

ſunt

ſunt. Præ multis aliis, formulam Ιησȣς Χϱιςος νικα, familiarem Chriſtianis aliquando fuiſſe oportet, quod victoria Servatoris, de hoſtibus humani generis deportata, ſalutem ſuam inniti pie crederent, deportandamque adhuc de perſecutoribus doctrinæ ejus cœleſtis firmiter ſperarent. Eadem ceu teſſera divinitus præſcripta, a Conſtantini M. tempore, omnium uſitatiſſima, inter Chriſtianos, præcipue Græcos, eſſe debuit, inſcripta una cum ſignaculo crucis, templis arisque, vexillis & armis, codicibus & diplomatibus. Et de diplomatibus quidem græcis id multo magis adhuc confirmabitur, ubi res diplomatica Byzantinorum aliquando luculentius expoſita & illuſtrata fuerit. Qui vicini aliquando erant Byzantio reguli, præcipue ritu græco ſacra facientes, Imperatores græcos in ſolemnibus verbis & ritibus diligenter imitati ſunt, erantque horum illi non minus, quam hi, quod conſtat, tenaciſſimi. Atqui vero in Archivo Carlovicenſi quod jam commemoravi, ſolemne diploma cuſtoditur Stephani reguli (Czár) Serviæ, anni 1348. $2\frac{2}{3}$ ulnas vien. longum, $\frac{1}{2}$ ulnam vien. latum, bulla argentea, intus vacua, afflata auro, communitum, cujus frontem crux duplicata coloris rubei coronat, cum perigraphe $\overline{IC}$ $\overline{XC}$ $\overline{NI}$ $\overline{KA}$. Ab inſtrumento hocce, occaſionem interpretationis novæ ſiglarum J. C. N. me accepiſſe, non diffiteor.

2.) In Chrismo ſecundæ claſſis, C majuſculum inprimis eſt conſpicuum a ſæc. IX — XI. ita tamen, ut j longioris reliquiæ in apice & in baſi literæ dominantis C adhuc obſerventur. Videntur iſtæ ornatus tantum cauſa retentæ eſſe, calligraphis de ſolo *Chriſti* ſiglo jam tantum cogitantibus.

3.) A

3.) A ſæc. deinde XI. ad XIII. ſeu ad Ottonem IV. majuſcula C ſola tantum reſtitit, poſt hujus vero tempora, e diplomatibus Germaniæ regum, in quibus Chrismi ſignum inprimis uſitatum erat, penitus omiſſum eſt.

§. 84.

Non incognitum fuiſſe Hungaris Chrismi ſignum, diploma S. Stephani Regis, an. 1001. nec non Andreæ I. 1055; S. Ladislai ſacro monti Pannoniæ collatum, quod ipſemet inſpexi, immo & Andreæ II. non pauca, quæ monogramma Chriſti in fronte geſtant, teſtatum faciunt. Eſt autem illius uſus, vita horum Regum circumſcriptus, neque tamen in omnibus Regum ſæculi XI & XII. quas quidem luſtravi literis (e. c. Belæ cœci, Stephani III. Emerici) obvius. Literis græcis, quibus S. Stephanus monaſterium ſacrarum virginum in valle Veſzprém conſtituerat, Chrismi loco, crucem ſimplicem præfixam ſtare, SZEGEDI, (*in Andrea II. Hieroſolymitano* p. 117.) qui illas ſe vidiſſe, & cum veneratione legiſſe narrat, teſtatus eſt. Illud vero Chrismon, quod antiquiſſimo omnium diplomatum domeſticorum, præpoſitum eſt, & quod meis oculis in Tabulario Exc. Cameræ Regiæ ſæpe & diligenter ſum intuitus, ſecundæ Claſſis eſt, atque monogramma Chriſti, ſeu Labarum Conſtantini inſertum ſibi tenet. Ad amuſſim illud delineari curavit RR. NOVÁK in *Vindiciis diplomatis* dicti Budæ 1780.

Chrismi uſus in Hungariæ diplomatibus.

Tab. IV. Fig. I.

*) Exempla Chrismi occurrunt apud MABILLONIUM, in *Chronici Gottwicenſis* Tomo prodromo, in WALTHERI *Lexico diplomatico*, in BARINGII *Clave diplo-*

plomatica p. 186. *N. Lehrgebäude* Tom. VI. Tab. 70. nec non in GATTERERI *Elem. dipl.* Tab. II.

CAPUT II.

STAUROLOGIA.

§. 85.

Nexus cum præc. Capite.

Doctrinæ de Chrismo non inepte subjungitur doctrina de signo crucis in diplomatibus obvio; quamvis nec illis intercedere velim, qui huic priorem in systemate locum attribuerint. Eadem enim religio, quæ chartis & diplomatibus Chrismon adpinxit, Crucibus quoque in iisdem locum fecit. Consuetudo certe omni tempore & loco, ad omnem actum & incessum, pingendi signandique crucem, ut omnium, quas antiquitas Christiana sectabatur, est antiquissima, ita hodieque inter Christianos quam plurimos vel maxime solemnis est.

*) Præcipui de venerabili signo Crucis auctores, præter novum Systema diplomat. T. VII. sunt: JAC. GRETSERUS *de S. Cruce*, inter opera ejus omnia, quæ Ratisbonæ 1734. Tomis XVII. Fol. recusa sunt, Tomo I — III. CAR. DUFRESNE *Glossarium ad Scriptores mediæ & infimæ latinitatis*, voc. *Crux.* GATTERER *Elem. A. D.* p. 183 — 204.

§. 86.

Locus & potestas Crucis in diplomatibus.

In diplomatibus cruces potissimum in fronte illorum positæ, subscriptionibusque additæ reperiuntur. Et exordio quidem diplomatum præfixæ, eandem quam Chrismon potestatem habent, Christique appellationem tacitam significant. Quod cum ita sit, mirari non possum non, cruces juxta cum Chrismis progressu temporis

poris hoc loco omiſſas eſſe, quas tamen a ſæc. XVII. ad hoc usque tempus, epiſtolas privatorum, præcipue Sacerdotum, iterum coronare cernimus. — Subſcriptionum formulis vel præfixæ, vel poſtpoſitæ, vel interjectæ etiam; chartis & inſtrumentis illam vim & auctoritatem conciliabant, quam eadem a nominis ſubſcriptione manu propria facta, accipiebant, fuitque ſigni illius venerabilis ea omnino ſanctitas, ut cum jurisjurandi loco haberetur idem, ϛαυϱοπαται audirent illi, qui a ſubſcriptione ſua reſiliebant temere. Vulgaris hæc erat ad ſæc. XI. immo ad XII. usque, inſtrumenta ſubſcribendi ratio, cum apud Græcos, tum apud Latinos, in diplomatibus eccleſiaſticis & civilibus, præcipue privatorum literis obvia, originem trahens primam a pietate hominum, ſustentata, & propagata præcipue, ab incredibili, qua ævum medium laboravit, ignorantia. Cum enim præter Clerum omnes alii rudes & ignari literarum eſſent, impares exſcribendo nomini proprio *a*), notarii miniſterio ad hujus deſcriptionem uſi ſunt *b*), adpingentes ipſimet, more hodieque inter plebejos paſſim vigente, ſignum Crucis, quod gravi tremulaque manu qualitercunque diſtortum, ita jubentibus Cæſarum, (*Cod.* JUST. tit. 30. leg. 22.) & Conciliorum (*N. L. G. der Dipl.* VII. §. 126.) legibus, juxta cum ſubſcriptione propria, auctoritatem in foro habuit. Interdum, quod in teſtium ſubſcriptionibus inprimis obſervatur, ne ſignum Crucis adeo teſtium, qui nuncupantur, eſt idiographum, ſive id factum ſit ob pigritiam & faſtum, ſive ob conſuetudinem ſæculi e. c. in diplomate Andreæ I. an. 1055. Quid? Quod formula

ſub-

ſubſcriptionis (*Signum* N. N.) retenta, ſignum tamen Crucis, quod exſpectare jubebaris, omiſſum ſit, donec tandem ipſa quoque formula vetus omiſſa eſt, teſtium nuda recenſione epilogo inſtrumenti inſerta, ſignorumque vicem ſigillis obtinentibus.

a) Si Reges adeo illius ævi analphabeti erant, quod pluribus exemplis apud MABILLONIUM p. 163. certum eſt, quantam privatorum ignorantiam fuiſſe neceſſe eſt? Exempla peregrina, quæ illam in viris principibus & nobilibus etiam, ut nihil de plebe dicam, produnt, proſtant innumera, domeſtica inferius adferam. Præjudicata ſcilicet illa ævum medium occupaverat opinio, literarum culturam, quæ mores feros emollit, interitum attuliſſe Imperio Romano, eſſeque virtuti bellicæ noxiam. Abeſt ergo ab obtrectatione, quod de Galliæ Nobilibus ſæculi XIV. legitur (FROISSART, *Hiſtoire & Chronique*, Tom. III. p. 83.) „ Les ſeigneurs ſont „ gouvernés par le clergé; n'ils ne ſauroyent vivre, „ & feroyent comme beſtes, ſi le clergé n'eſtoit " quorum nec ſæculo XV. major fuerit eruditio, cum huic ævo par auctor (COMINES), ſupinæ adhuc illos ignorantiæ arguat „ de nulle letre ils n' ont „ connoiſſance " Sed nec alibi gentium majus erat literarum ſtudium. Narrat PETRARCHA (ſæc. XIV.) ſe in urbe Germaniæ Leodienſi, atramenti aliquid reperire, & id croco ſimillimum, magno nonniſi labore potuiſſe. (MEINERS *Hiſtor. Vergleichung — des Mittelalters — mit unſerm Jahrhundert I — III. Band, Hannover* 1793. 8.) Anno vero jam 1524. cum pacem cum Ruſſis confectam, Legatus Regis Sveciæ ſubſcribere ipſe non poſſet, (*Götting. Anzeigen St.* 35. 1801.) vicaria ſacrorum, quem habebat, miniſtri ad id opera uſus eſt. Abhorrent hæc talia a ſæculi noſtri inſtitutis, juventutisque etiam illius educatione, cui non eſt equus, & pater, & res: at majori adhuc multo admiratione dignum eſt, fuiſſe olim etiam homines ſacris ordinibus addictos, apud quos tamen ſolos alias omnis erat legendi ſcribendique poteſtas, quinimo Epiſcopos etiam paſſim inven-

inventos, Musis adeo inimicos, ut nomen suum pingere non valerent. MABILLON l. c. p. 165.

b) Magnopere ergo est cavendum, ne, quum nomen alicujus literis subscriptum legis, hoc manu propria factum esse putes, utut exempla in contrarium etiam non prorsus nulla sint. Stephanus Báthori Judex Curiæ Regiæ sæc. XV — quæ dignitas in regno Hungariæ post Palatinatus honorem prima est, — scribendi erat nescius. Occurrunt tamen literæ nomine ejus subscripto communitæ, sed, quod advertendum, amanuensis opera. Conf. *Neues Lehrgeb. der Diplomatik, VII.* §. 143. & *seqq.*

§. 87.

Figura & color signi Crucis.

Otiosum esset de Figura, qua Crucis signum veteres cum in diplomatibus, tum alibi etiam effinxerunt, hic longius disserere. Pendebant hæc olim, ut hodie fere, ab hominum arbitrio, illiusque, quod elegans & pulchrum esse opinabantur, studio. Occurrunt ergo præter cruces ordinarias, *Andreanæ*, *compositæ*, *vestitæ*, *rhombatæ*, cet. Figura vulgaris maxime frequens est. Etiam color, quo idem signum pingebatur, erat varius. Imperatores Constantinopolitani pingebant illud colore purpureo: nec defuerunt Principes, qui illos in hoc imitati sunt. In Angliæ diplomatibus ante Wilhelmum conquestorem, veteri consuetudine, cruces aureæ manu Regum depictæ, in principio literarum, ante nomen regium stabant positæ, firmabanturque Anglorum cirographa, neglectis ceris, sola subscriptione testium, cum crucibus vulgo aureis, quæ alibi gentium vulgari atramento ut plurimum ductæ sunt.

§. 88.

Crux in chartis domesticis.

In Hungaria figura crucis ordinaria, quantum e paucis subscriptionum exemplis colligi potest, perpetuo obtinuit, colore nullo unquam alio quam atro & vulgari depicta. Exempla ista (nisi Dalmatiam etiam respiciamus, ubi sæc. XII. adhuc frequentia sunt) e solo fere tantum sæculo XI. superant; quamvis enim sæc. XII. testes subscriptos adhuc passim in instrumentis domesticis observaverim, *laudantes & confirmantes* argumentum eorundem *a*), eodem tamen adhuc sæculo, immo XI. adeo jam mos receptus est, solemnis postea per plura sæcula, cum in Regum Cancellariis, tum Capitulorum etiam & aliorum *Scriberiis*, (sic Cancellarias vocabant,) ut Notarius in epilogo literarum, continua serie, testium, præsentium prius tantum, postea, prouti e. c. in solemnibus Regum nostrorum diplomatibus, id hodieque in Episcoporum & regni Optimatum recensione observamus, absentium quoque nomina recenseret, nullo crucis signo addito, communiter etiam sigillis testantium & contrahentium absentibus; sigillis Judicum regni, Capitulorumque & Conventuum, coram quibus contrahere, Hungaris nunquam non solemne erat, factum omne abunde comprobantibus, donec tandem ritus subscribendi, ab illo, quem hic attigimus, paulo diversus, & de quo alibi dicendi locus erit, sæc. XV. & XVI. reviviscere iterum.

a) LUCIUS *de regno Dalmatiæ & Croatiæ Lib. III.* cap. IV. FARLATI *Illyricum sacrum*, Tom. III. p. 174.

CA-

CAPUT III.

MONOGRAMMATICA.

§. 89.

Cum monogrammata ſubſcriptionis loco in diplomatibus ſint adhibita, de uſu illorum diplomatico, continuo poſt Staurologiam differendum eſſe putavi, idque, quantum fieri potuit, compendioſe; tum ideo, quod monogrammatum uſus in re diplomatica Hungariæ perexiguus fuerit, tum etiam propterea, quod talia ſubtilius exquiſita, & operoſius deducta, abhorrere videantur a ſæculi noſtri guſtu & ſtudiis. Eſt autem *Monogramma* (chiffre, *Nahmenszug*,) figura ſeu character, ſingulas unius vel plurium etiam verborum literas, per coarctationem, ordineque vario diſpoſitas exprimens. Quotcunque ergo modis coarctari poſſunt literæ, conſtructa etiam fuerunt monogrammata; quæ ex literis *contiguis*, *innexis*, *inſertis*, atque *columnatis* exſtiterunt, ad quas interdum accedebant *adjunctæ*, præter illas, ad complementum vocis neceſſariæ. Figuras hujusmodi, Notariorum artificioſa aſtutia, ſæpe ita coagmentatas, ut interdum nec MABILLONII ingenium extricandis ſufficiat, inter crepundia ætatis mediæ refero; quæ talibus quidem calamiſtratis figuris, factu lectuque difficilibus, haud ſcio quantum ingenii, & artis ineſſe olim opinata eſt. Poſt G. LEONH. BAUDISIUM, qui de analyſi monogrammatum Germaniæ Imperatorum ac Regum duas commentationes edidit *a*), ob easdemque architecti Monogrammatologiæ laude a GATTERERO inſignitus eſt, CH. HENR. Definitio.

ECKHARDUS hoc Diplomaticæ caput egregie perpolivit *b*), GATTERERUS vero omnibus aliis idem pertractavit & plenius & accuratius.

a) G. L. BAUDISII Prof. Brunſv. (✝ 1760.) exſtant. 1) *Præparatio ad analyſim Monogrammatum Impp. & Regg. Germanicorum.* Lipſ. 1737. 4. 2) *Monogrammatum Impp. & Regum, a Carolo M. usque ad exceſſum Conradi III. analyſis, & uſus in probationibus.* Lipſ. 1737. 4.

b) In *Introductione in Rem Diplom.* p. 67 — 80.

§. 90.

Diſſolutio Monogrammatum.

Ad diſſolvendas texturas illas artificioſe contortas, quæ interdum intelligi potius, quam legi poſſunt, 1) ad ſtamen illarum, ſeu fundamentum attendendum eſt; eliciendum deinde 2) erit argumentum, quod uno, interdum pluribus etiam verbis abſoluitur.

§. 91.

Diviſio Monogrammatum a.) ratione fundamenti.

Fundamentum monogrammatum, interdum lineæ, interdum literæ conſtituunt, utræque eatenus *ductus* appellantur *fundamentales*, quatenus illis tanquam fundamento, omne reliquum monogrammatis inſiſtit ædificium. Erunt ergo, ſi ductus fundamentales ſpectes, Monogrammata, vel *linearia* vel *literaria*. Linearia omnia fere ſunt *cruciformia*: & quidem *ſimplicia*, ſi ſimplicem & ordinariam crucem ſiſtunt, ſingulis literis ad extremam linearum partem adhærentibus; *compoſita*, ſi præter ſimplicem crucem, etiam decuſſatam fundamenti loco habeant, literis orbiculari figura apices linearum tenentibus. Inter cruciformia cenſentur etiam *rhombata*, in quibus medius pro centro rhom-

rhombus, ſupplet locum vocalium in ipſo nomine occurrentium.

*) Linearia monogrammata *fere omnia* cruciformia eſſe dixi. Excipiuntur ab hac regula nonnulla quædam, quæ quadratam formam præ ſe ferre videntur, nec non *circularia*, ſeu circulis incluſa, ad quorum claſſem rotas quas dicunt Regum Hiſpaniæ, nec non orbiculos Leonis IX. PP. & ſucceſſorum referunt, qui tamen, dummodo orbiculis his rotisque illis monogrammatis notio conveniat, non inepte etiam cruciformibus adnumerari poterunt.

§. 92.

Monogrammata literalia ut plurimum *quadrata* ſunt, quamquam nec cruciformia deſint, quorum fundamentum litera X eſt. Quadriformium literæ fundamentales, quadrati ſpeciem quodammodo præſeferunt, ut H. M. N. T-T. (duplex T copulatum) ⌊-[(L & C copulata) &c. Eadem interdum *nuda* ſunt, interdum *partita*; interdum *decuſſata ſimpliciter*, vel *dupliciter*; nonnunquam *partita* & *decuſſata* ſimul. GATTERER l. c. p. 207. & 210. Monogrammata literalia.

§. 93.

Ratione argumenti ſeu contentorum, monogrammata diſpeſcuntur in *nominalia*, *titularia*, *verbalia*, & *mixta*. *Nominalia* nomen ſolum continent; *Titularia* præter nomen proprium, titulos etiam complectuntur; *Verbalia*, ſententia aliqua abſolvuntur; omnia vero concurrunt ad complicanda *mixta*. b.) Ratione argumenti.

§. 94.

Formulæ diplomatum ſolemnes, quæ Monogramma reſpiciunt, *monogrammaticæ* appel- Formulæ monogrammaticæ.

lantur, earumque altera *commemorationis* vocatur, quod in epilogo diplomatis monogramma commemoret, & exſpectare jubeat; *indicationis* altera, quæ ad utrumque monogrammatis latus infra textum collocati, interdum ad alterutrum tantum deſcripta, expreſſe declarat, cujusnam nomen monogrammati inſcriptum lateat. Exemplum utriusque formulæ, ex diplomate S. Stephani an. 1001. adfero: „ Quod ut verius credatur, hanc paginam *manu propria roborantes*, „ (formula commemorationis,) ſigillari fecimus. — *Signum Domini Stephani inclyti Regis*" (formula indicationis.)

*) In diplomate Andreæ I. an. 1055. formula commemorationis, & monogramma adſunt equidem, deſideratur tamen indicationis (expoſitionis) formula; ſine dubio quod nomen (ANDREAS) ibi coarctatum, diſerte literisque majuſculis adjecto Regis titulo (REX), ſit lectu facile. Sed eadem iſta formula etiam in aliorum Regum & Principum chartis nonnunquam omiſſa eſt.

Tab. IV. Fig. 3.

§. 95.

Origo Monogrammatum.

Antiquiſſimum monogrammatum uſum, numi græci (ipſo Romano Imperio vetuſtiores) familiarumque Romanarum loquuntur. Sed non in numis tantum, verum etiam in vexillis, ſigillis, templorum theatrorumque aulæis & parietinis, uſurpata deprehenduntur. In diplomatibus multo ſerius eadem fiunt conſpicua; quippe quæ Theodericus Oſtrogothorum Rex, ad chartas roborandas primus, quantum conſtat, adhibuit. Exemplum illius imitati ſunt Reges alii, ſed pauci & raro; ut certior, & conſtans monogrammatum in diplomatibus uſus, a Caroli demum Magni ævo obtineat.

Huc

Huc illum principum ſcribendi imperitia induxit, propagavit vero inſolens omnia ad guſtum illius ævi cincinnandi & exornandi ſtudium. Sane, qui Carolum M. ſcribendi rudem fuiſſe, ſaltem ſero parvoque cum ſucceſſu literas pingere tentaſſe tradunt, atque ut imperitiam hanc honeſto ritu ſuppleret, monogrammatis uſum loco propriæ ſubſcriptionis promoviſſe, cum MABILLONIO contendunt, nec EGINHARTI narrationi *a*) vim inferunt, nec quidquam ſtatuunt, quod vel a genio ſæculi illius abhorreret, vel quo in ipſum Carolum, omnium conſenſu magnum, eſſent injurii. Artis ergo ſcribendi expers, diplomata monogrammatibus vel ipſe roboravit, vel quod veroſimilius eſt, per alios firmari juſſit. Neque enim exiſtimandum eſt, Principes ipſos, omnia quæ oſtentantur, manu propria, contexuiſſe monogrammata; niſi forte tabella aliqua ſtabili ſeu ſtampilla, vel lamina interraſili, cui monogrammatum elementa inſculpta erant, ut per illa velut per ſulcos ſtylus duceretur, eadem efformaverint. Pleraque Notariorum opera efficta ſunt, Principibus, fortaſſis etiam ſcribendi peritis, ex uſu ſæculi, quadraturæ monogrammatis nihil, præter punctum aliquod leve, vel lineolam *manu propria* inſerentibus *b*), quod quidem illos interdum feciſſe, in *Monumentis Boicis* Tom. VI. p. 156. & 162. evictum eſt.

a) Vide EGINHARTI *Vitam & geſta Caroli cognomento Magni*, inter LEUCKFELDII *SS. rer. germ.* & in aliis paſſim SS. medii ævi collectionibus.

b) Senſus Formulæ *manu propria corroborare*, interdum in chartis ævi medii hic eſt, quod illi, a quibus charta aliqua profecta eſt, quamvis a Notario ſcripta & ſubſcripta, ut ſubſcriptionem nominis ſui

 a No-

a Notario factam ratam haberent, eandem manu sua attigerint. Exempla MABILLONIUS habet l. c. p. 168. „ Chartam hanc sigillo auctoritatis nostræ „ (Theobaldi Comitis 1083.) impresso, cruce au„ tem facta, manu nostra roboravimus, & fidelium „ nostrorum *manibus tangendo corroborandam* dedi„ mus " — „ Præsentibus istis subscriptis ac *sibi* „ *invicem pellem porrigentibus.* "

§. 96.

Potestas Monogrammatum.

Cum monogramma loco subscriptionis sit, apparet ratio variorum ejus cognominum. Mox enim *signum* audit, mox *propria manus*, *manus propriæ nota*, *character nominis* &c. In promtu ergo jam erit ratio, ob quam tam multa crucis signo innitantur; neque hoc obscurum esse potest amplius, quare monogrammatibus tantam vim ad diplomatum robur & auctoritatem tuendam, antiquitas attribuerit; & quare deinde ad calcem diplomatum rejecta sint.

§. 97.

Ubi, & quamdiu in usu fuerint?

Usus monogrammatum in Hispania & Hungaria rarus, in Britannia nullus fuit. Viguerunt illa potissimum in Gallia, Italia, & Germania. In Gallia sæc. XIII. exoleverunt penitus. In Germania ad Ottonem II. seu annum 974. pleraque omnium Imperatorum ac Regum nominalia fuere, ab hoc vero inde tempore titularium usus, ad Fridericum I. seu annum 1152. viguit, post cujus tempora, monogrammatum usus arbitrarius fuit, donec tandem Maximiliano I. Imperatore e vita decedente, e chartis Germanorum quoque omissa sunt. Fuerunt autem illa non tantum Imperatoribus & Regibus propria, utpote quibus etiam infe-

rioris ſortis homines e. c. Nobiles, Notarii, Magiſtratus; & inter eccleſiaſticos, præter Romanos Pontifices, Epiſcopi, Abbates &c. uſi ſunt.

§. 98.

De Pontificum Romanorum monogrammatibus, quæ ex ædibus ſacris (parietaria), & non ex illorum diplomatibus producta ſunt *a*), differere, non huc pertinet; nec illud me morabitur monogramma Silveſtri II. PP. quod præter nomen, etiam titulos ejus complectens, cum ſubjecto ſibi monogrammate Ottonis III. Imperatoris, diplomati 1001. inſcriptum eſt *b*). Exemplum hoc eſt monogrammatis titularis pontificii ſingulare & unicum, incognitum MABILLONIO, qui in bullis ante Leonem IX. (ab anno 1049 — 1055.) ſe nullum monogramma pontificium vidiſſe faſſus eſt. Fuit autem LEO IX. auctor monogrammatis verbalis, quod vetere Pontificum Rom. ſolemni formula, eaque finali, *Bene valete* abſoluitur, nec non mixti illius, quod *Orbiculos Pontificales* appellamus. In utroque adhibendo ſucceſſores illum imitati ſunt, adeo quidem diligenter, ut illud e literis Pontificum, quas panchartas dicunt, ad ſæc. usque XV. exulare nequeat *c*): hoc vero etiam nunc, in bullis conſiſtorialibus & maxime ſolemnibus, inter Pontificis & Cardinalium ſubſcriptiones, medium locum occupet, exhibens inter duos orbes, a crucis, manu Pontificis vulgo adjectæ, ſignaculo procurrens lemma aliquod biblicum, in areæ vero circuli, per ſignum crucis majus quadripartitæ, areolis duobus ſuperioribus, SS. Petri & Pauli AA. nomina, (hæc quidem auctore Urbano

Monogrammata Pontificum.

II.

II. † 1099.) inferioribus vero regnantis Papæ nomen & titulum *d*).

a) Exempla in Gloſſario CAR. DUFRESNE ad voc. *Monogramma* æri inciſa occurrunt.

b) Vulgavit illud una cum diplomate MURATORIUS in *Antiquitatum Italicarum medii ævi* Tom. V. 991. conf. GATTERER l. c. Tab. VIII. Num. 72.

c) *N. Lehrgeb. der Diplomatik IX.* §. 1161.

d) Lemmata illa, ſymbola alias dicuntur, ut plurimum e Psalmis deſumta ſunt. Leonis IX. erat: *Miſericordia Domini plena eſt terra;* Pii II. *Protector noſter aſpice Deus, & reſpice in faciem Chriſti tui.* Benedicti XIV. *Da mihi ſedium tuarum aſſiſtricem ſapientiam N. L. G. d. Diplom.* Tom. VII. §. 633. & *ſeqq.* Id adhuc obſervare debeo, in orbiculis illis, ad dextram nomen S. Petri ſtare poſitum.

§. 99.

Monogrammata in chartis Regum Hungariæ.

Duorum tantum adhuc Hungariæ Regum monogrammata prolata ſunt, S. Stephani nimirum, & Andreæ I. Utrumque ſæculo XI. rebus Hungarorum præfuiſſe notum eſt. Et S. Stephani quidem monogramma, quod in diplomate anni 1001. deſcriptum cernitur, literale eſt, pro fundamento habens literam X intermediam, cum extremis I & E (aut etiam G.) linea horizontali copulatam. Idem ratione contentorum titulare eſt, verba complectens: STEFANUS REX AUGUSTUS *a*). Quod cum ita ſit, mirari debeo ſimplicitatem monogrammatis, in diplomate Andreæ I. Regis, quo anno 1055. cœnobium & Abbatiam *in loco Tychon ſuper Balatin* fundavit; quippe quod literale quadriforme literæ N. innixum, *nominale* tantum eſt, nudum *Andreæ* nomen exprimens; trajecto ſpatio intermedio, quod ſigillum deciduum occupabat, titulum

Tab. IV. Fig. 2.

Tab. IV. Fig. 3.

REX,

REX, ſine omni coarctatione, ſibi habens appoſitum. Conf. GÁNOCZY *Diſſertatio hiſtor. critica, de S. Ladislao p. 9.*

a) Putabam antea fundamentum monogrammatis Stephanei literam N eſſe, partitam & decuſſatam dupliciter. Dimiſi tamen ſententiam, poſtquam ſchema monogrammatis denuo longius & diligentius fuiſſem intuitus. Nec GATTERERO (*Abriſs der Diplomatik* p. 147.) proinde aſſentiri potui, qui literam H pro fundamento habuit, verbaque collegit: *Stephanus Rex Hungariæ.* Etenim *Ungaria* & *Ungria* ſcribebatur ſæc. XI. quæ paulo ſerius *Hungaria* dicta eſt. Etiam titulus *Regis Ungariæ* illi tempori minus convenit; cum Reges S. Stephano coævi, ipſeque S. Protorex, in diplomate, de quo agitur, a populis potius, quos regebant, quam a provinciis, titulos ſuos derivaverint, appellantes ſeſe *Reges Romanorum, Francorum, Ungrorum*, nequaquam vero *Franciæ, Ungariæ* cet. Ob eandem cauſam nec plenior monogrammatis exegeſis: *Stefanus Rex Ungariæ Auguſtus*, adoptari poteſt: etiamſi literarum elementa edendæ formulæ ſuppeterent. An ego exinde *Auguſti* elogium, in monogrammatibus Imperatorum, ab Ottonis II. tempore (ab an. 974.) obvium, recte eruerim, dijudicent alii. INNOC. DESERICIUS (*de initiis ac majoribus Hungarorum* Tom. V. p. 103.) reſoluit monogramma illud in hæc verba: *Stephanus primus Rex Hungariæ.* At imperfectum eſt ſchema monogrammatis, quod idem Clar. aliquando Vir l. c. exhibuit, nec interpretatio ipſa magis probabilis.

*) Præter hæc duo Regum Hungariæ monogrammata, duo adhuc alia Protoregis noſtri vulgarunt, CAR. PÉTERFI in *Conciliis Regni Hungariæ* Tom. I. p. 4. & 5. & IGN. Com. BATTYÁNI in *Legibus eccl. R. Hung.* Tom. I. p. 381. & 387. Unum diplomati fundatæ Abbatiæ B. M. V. de radice montis ferrei (PÉCHVÁRAD) an. 1015. inſcriptum fuiſſe ferunt, alterum in privilegio Monaſterii S. Mauritii de Bakonbél, an. 1037. occurriſſe tradunt. Utraque differunt a monogrammate an. 1001. quod enodare conatus ſum; differt adhæc unum ab altero: utriusque tandem alius character eſt apud PÉTERFIUM, alius

&

& diversus iterum in BATTYÁNIO expressus est. Sunt illa ex apographis desumta, (omnia enim S. Stephani privilegia, quæ novem numero Com. BATTYÁNIUS edidit, duobus demtis, secundis tantum curis descripta supersunt,) scribarumque incuria sine dubio multum immutata, atque depravata, quæ in concordiam redigenda & enodanda, aliis relinquimus.

§. 100.

Regulæ aliquot solvendorum & dijudicandorum Monogramm.

In resolvendis & examinandis monogrammatibus, sequentes adhuc regulas teneamus oportet: 1.) Eadem litera in eodem monogrammate interdum sæpius repeti debet. In Rom. Pontificum verbali *Bene valete*, literam E. quater repetendam esse, manifestum est.

2.) Litera fundamentalis non semper est prima nominis litera; neque necesse est, ut literæ monogramma constituentes, naturali ordine se excipiant.

3.) Literarum character a scriptura illius ævi, quo monogramma constructum est, abhorrere nequit.

4.) Etiam argumentum monogrammatum, e. c. tituli, sæculo, ad quod monogramma refers, respondere debet.

5.) Genuinum erit illud, licet alia manu, atramentoque alio, quam ipsum diploma, scriptum sit.

6.) Nec illud monogramma repudiarem statim, in quo ab Orthographiæ legibus aberratum est; erroneam enim fuisse illorum temporum, quibus maxime monogrammata viguerunt, scribendi rationem, aliunde adhuc meminimus.

§. 101.

§. 101.

Sæculo XV. invalescens per literarum consequentiam, nominum etiam regiorum subscriptio, Principes ætatis illius secreta literarum cognovisse, extra dubium ponit. Efflorescentes adhæc eodem tempore literæ, & artes bonæ, gustusque hominum melior, non poterant non ex diplomatibus extrudere characteres, quos in dies intricatiores reddebat, ingenium Notariorum male sedulum, & minus tolerabiles. Caussæ exolescentis usus Monogrammatum.

CAPUT IV.

SPHRAGISTICA, SEU DE SIGILLIS.

§. 102.

Sphragistica JO. HEUMANNO *a*) Altorfino nomen, JO. MICH. HEINECCIO *b*) artis formam debet. Respondet vero Græcorum σφραγις, Romanorum *Sigillo*; quod vocis signi diminutivum, interdum instrumentum significat, quo sigilla fiebant, seu typarium; (petsét nyomó) interdum, quamvis rarius, diploma ipsum, cui sigillum vel appressum, vel appensum est *c*): (prout a bullis appensis diplomata bullas appellamus,) sæpissime vero signum illud, (petsét) quod materiæ ad id aptæ impressum, chartis aliisve rebus, majoris fidei ac firmitatis causa est additum. Hoc significatu sigilla in arte diplomatica respicimus, quorum doctrina *Sphragisticam*, utilem non minus quam jucundam diplomaticæ partem, constituit. Nomen, & definitio.

a) JO. HEUMANNI duplex opus celebratur de re diplomatica: 1) *Commentarii de re diplomatica Imperatorum ac Regum Germ. inde a Carolo M.* Norimb.

rimb. Tom. I. 1745. Tom. II. 1753. 4. — 2) Ejusdem *Commentarii de re diplom. Imperatricum & Reginarum Germaniæ,* Norimb. 1749. 4. — Ad HEUMANNI exemplum, utinam Hungariæ civis aliquis eruditus, rem diplomaticam Caroli Rob. Ludovici I. Sigismundi, & Matthiæ Regum ſingillatim illuſtrandam ſuſciperet. Talis autem huic operi optandus eſſet auctor, qui & apparatu ad id diplomatum largo gauderet, (largiori, quam ipſi HEUMANNO aliquando ſuppetebat) judicio adhæc acri, ut ſciret, quid dici debeat quid non, qui dicendi tandem ea facultate præditus eſſet, qua HEUMANNUM auctorem cultiſſimum eminuiſſe aliquando, utrumque opus, quod nunc laudavi, teſtis eſt.

b) J. MICH. HEINECCII *Syntagma hiſtoricum de veteribus Germanorum, aliarumque Nationum Sigillis.* Francof. & Lipſ. 1719. fol. non niſi cum ipſa Sphragiſtica intercidet.

c) Leges S. Ladislai Lib. I. cap. 42. & Lib. III. cap. 26. atque Colomanni regis Lib. I. cap. 6. obtemperare jubent *Sigillo judicis*, per quod aliquis in jus vocatus eſt. DUFRESNE & Auctores N. O. Dipl. (V. §. 420.) id de epiſtola judicis intelligi volunt; MABILLONIUS l. c. p. 127. dubius eſt; BATTYANIUS vero in *LL. eccl. R. Hung.* Tom. I. p. 59. 60. ſigillum fuiſſe contendit, quin definiat, typarium ne fuerit ipſum, vel exemplum tantum typario expreſſum. Mihi typarium ſigilli judicialis fuiſſe, vel annulum ſignatorium, in argumentum fidei & auctoritatis publicæ oſtenſum, eſt veriſimile.

§. 103.

Populi, qui ſigillis uſi ſunt.

Cum meliori vitæ morumque cultura, cum legibus & inſtitutis, ab Ægyptiis ad Hebræos, Græcos, & Romanos, ab his vero poſt fata reipublicæ romanæ, ad omnes fere Europæ populos ſe propagavit annulorum, (annulis enim primum ſunt uſi veteres pro ſigillis) & ſigillorum uſus, ita quidem, ut ſi innocentiam & ſimplicitatem fraudis ignaram, ætatis, quam auream dicunt, populosque ab humanitate & melio-

melioribus inſtitutis prorſus alienos, demas, difficilius ſit populos invenire, qui ſigillorum uſum vel olim ignoraverunt, vel adhuc ignorant, quam qui eodem, & olim gaviſi ſunt, & adhuc gaudent.

§. 104.

In Hungaria, quousque in re diplomatica regni hujus regredi licet, ſumma fuit ſemper ſigillorum auctoritas. Cum enim reges noſtri diplomata domeſtica, ad Ladislaum usque poſthumum, nec nominis ſubſcriptione per literarum conſequentiam muniverint; neque, ſi unum alterumque ſæculi XI. privilegium monogrammate corroboratum excipias, ullo alio ſolemni ſigno, niſi ſigillo literas ſuas firmaverint; facile ratio apparet, ob quam in literis ipſis, ſingulari plerumque formula, earundem fidem & robur, a ſigillo adnexo repeti voluerint; quare porro nec olim diploma quodquam in foro produci potuerit, neque hodie in judiciis quidquam valeat, niſi illud ſigillo, ſaltem indubitato ſigilli fragilis, attamen genuini veſtigio munitum ſit *a*). Valent hæc de literis etiam Judicum regni, quos ordinarios appellamus, nec non Capitulorum & Conventuum Hungariæ, (cirographis adeo,) quæ inde a primordiis regni, perpetui teſtes & interpretes voluntatis alienæ fuerant. (§. 7.) Tam grande ſigillorum in re codicillari momentum, cauſa fuerit ſeveræ illius legis an. 1498. art. 14. in Regni Comitiis perlatæ, quæ ſtigmate ſigilli igniti in frontibus & utraque facie notare juſſit Capitulares & Conventuales, qui vel ipſi

Auctoritas ſigillorum.

falſas

falſas literas (ſigillo authentico) obſignarunt, vel talia agentibus adfuerunt.

a) *Op. Tripart.* P. II. Tit. 17. §. 2.

§. 105.

Sigilla loco ſubſcriptionis.

Sed non Reges tantum & Capitula, ſubſcriptionis loco ſigilla ſua uſurparunt, quæ, ut ita dicam, ſummam omnium reliquorum ſolemnium complexa ſunt: verum ex quo ſigillorum uſus magis communis eſſe cœpit, ita ut nobiles etiam & privati cives ſigilla adoptarent, vicem ſubſcriptionis & teſtimonii iſtorum quoque ſigilla ſuppleverunt, ad illud usque tempus, quo hodiernus ſubſcribendi mos vulgaris factus eſt. In Tabulario vetuſtæ gentis de Butka in provincia Saroſienſi, diploma conſervatur Ladislai Cumani, an. 1278. editum, de cujus membrana, ad latus ſigilli regii pendentis de filo ſericeo utrumvis, quaterna dependent ſigilla regni procerum, vinculis alligata membranaceis. Scilicet ſubſcriptionis loco, majorisque fidei & firmitatis cauſa, Epiſcopi & regni Barones, qui in contextu recenſentur, ſigilla ſua adjunxerunt regio *a*). Ita porro ſolemne electionis diploma Uladislai I. in Regem Hung. datum Budæ in ipſo die SS. Petri & Pauli AA. anno 1440. ſigillis 88. veluti totidem ſubſcriptionibus corroboratum eſt: inſtrumentoque illi, quo coronationem ejusdem regis, factam corona ex reliquiis S. Stephani detracta, ratam habuerunt Regni Ordines, ſigilla 65. adnexa ſunt *b*). Exemplum autem querulæ illius Bohemorum epiſtolæ, quam Patribus Concilii Conſtantienſis anno 1415. firmatam 350. ſigillis obtu-

obtulerunt, quamvis ſit extraordinarium, quod judice HEINECCIO (l. c. p. 10.) vix ſibi par in omni hiſtoria inveniat, non tamen ſingulare dici poteſt atque unicum; inter MSS. enim Bibliothecæ, quam cuſtodio, inſtrumentum vidi legique, chirographis & ſigillis 412. annularibus illorum, qui eccleſia græca derelicta Romano Pontifici ſe obſtrinxerunt, communitum. Subſcriptionibus hæc verba duntaxat aliquot, profeſſionis fidei loco ſtant præpoſita: „ *Subſcri-* „ *ptiones Dominorum Boieronum & Nobilium* „ *Unitorum Diſtrictus Fogaras. In anno* 1711. „ *die* 20. *Julii* " c).

a) In teſtimonium gratiæ, qua Ladislaus Rex Stephanum Banum filium Stephani Bani perduellionis reum donarat, diploma hoc datum eſt. Impertitus illam erat Rex jurejurando, qui ut reum ſibi adhuc magis devinciret, eidem „ judicatum Curiæ Re- „ giæ, & Comitatum Muſunienſem, milleque mar- „ cas pro ſtipendio annuali " promiſerat, promiſſorum complementum Primatibus Regni, quorum ſigilla regio jungebantur, pro rege ſpondentibus. De ſigillis iſtis tria adhuc, obliterata quamvis epigraphe, reliquorum autem vincula nonniſi adhuc ſuperſunt.

b) Diplomata hæc ex autographis deſcripſit, jurisque publici fecit MATTHIAS DOGIEL Cler. Reg. ſchol. Piar. in *Codice diplomatico Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithuaniæ* Tom. I. Vilnæ 1758. fol. pag. 55. 56. præter complura alia, quæ illuſtrandæ Hiſtoriæ patriæ, reique ejus diplomaticæ egregie inſerviunt. In Hungaria excellentiſſimi hujus operis, cujus nonniſi Tom. I. IV. atque V. prodierunt, ſuppreſſis reliquis, quantum ego ſcio, vix tria quatuorve reperiuntur exemplaria. Illud, quo ego uſus ſum, ad Bibliothecam pertinet Illuſtr. L. B. ALEXANDRI PRÓNAI de TOTH - PRÓNA, viri literatiſſimi, literatorumque amantiſſimi.

c) Inter MSS. GABR. HEVENESSI Tomo HHHH. ſeu XXXIV. Manus in ſubſcriptionibus illis raro variat,

 fre-

frequentior est sigillorum variatio. Subscripti plerique omnes Valachi erant Transilvaniæ incolæ.

§. 106.

Typariorum custodia.

Cum ergo tanta sigillorum fuerit cum alibi, (præcipue a medio sæc. XII. *a*) tum in Hungaria auctoritas, non potuerunt non typaria sigilli regii servanda committi viris, qui & integritate summa essent, & summo in republica loco positi. Ut plurimum hæc cura, ævo intermedio, viris ecclesiasticis dignitate inter ceteros conspicuis, erat demandata; utpote qui Regibus erant ab epistolis. Solebant hi priscis temporibus, Reges, vel suas provincias obeuntes, vel etiam a regno longius recedentes, pace non minus quam bello, instructi sigillis illorum authenticis comitari, eisdemque mox ad communiendas Regum quas edebant literas uti, mox iterum eadem illa, ad augenda quæ agebantur solemnia, ceu symbola præsentis auctoritatis regiæ, honorisque quo ipsi fungebantur, circumferre *b*). Exempla amissi ita Typarii regii *c*), causa fuerit dimissæ postea consuetudinis, exponendi typaria Regum tot viarum periculis, objiciendique illa fraudulentorum hominum malis artibus *d*).

a) *N. Lehrg. der Diplom.* T. VI. §. 109. & 371. De sigillis Episcoporum & Comitum id præprimis intelligi velim, quæ ante medium sæc. XII. admodum rara, sed ad diplomatum confirmationem ad illud usque tempus nec necessaria erant. Sunt adeo literæ Regum Galliæ ante sæc. XII. solo signaculo crucis communitæ. In Hispania sigillorum usus universe vix ante sæc. XII. invaluit (*N. L. G.* Tom. V. §. 725.) A medio vero inde sæc. XII. in Gallia saltem, sigilla summe censebantur necessaria, „ ubi donationes pias malitia illorum dierum non „ recepit, auctoritate evacuans, quas non sigilla-

„ tas

„ tas conſpexit. " Non ſuit ſcilicet eadem in Gallia, quæ in Hungaria nunquam non erat, Capitulorum fides & auctoritas.

b) Secundum aureæ bullæ Caroli IV. Imp. an. 1356. ſanctionem (SCHMAUSZ *Corp. jur. publ. S. R. I.* p. 33.) in convivio ſolemni Cæſareo, Electori Moguntino ſigillum Cæſaris majus, de collo pendulum, ad finem usque cœnæ geſtandum, deinde vero in generoſo equo ad Cancellarium remittendum eſt. Etiam in Hiſpania, ſigilla regia in pompis ſolennioribus equo vehendi mos, ſaltem antea viguit; ubi illa transferenda de loco in locum, imponebantur equo tam ſumtuoſe inſtructo, ac ſi rex ipſe illum conſcenſurus fuiſſet, comitantibus eundem Præſide, Senatoribus, aliisque Cancellariæ Miniſtris, cum tubis & muſicis inſtrumentis. HEINECCIUS l. c. p. 12.

c) Apud Belæ IV. Regis Cancellarium, qui in funeſto illo, an. 1241. cum Tataris commiſſo prœlio occubuit, ſigillum Regis, ROGERIO teſte, a Tataris repertum, inque nefarios uſus eſt adhibitum. E ſexcentis diplomatibus confirmationis Ludovici I. Regis ab anno 1364. conſtat, Nicolao Archiepiſcopo Strig. & Cancellario, cum Rege ad exſtirpandas hæreſes, cum exercitu in Bosniam profecto, ibidem utrumque par ſigilli regii authentici furto fuiſſe ablatum, atque, ut THUROCZIUS narrat, poſt tempus aliquod, *per ipſos fures in Biſztricia cuidam auri fabro venditum.*

d) Sigismundus literas, quibus Pragæ 1436. Judæorum Hungariæ privilegia antiqua probavit amplificavitque, (jubendo inter alia Chriſtianos „ *pro uſura de ſingulis centum denariis ebdomadatim Judæo denarios duos* " ſolvere) ſigillo communivit minori, quo ut Romanorum Imperator uſus erat „ aliis, ut ibi legitur, " noſtris ſigillis tam ſcilicet majori duplici, quam etiam minori ſecreto, quibus „ uti Rex Hung. utimur, tempore exitus noſtri de „ Regno noſtro Hungariæ ad Bohemiæ partes nuper facti, apud fidelem noſtrum Ven. Dom. Matthæum ſummum Cancellarium R. H. noſtræ Majeſtatis, certis & rationabilibus ex cauſis dimisſis & derelictis. " — KAPRINAI *Hiſt. dipl. Matthiæ Regis* P. I. p. 474. — Luculentius de hac Re-

 gum

gum consuetudine Ferdinandus I. 1528. Ratisbonam ad Comitia Imperii abiturus Bartphensibus scripsit: „ utque res nostræ commodius ac majori „ authoritate possint administrari, sigillum nostrum „ secretum, penes præfatum Cancellarium nostrum „ reliquimus, literæque nostro nomine & sub hoc „ ipso sigillo, perinde ac si præsentes essemus scri-„ bentur. Quod nemini mirum aut novum videri „ debet; res enim toto fere orbe christiano usitatissima, ut dum Principes necessitate aliqua, fines „ regnorum suorum egrediuntur, sigilla domi & „ in suis regnis relinquant, ut personæ duntaxat „ eorum abesse videantur, authoritas vero inter „ subditos præsens & assidua maneat. " Vid. CAR. WAGNER *Diplomatarium Comitatus Sarosiensis*, Posonii 1780. 4. pag. 162.

§. 107.

Falsarii Sigillorum.

Quamvis vero non modo laude, sed admiratione etiam digna sit veterum in custodiendis sigillis, præcipue publicis, diligentia; quæ ut sacrilegas manus impostorum evaderent, mortuo, ad quem pertinuerant, Principe, continuo vel Tabulariis & locis sacratioribus inferre, vel confringere *a*), vel una cum possessoribus humo mandare solebant *b*): non poterant tamen etiam gravissimarum pœnarum sanctione, fraudes dolosque omnes antevertere *c*). Errant, qui crimen istud in solos Monachos rejiciunt, quo se passim contaminabant olim Sycophantæ etiam civilis ordinis. (§. 15.) Neque vero ad fraudes ope sigilli committendas, nova semper typarii eaque operosa sculptura opus fuit, cum inter plures nefarios modos abutendi sigillorum testimoniis, illa præcipue superesset facilior, ac proinde etiam multo frequentius usurpata aliis imponendi perversa ratio, subtrahendi nimirum sigilla genuina de diplo-

diplomatibus indubiis, eademque applicandi literis ſpuriis atque commentitiis. Hac fraude nulla latius patuit. HEINEC. l. c. p. 175.

a) Perpetuo hoc fit in exequiis Rom. Pontificum. Idem cum forma ſignatoria bullarum Joannis XXIII. PP. in Concilio Conſtantienſi factum eſt. Obſervatum id aliquando eſt etiam in Hungaria; mortuo etenim Matthia I. (1490.) „ ne quid interregni „ tempore fraudis malique doli, ex literis Majeſta- „ tis Regiæ falſo obſignatis, committi poſſet, rega- „ lia ſigilla, in medio Senatu, præſidente regina „ Corvinoque, diffracta ſunt. " BONFINIUS *Rer. Ungar.* Dec. IV. Lib. VIII.

b) HEINEC. l. c. p. 14. — *N. Lehrg. der Diplom.* VI. §. 395. Quæ cum ita ſint, theſaurum prorſus ſingularem illum fuiſſe dicamus, quem A. FRID. GLAFEY (+ 1753.) olim poſſederat. Complectebatur ille 290. formas ſignatorias authenticas (typaria), a SERTORIO URSATO Nob. Veneto ex diverſis Europæ regnis coactas. Vid. A. F. GLAFEY in *præfat. ad Specimen Decadem Sigillorum complexum.* Lipſiæ 1749. 4.

c) Juxta veteres Hungarorum leges, notam infidelitatis incurrebant ſigillorum (publicorum & authenticorum) falſarii, cujus criminis, quo atrocius LL. domeſticæ ignorant, mors eſt & fortunarum confiſcatio. Conventum Cruciferorum domus Hoſpitalis Eccleſiæ B. Regis Stephani Albenſem, locum, ut in Hungaria nuncupantur, olim credibilem, aliquando hoc crimine infamem fuiſſe reperio. Idem enim ſub Wladislao II. 1506. ob uſum ſigilli adulterini, ad amiſſionem ſigilli & pœnam perduellionis, a judicibus regni condemnatus, accepta ab Wladislao II. (literis ſigillo ſpurio expeditis, tempus Conventualium damnatorum antecedentibus) delicti venia, anno 1537. Canonicum Collegiatæ Eccleſiæ B. V. M. de Alba, Petrum Eſztergáros antea Cruciferum, ob ſigillum falſum quod authentico ſigillo Conventus ſuppoſuerat, in vinculis apud ſe detinebat, accuſandum in publicis regni Comitiis. HEVENESSI MSS. I. 288. & *ſeqq.* — E lege regni 1723. art. 11. falſarii morte puniuntur, bonis quæ habent, ad juſtos hæredes tranſeuntibus.

§. 108.

Typariorum variatio.

In diplomatibus Regum Europæ ante ſæculum XIII. nulla typarii immutati exſtat memoria. Ex quo vero diplomatum robur domi forisque in ſigillis poni cœpit, ob eandemque cauſam etiam fraudes ſphragiſticæ frequentiores exſtiterunt, frequentior utique eſſe debuit, & typariorum variatio, & quod ſecuritatis publicæ maximopere intererat, variationis hujus intimatio. Hungariæ ergo Reges, præcipue ſæc. XIV. & XV. ſolemni edicto id ſine mora promulgabant, quotiescunque illorum ſigillum vel caſu erat amiſſum, vel ob quamcunque cauſam aliam *a*) reformatione indiguit. Et prima quidem ſigilli novi, ob perditum antiquum, mentio, diplomate fit Andreæ II. Regis an. 1216. quo *Thomæ C. Nitrienſi donationem terræ Bozyn, ſub priori ſigillo, quod in occiſione reginæ Gertrudis fuerat perditum, factam, ſigillo novo* confirmaverat *b*). In literis Belæ IV. nuſpiam sigilli innovati exſtat memoria, quamvis in infelici illa cum Mongolis ad amnem Sajó pugna, typarium ſigilli regii, barbarum detinuiſſe, annalium fide (M. ROGERIUS *de Deſtructione Hung. per Tartaros facta*, cap. XXXI.) exploratum ſit. Mutavit etiam Ladislaus Cumanus ſigillum ſuum *c*); omnium vero ſæpiſſime in judiciis allegantur ſigillorum Caroli I. Ludovici I. & Sigismundi Regum innovationes illæ, quas WERBOECZIUS in *Tripart.* P. II. Tit. 14. commemorat *d*). Horum enim privilegia vi omni carent, niſi e præſcripto legum ſigillis eorundem novis approbata ſint: quæ cum conditio virtuti privilegiorum Regum ſæculi XIII.

priori

prioribus horum ſigillis obfirmatorum adjecta non ſit; apparet ratio, ob quam WERBOECZIUS hiſtoriam mutatorum ſigillorum, non altius quam inde a Carolo Rob. Rege exorſus eſt. — Cum porro ſigillorum capitularium auctoritas inter nos magna ſit: neceſſaria quoque erit metamorphoſeon ſigilli cujuslibet capitularis *e*) cognitio.

a) In diplomate Sigismundi Regis anni 1419. titulorum & inſignium augmentum, ceu ratio typarii prioris rejecti adducitur: „ Rector Capellæ S. Spi„ ritus de Leybicz exhibuit nobis — — — & aliam „ noſtram patentem ſub appreſſione ſecreti ſigilli „ noſtri, quo ut Rex Hungariæ utebamur, *nuper „ propter augmentum tituli noſtri imperialis, ſub quo „ aliud ſigillum noſtrum in alia forma ſimiliter ſecre„ tum ſculpi fecimus & fabricari, per nos rupti, & „ in partes diſſecti*, confectum " WAGNER *Analecta Scepuſii* Tom. I. p. 274. — INNOCENTIUS PP. IV. alterum bullæ ſuæ typarium, quo capita AA. P. & P. expreſſa ſunt, *diutinæ malleationis percusſuris* confractum, renovari curavit, idque ipſum ne fraudi occaſio præberetur, 1252. literis minori bulla obſignatis promulgavit. *N. L. G. der Diplom.* VI. §. 386.

b) Didici hoc e monumentorum ævi medii collectione manuſcripta, clar. olim JOSEPHI BENCZUR, quæ poſt fata viri, in eruderandis & applicandis iſtiusmodi monumentis indefeſſi († 1784.), jure emtionis ad Illuſtr. L.B. ALEXANDR. PRONAI tranſiit.

c) „ Præſentes conceſſimus literas duplicis ſigilli noſtri „ novi, quod propter bonum, pacificum, & perpe„ tuum ſtatum regni noſtri, de Prælatorum & Ba„ ronum noſtrorum conſilio fecimus innovari, prio„ ra & authentica ſigilla noſtra, propter diſſenſio„ nes & turbationes regni noſtri, quas ipſum „ regnum noſtrum & nos perpeſſi ſumus, propria „ in perſona confringendo, munimine roboratas. „ Datum — — anno Domini 1288. " WAGNER *Diplomatarium Comitatus Saroſienſis* p. 304.

d) „ Rex Carolus, — inquit ille — tria ſigilla habuit, „ quorum duo per eundem fuerunt revocata, &

„ privilegia ſub illis emanata non ſervantur, niſi
„ per tertium poſterius fuiſſent roborata. Quod
„ quidem tertium ſic agnoſcitur, ut e partibus
„ clypei in area ſigilli exſculpti, (in quo vide-
„ licet clypeo duplicata crux continetur,) ſint duæ
„ figuræ draconis. — Item Ludovicus Rex, ipſius
„ Caroli filius, duo ſigilla habuit, quorum primum
„ in partibus Wzuræ deperditum, & Reverendiſſi-
„ mo Domino Nicolao Archiepiſcopo Strigonienſi
„ Cancellario ſuo ſubtractum, non tenetur, niſi
„ per ſecundum novum fuiſſent literæ ſub priori
„ ſigillo editæ, poſtea confirmatæ. Sub quo novo
„ ſigillo, tam literæ ejusdem Regis Ludovici, ſub
„ ipſo priori ſigillo ſuo confectæ, quam etiam præ-
„ dicti Domini Caroli Regis patris ſui, ſub duo-
„ bus prioribus ſigillis caſſatis, anullatis, emana-
„ tæ; per appenſionem ejusdem novi ſeu ſecundi
„ ſigilli fuerunt tandem confirmatæ.“ *cet.* Inter
diplomata adhuc, quorum in foris regni Hungariæ
nulla eſt auctoritas, literæ pertinent Ludovici I.
Regis, ſigillo ejus ſecreto munitæ, nec non omnes
omnino Eliſabethæ & Mariæ reginarum, & Sigis-
mundi Regis etiam, ante annum 1406. confe-
ctæ, niſi novo Sigismundi Regis ſigillo confir-
matæ ſint: „ pro tollendo, — ut Sigismundus
„ in diplomatibus confirmationis adſerit — omni
„ dubio, removendo ſcandalo, & ad evitanda
„ multa atque varia, quæ propter ſigillorum ipſarum
„ dominarum reginarum deperditionem, noſtrorum-
„ que tam minoris quam majoris, videlicet dupli-
„ cis, e cauſis, & rationibus legitimis confractionem,
„ in multorum juribus, — periculoſa detrimenta
„ hactenus evenire potuerunt“ — Ad calcem li-
terarum, quas Ludov. I. ab anno 1364. novo ſuo
ſigillo firmabat, longior plerumque clauſula legi-
tur, cui hiſtoria cum ſuorum tum patris ſigil-
lorum inſerta eſt; quod Sigismundo R. in exor-
dio diplomatum, quæ tranſumebat, facere placuit.
Vid. WERBOECZ. l. c. & SPIESS *Archiviſche Neben-
arbeiten* P. II. p. 5. — Exhibebat autem deperdi-
tum Ludovici I. ſigillum Regem, manu ſiniſtra qua
globum tenebat protenſa, perigraphen ſimplici orbe
contentam, thronumque ſcutulis adjacentibus de-
ſtitutum: in novo contra Rex, manu ſiniſtra pe-
ctori

ctori admota, throno insidet adstantibus ex utroque latere, prout hoc idem in sigillo Mariæ Reginæ (Tab. V. Fig. 10.) cernimus, regni insignibus; perigraphe duobus circulis inclusa. — In Sigismundi Regis deperdito, in parte sigilli principe, in dextro throni latere scutum fasciatum, in sinistro crux duplicata erat. —Eadem in parte sigilli altera in scuto cordiformi fuit conspicua, caput scuti aquila occupante, latus vero utrumque draconibus alatis quinque stipantibus. Istis in sigillo reformato sex scutula, frondibus & floribus intercepta, substituta sunt, quæ parte etiam adversa Regem throno innixum ambiunt. Conf. PRAII *Commentatio historica de vetere Reginas Hungariæ coronandi more. Pest.* 1792. 8. pag. 48. & *seqq.* ubi discrimen etiam inter sigilla Andreæ II. & Ladislai Cuni antiqua & nova ostensum est. — Plura dabit celeberrimi ejusdem viri *Sphragistica Regni Hungariæ*, cui elucubrandæ auctor complura lustra impendit, & quam omnes avide exspectant, quicunque talium rerum gnari & amantes sunt.

d) Exemplum antiquissimum immutati sigilli capitularis, literæ Capituli Jaurinensis 1279. commemorant, in quibus literæ ejusdem Capituli anni 1271. sub priore & antiquo sigillo editæ, ceu veræ, quod quidem e forma sigilli prioris, e modo dictandi, (stylo) & testimoniis fide dignis patuisse dicitur, transumtæ sunt. KAPRINAI MSS. B. I. Nro. XIX. Plura hic loci similia exempla congerere, opus non est. Describam tantum adhuc exordium literarum Capituli Colleg. Eccles. S. Martini de Scepus anni 1320. quod mihi quidem dignissimum hoc loco visum est. „ Nos Capitulum Eccl. „ b. Martini de Scepus, memoriæ commendantes „ significamus universis, quibus expedit, præsen„ tium per tenorem; quod cum in spoliatione Ec„ clesiæ nostræ, per Regem Ladislaum, & suos „ Neugaros, inter damna quam plurima, una cum „ aliis rebus, antiquum sigillum nostrum fuisset „ perditum & ablatum, nos iniquorum fallacias „ æquitatis tramite retundere cupientes, omnige„ narum conditionum literas, sub antiquo sigillo „ nostro emanatas, quæ novi sigilli nostri testi„ monio renovatæ non fuerint, publica protesta„ tione præmissa, cassandas, & refutandas decre-

„ vimus,

„ vimus, ad cautelam. Hinc eſt &c. " Vid. GODOFR. SCHWARZ *Recenſio crit. originum & occaſuum Tranſilvaniæ*, *auctore* LAUR. TOPPELTINO. Rintelii 1766. p. 33,

§. 109.

Diviſiones Sigillorum variæ.

In doctrina de ſigillis præcipue obſervanda ſunt: 1.) Materia ſigillorum. 2.) Figura. 3.) Inſcriptiones ſigillorum. 4.) Modus adnectendi ſigilla. 5.) Perſonæ, quæ ſigillis uſæ ſunt. Poterunt inde pleræque ſigillorum ſpecies deduci commode.

§. 110.

Materia Sigillorum.

Vulgaris ſigillorum ævi intermedii materia duplex fuit: *cera communis*, & *metallum*. Et cera quidem uti antiquiſſimum, ita nunquam non uſitatiſſimum etiam materiæ genus fuit, cui ſigilla impreſſa ſunt. Poſt Græcos & Romanos ergo, ætate quoque media, materie tenaci illa, & facile parabili, omnes utebantur, quibuscunque jus ſigilli fuit proprium. Ad illius *colorem* inprimis, deinde ad *mollitiem* etiam, diplomatum cenſori diligenter attendendum eſt.

§. 111.

Cera alba, rubra.

Fuit videlicet cera, quæ ad ſigilla effingenda adhibebatur diverſicolor. Alba utplurimum utebantur Reges noſtri, ut adeo ſigilla Regia impreſſa ceræ flavæ, ſint anomalia. — Reſiſtit autem edacitati temporis cera lutea præ alba (punica PLINIO) longius, quas a ſe invicem ſecernere, etiam ſcalpello leniter admoto, res ſæpe eſt perdifficilis, cum utravis progreſſu temporis alterius colorem induat *a*). *Rubræ*

bræ ſeu *minatæ* uſum aliquamdiu Græci Imperatores ſibi ſolis ſuperbe arrogabant, donec Europæ Reges reliqui, nec non ſacræ dignitatis viri, jus ſignandi cera rubra, commune ſibi cum Græcis facerent. Quamquam vero in Germania, Fridericus I. Imperator cera rubra uti inceperit, & in Hungaria Carolus Robertus, nec non ſucceſſores ejus, in cera miniata identidem ſigilla ſua minora expreſſerint: illos tamen hac in re imitari nemini cuiquam integrum fuit, niſi peculiari ad id privilegio inſtructus eſſet. Id certum eſt, Barones regni & Epiſcopos, jam Ludovici I. Regis tempor, literas cera rubra paſſim ſignaviſſe, (DOGIEL Tom. I. pag. 38.) qui honos, Urbibus Hungariæ quidem ſæculo XV. diplomate conferri cœpit, Comitatibus vero ſerius aliquanto collatus eſt *b*). Fit hodieque, ſtylo nimirum diplomatum vetere retento, ut dum Nobilium aliquis Magnatum, ſeu Liberorum Baronum, Hungariæ numero adſcribitur, inter ceteras prærogativas jus quoque utendi cera rubra locum inveniat.

a) J. BECKMANN'S *Beyträge zur Geſchichte der Erfindungen. I. Band, S.* 482. 83.

b) Hujusmodi privilegium acceperunt Cibinium (*Hermannſtadt*) Caſſovia, & Bartpha 1453. Poſonium „ more civitatis noſtræ Budenſis " 1459. Kesmarcum 1463. Sopronium 1465. Eperieſinum 1508. Szakolcza 1524. (KATONA *Hiſt. crit. RR. Hung. ſtirpis mixtæ.* Tom. XII. ord. XIX. p. 454.) Cibinium minus 1533. — Idem impetrarunt Slavonia 1496. Comitatus Scepus 1624. Abaujvar. 1659. cet.

§. 112.

Quibus rubra cera uti integrum nondum erat, flava utebantur, vel viridi; illam Reges Gal- *Cera flava, viridis, nigra.*

Galliæ ſæc. XIV. & XV. in deliciis habebant *a*), utramque autem promiſcue fere *b*) adhibebant in Hungaria illi, quibus jus ceræ rubræ conceſſum necdum erat, usquedum ex ſpeciali Regum venia, ſæc. XV. XVI. XVII. ad illius uſum admiſſi ſunt. DOBNERO teſte ſigilla *cerea nigra* Bohemiæ Ducum ſæc. XI. XII. ſuperſunt *c*). Etiam apud nos erat coloris nigri in ceris uſus aliquis, etſi rarior *d*): Magnis vero Melitenſium equitum Magiſtris, in literis non tantum commeatus, ſed alterius etiam argumenti ſæpe maximi muniendis *e*), adhucdum ſolemnis eſt. Deinde Privilegium adhuc duplex Germaniæ Imperatorum utendi cera *cærulea*, Scriptores Germaniæ commemorant, cujus attamen coloris ceræ, nemini cuiquam adhuc viſæ ſunt *f*).

a) *N. L. G. der Dipl.* Tom. V. §. 470.

b) Viridi attamen majus quid tribuiſſe videntur; inter formulas enim Cancellariæ Matthiæ Corvini, privilegium exſtat Civitati T. collatum, ſignandi cera viridi. KOVACHICH *Formulæ ſolemnes* p. 519.

c) *Abhandlungen einer Privat-Geſellſchaft in Böhmen I. Bd. Prag.* 1775.

d) Tranſumſit Capitulum Scepuſienſe anno 1367. „ literas prudentis Johannis Schurke dicti, Comitis „ provinciæ Scepus, & 24. juratorum de eadem „ Scepus, anno 1360. confectas, ſigilloque prædi„ ctæ terræ Scepus, in Kapſula pergameni depen„ dente, in *nigra cera* communitas, in cujus me„ dio magna turris apparebat " cet. Exemplum hoc ceræ nigræ in Hungaria ſuggeſſit mihi ANDR. JONAS CZIRBESZ V. Cl. Iglovienſium inter Scepuſios orator ſacer diſertiſſimus.

e) Coram me habeo Tranſumtum authenticum, ſeu Vidimus, privilegiorum equeſtri ordini, qui nunc Melitenſis nuncupatur, a PP. Gregorio X. conceſſorum, cujus clauſula ſequens eſt: „ in hujus rei „ teſtimonium *Bulla noſtra magiſtralis in cera nigra* „ præſentibus eſt impreſſa. Datum Melitæ, in Con-

„ ven-

„ ventu noftro die 20. menfis Maii 1657. " Sigillum moduli medii, ceræ nigræ charta prius coopertæ impreffum, protomen Magiftri umbilicotenus exhibet, cum perigraphe nomen titulumque Magiftri recitante. HEVENESSI MSS. I. p. 415. 419.

f) JO. FRIDR. JOACHIM *Einleitung zur deutfchen Diplomatik. Halle* 1754. p. 54. conf. BECKMANN l. c. p. 484.

§. 113.

Sigilla cerea pura & mixta.

Sigilla cerea, quæ uno feu fimplici colore conftant, figilla appellantur *pura*, quibus opponuntur *mixta*, quæ in Hungaria ex parte una mox alba, mox rubra, viridia item funt; ex altera vero communiter lutea, ita ut quæ honoratior figilli pars eft, infcriptionem in cera alba, viridi, rubeave referens, parti alteri, ceu conchæ profundius impreffa fit. Exempla mixtorum in Hungaria e fæc. XIV. *a*) & XV. (immo quædam & ex XIII. *b*) adeo) fat multa fuperfunt; inter quæ præcipue Epifcoporum ætatis illius figilla pertinent.

a) Literæ anni 1355. in quibus Proceres regni Hungariæ, jurejurando ad pacta inter Carolum Hungariæ & Cafimirum Poloniæ Reges, de fucceffione filiorum illius in regno Poloniæ, inita accefferunt, anno 1357. auctoritate publica Cracoviæ tranfumtæ funt. Tranfumti introitus, figilla Procerum Hungariæ mixta commemorans, fequens eft: „ Noverint univerfi præfens Tranfumptum, feu Transfcriptum publicum infpecturi, quod nos Joannes „ Decanus, & Cancellarius Cracovienfis, vidimus, „ & diligenter infpeximus, quandam patentem literam, fanam & integram, omnique prorfus vitio „ carentem, tenoris & continentiæ infrafcriptæ. „ Cui quidem Literæ decem figilla, duo oblongæ „ figuræ, octo vero fphæricæ figuræ, *de cera communi ad tergum, fed ad faciem de cera rubra*, folum ultimum figillum de cera communi, *ex utraque parte*, in pergameni preffulis appendebant, „ tenor

„ tenor vero ejusdem per omnia ſequitur in hæc „ verba " — — DOGIEL l. c. I. 38.

b) Vidi Andreæ II. Regis ſigillum cereum ſimplex, cujus facies coloris erat albi, flavi contra moles reliqua.

§. 114.

Cera vetuſta arida.

Cum mollities & pinguedo, ceræ recentis adhuc ſint indicia, & ſigilla eo majorem præſeferant antiquitatem, quo aridior, magisque exſiccata eſt cera, ex qua conflata ſunt: oppido apparet, ſpurium eſſe ſigillum, quod antiquius eſſe perhibetur, quam illud ceræ indoles eſſe patitur.

§. 115.

Cera Hiſpanica; oblatæ.

Inventionem Ceræ, quam vulgo *Hiſpanicam* appellamus, PP. Benedictini perperam gentili cuidam ipſorum (ROUSSEAU) quæſtori ſæculi XVII. deferunt *a*); utpote cujus uſus publicus jam anno 1554. in Germania obtinuit *b*). Sigillum farinaceum vero, in oblata ſeu hoſtia ut vulgo appellant, miniata, chartæ ſuppoſita expreſſum, poſt iteratas curas nullum inveni 27. Julii 1602. antiquius *c*). Antiquiora hocce, nec non illo, quod literis commeatus liberi an. 1603. Bruxellis appreſſum eſt, & quod ceu antiquiſſimum ſpecimen ſigillorum hujus farinæ, in prima libelli hujus editione deſcripſeram, ſe in Archivis Weſtphalicis inveniſſe tradit, NIC. KINDLINGER V. Cl. nimirum ann. 1571. 1579. 1590. 1597. cet. *d*). Duo autem ſe mihi hic obſervanda offerunt, *primum* eſt: ſigilla in hoſtiis rubris, difficulter ſæpe diſcerni a ſigillis ceræ miniatæ impreſſis; *alterum*, in originibus id genus ſigillorum exquirendis, neceſſe non eſſe, ut ad Belgas horumque cum exteris frequens literarum commercium recurramus. Sine dubio ho-

hostiarum indoles sigillis apta, sacerdotibus & monachis omnium primum observata est, a quarum prima destinatione, sigillis forte sanctitatis etiam aliquid accedere potuit.

a) *N. L. G. der Diplom. V.* 464.
b) JOS. PH. ROOS *Fortgesetzte Aufklärung von dem ältesten Gebrauch des spanischen Siegelwachses. Frankf.* 1792. conf. *N. Allg. d. Bibliothek, B. III. S* 324.
c) Prostat istud inter MSS. Bibliothecæ Universitatis Pestanæ. Muniverat autem illo FERD. ALBER Rector Collegii Soc. Jes. Viennensis, exemplum ex autographo desumtum libelli, quo MELCHIOR CLESELIUS Episcopus olim Vienn. cum pluribus Theologis, anno 1600. de usu calicis in S. Cœna retinendo dimittendove interrogati, hunc porro neutiquam admittendum esse rati sunt. Sigillum integre servatum, characterem illum refert, qui in sigillis Ord. S. I. communiter expressus est. Perigraphen habet: *Rectoris Collegii Viennensis Societatis Jesu.* Omissis solemnibus vulgavit idem instrumentum KHEVENHILLER in *Annalibus Ferdinandeis* Tom. V. p. 2229. *seqq.*
d) Vid. NIK. KINDLINGER'S *Nähere Nachrichten vom ältesten Gebrauche der Siegeloblaten und des Siegellaks in dem XVI. und XVII. Jahrhundert. Dortm. und Essen.* 1799. 8.

§. 116.

Diplomata sigillis e metallo factis munita, per metonymiam *Bullæ* nuncupantur, quod nomen sigillis in metallo expressis proprie convenit, rarissime translatum ad sigilla cerea. E metallis autem potissimum *aurum* & *plumbum* in sigillis usum habuerunt: *argentum* enim, *æs*, *stannumque*, quamvis non prorsus neglecta fuerint, raro tamen admodum sunt adhibita; quod nec eodem quo aurum splendore diviti, nec pari cum plumbo commoditate sese commendarent. Bullæ.

§. 117.

§. 117.

Bullæ aureæ Geysæ II. Belæ III. — Andreæ II. Regum Hung.

Imperatores Byzantinos ſigillis aureis diplomata ſua muniviſſe eſt veriſimile, a quibus auri in ſignando uſus ad Francos Hungarosque propagatus eſt. Et apud hos quidem a Geyſæ II. inde tempore, (cujus ſigillum aureum, appenſum literis 1156. quibus Canonicis Strigonienſibus de cœna, qua illuc usque caruerant, liberaliter providit, primum eſt bullarum aurearum in Hungaria veſtigium *a*), inſignis bullarum aurearum occurrit copia, non contemnendum magnificentiæ Regum & opulentiæ civium Hungariæ indicium. Quod Belæ III. supereſt ſigillum aureum, in parte ſui adverſa Regem ſellæ inſidentem habet, in averſa præter verba SIGILLUM BELE nihil refert. Permultum jam ab hujus ſimplicitate diſcrepat ſplendida Emerici Regis bulla aurea an. 1202. quæ in Tabulario Auguſtæ Domus ſecretiori, ubi illam autumno 1801. contemplatus ſum, conſervatur, cujusque exemplum, quod Tabula ænea oſtentat, GRUBERUS commune mecum aliquando eſſe voluit. In parte enim hujus illa, quam anticam dicunt, more conſueto, Rex coronatus, thronoque magnifice conſtructo ſedens conſpicitur: in poſtica vero, *præter morem ſuperiorum temporum*, ſcutum cordiforme exſtat, diſſectum octonis tæniis ſeu faſciis, quarum in bulla aurea Andreæ II. an. 1221. ternæ binis atque binis leonibus jacentibus ſibique invicem oppoſitis, infima vero, ob ſcuti figuram veterem, leone ſimplici, diſtinctæ ſunt *b*). Id neſcio, cur leones huc inducti ſint; nec illud adſequor, quare capiti Andreano (quod etiam in Ladislai Cum.

Tab. IV. Fig. 4.

ceris

ceris obſervatur) hinc ſolis imago, illinc ſtella, cornubus lunæ ſurſum erectis interpoſita immineant. HEINECCIO interprete hæc talia ornatus ſolius cauſa adjecta ſunt. Huic ſigillo Andreæ II. Regis forte haud multum diſſimilis erat, celeberrima illa ejusdem Regis bulla aurea, quam nobis vetuſtas invidiſſe videtur, & qua anno (1222.) dictum proxime ſubſecuto, ampliſſima Nobilium Hungariæ privilegia confirmaverat. — Belæ IV. Regis bullam, ex tenuibus laminis aureis compactam, intusque vacuam ſeu *cavam*, in Tabulario ærarii Regii meis verſavi manibus, quæ perinde cum ſigillis cereis ejusdem Belæ Regis, faſciarum loco, jam crucem duplicatam præſefert.

a) GE. PRAY *de vetere Reginas H. coronandi more*, pag. 41. Diploma typis quantum memini, nondum ex aſſe evulgatum, exſtat inter MSS. P. KAPRINAI Tom. XXXVII. B. Nro. 27.

b) GRUBER *Kurzgefaſſtes Lehrſyſtem*, p. 173.

§. 118.

Poſt Belam IV. pauci fuerunt Reges Hungariæ, qui auro in ſigillis uſi non fuiſſent, inprimis tunc, cum auri Hungarici non minor eſſet copia quam celebritas. Matthias Corvinus anno 1464. vetuſtiſſimæ urbis Sopronienſis jura & privilegia, bulla aurea, quoad compoſitionem ſolida, complexus eſt *a*). Æquat illa, quam ipſemet vidi tractavique, pondus decem aureorum Cremnicenſium, refertque Matthiam ſellæ vulgari innixum, qui coronam geſtat, capillis, more Hungarorum priſco, in nodos collectis, atque de humeris ejus defluentibus. Crux patriarchalis colliculo inſiſtens, tanquam

Bullæ reliquor. Regum

Tab. IV. Fig. 5.

in ſinum Regis paludati ſtat repoſita, qui manu ſiniſtra pomum regium pectori admotum tenet, dextra ſceptrum comprehendit longius, in crucem, ut videtur, duplicatam deſinens. Inſcriptio Davidis ſententia abſolvitur: *Adjutor meus Dominus Deus.* In parte oppoſita, faſciæ in ſcuto, quoad formam italico, ductæ ſunt, quibus ſertum eſt appoſitum. Circumferentia habet: *Matthie D. G. Regis Hungarie &c. C.* Affectum huic æqualem Ferdinandus I. in urbem ſuam Budenſem, corroborando hujus libertates bulla aurea, an. 1528. teſtatus eſt *b*). Poſt hujus vero ætatem videtur rareſcere cœpiſſe auri in literis Hungariam attinentibus uſus, nec tamen exolevit penitus. Enimvero ad omnem magnificentiam compoſita eſt Ferdinandi II. Regis bulla aurea major, quæ literis fundationis almæ Univerſitatis Tyrnavienſis 1635. appenſa eſt, a qua non tam mole, quam elegantia diſtat illa, qua Leopoldus I. 1659. Caſſovienſem Academiam ornare dignatus eſt. Utraque in Archivo Exc. Cameræ repoſita, ex genere illarum eſt, quas cavas dicimus. Maria Thereſia denique præter ſolemne diploma, quo inſignem Ordinem Equitum S. Stephani conſtituit, etiam illud, quo Tranſilvaniæ Magni Principatus titulum anno 1765. 2. Nov. contulit, ſigillo communivit aureo.

a) Etiam Poſonium gaudet ejuſdem Regis Matthiæ bulla aurea, itidem anni 1464.

b) Verba diplomatis e ſimplici exemplo deſumta ſunt: „ libertates illorum approbamus & confirmamus, „ quas bulla noſtra aurea, (cujus altera in parte „ effigies noſtræ perſonæ inthrono ſedentis cum inſig- „ nibus Regiis, corona, ſceptro, ac pomo; *altera in* „ *parte quatvor fluminum, & crucis duplicatæ imago, ve-*

„ *tera*

„ *tera Hungariæ ſtemmata conſpiciuntur*, exſtat utrin-
„ que titulus, ac præcipuorum regnorum noſtro-
„ rum inſcriptio,) & cordula item aurea munitas,
„ & ornatas eidem civitati Budenſi — — dari
„ juſſimus. "

*) Serviæ reguli ſæculi XIV. auro in ſigillis ſuis uſi ſunt. Et Stephani quidem Czari bullam, cujus partem priorem S. Stephanus Czarus ſtans ornat, poſteriorem autem Stephanus Czarus, literarum (quæ fundationem aſceterii Hillendar continent) auctor, itidem pedibus inſiſtens occupat, tridentem una manu, altera avem ſuſtinens, jam antea commemorare debui: — Lazari vero, itidem Serviæ reguli, ſigillum aureum ectypon, deſcripſit auctor commentationis: *Beſchreibung einer goldenen Bulle und eines Siegelſtämpels des Serwiſchen Fürſten Lazar.* Vid. *Ungr. Magazin* Tom. IV. Faſc. I. Utrumque ſigillum intus eſt vacuum, utriusque inſcriptio lingua & literis eſt facta illyricis. Cum plures adhuc bullæ literæque veterum Deſpotarum Serviæ in Archivo Carlovicenſi gentis Servicæ, quæ patrio ſolo derelicto ad nos migravit, lateant; optandum eſt, ut aliquis e Gymnaſii, quod nunc Carlovicii effloreſcit, Doctoribus, rem diplomaticam Serviæ libello brevi illuſtrando, acceſſionibus quibusdam novis (*Diplomatiſche Beyträge*) Diplomaticam univerſalem locupletet.

§. 119.

Bullæ argenteæ, æneæ in Hungaria.

Argenti, *ſtanni*, *plumbique*, nullum in Sphragiſtica Hungariæ adhuc inventum eſt veſtigium: Utrum vero *aere* aliquando Reges noſtri, ad inſtar Regum Daniæ, ſuas muniverint literas, ſub judice lis eſt *a*). Plumbo in ſigillis præter Pontifices Rom. a Gregorii inde M. tempore, complures alii etiam uſi ſunt, cum civilis, tum præcipue eccleſiaſtici Ordinis. Hodie vero, quantum ſcio, plumbi in diplomatibus muniendis uſus, ſolis Pontificibus Rom. relictus eſt, qui ceram ad literas duntaxat minus ſolemnes, quas *Brevia* appellamus, ſignandas adhibent. Firmantur iſta ſaltem a ſæc. XV.

ſigillo cereo rubro, in quo *annulus piſcatoris* (qui jam ſæc. XIII. in literis Pontificum privatis, quas e. c. conſanguineis ſuis ſcribebant, commemoratur,) expreſſus eſt. Ante hoc tempus, tam Brevibus quam Bullis ſigillum idem plumbeum appendere moris erat *b*), unde bullarum aliæ *majores*, aliæ *minores* olim dictæ ſunt.

a) Occaſionem diſceptationi de bullis æneis Regum Hungariæ præbuit ectypon typarii vel bullæ æneæ, (incertum enim eſt, quo debeat referri) quod MATTH. BELIUS vulgavit in *Prodromo Hungariæ antiquæ & novæ* p. 66. Throno ibidem Andreas Rex inſidet, inſtructus omnibus reliquis Majeſtatis Regiæ inſignibus, cum epigraphe: *Andreas Dei Gracia Ungariorum Rex.* Indigitari hac inſcriptione Andream I. non vero Hieroſolymitanum STEPH. SCHOENWISNER V. RR. contra BELIUM evicit, quem etſi jam operæ & ſtudii pœniteat, quo aliam adhuc bullam æream Andreæ II. vindicare conatus eſt: docte tamen pro exquiſita, qua pollet, rerum antiquarum cognitione, utrumque argumentum pertractavit, in opere periodico: *Ungriſches Magazin* T. III. p. 257. & *ſeqq.*

b) MABILLON l. c. p. 129.

§. 120.

Figura Sigillorum.

Figura ſigillorum, juxta cum materia & colore, fuit multiplex. *Orbicularia* ſigilla ut ſimpliciora ſunt, ita etiam antiquiſſima cenſentur; neque alius figuræ ſigilla Regum Hungariæ exſtant majora atque ſolemnia. Sigismundi Regis annulare vidi octogonum, tale Matthiæ quoque regis erat. Epiſcoporum & Abbatum Hungariæ ſigillis, in quibus illi ſtantes mitraque tecti occurrunt, quorumque ex ſæc. XIII. XIV. & XV. multa ſuperſunt, forma *parabolica oblonga* conveniebat maxime; derelicta eſt vero illa eadem, poſtquam mos, Epiſcoporum imagines

Tab. IV. Fig. 7.

sigil-

ſigillis imprimendi derelictus eſt. E Capitulis ſolum M. Varadinenſe ſigillum formæ *ovalis* adhucdum retinet.

*) Exempla ſigillorum epiſcopalium, capitularium, cet. in PÉTERFI *Conciliis R. H.* in Com. BATTYANI *LL. Eccles. R. H.* & in *Cerographia Hungariæ* plura invenies; qui libri ob ſigillorum ære inciſorum multitudinem, Sphragiſticæ Hungaricæ ſtudioſis ſæpe & diligenter conſulendi ſunt.

§. 121.

Diverſa fuit etiam ſigillorum *Quantitas*. Ut enim bullæ aliæ aliis majores atque graviores ſunt *a*): ita cerea quoque ſigilla, quoad magnitudinem ambitus & gravitatem, permultum a ſe invicem differunt. S. Stephani, Stephani III. Belæ IV. Ladislai Cumani, Caroli Roberti, cet. Regum, quæ inſpexi ſigilla, latitudinem trium quatuorve digitorum plus minus excedunt. Majora paulo ſunt, in quibus Sigismundus, Ladislaus poſthumus, Wladislaus II. omnibus Majeſtatis inſignibus induti comparent. Maximi vero moduli, apud exteros etiam extraordinarii, & prorſus ſingularis, sigillum cereum Andreæ II. Regis illud eſt, quod SPIESS. l. c. P. I. p. 1. deſcripſit, delinearique curavit; quippe quod figuram hemiſphærii referens, duas libras minus tribus unciis grave eſt, habens diametrum $5\frac{3}{4}$ pollicum *b*). Quantitas Sigillorum.

a) HEINECCIUS l. c. p. 37. exemplum commemorat bullæ aureæ, quam Henricus III. Imperator ſibi ab Imperatore Byzantino miſſam, Eccleſiæ Goslarienſi dono dedit, cujusque ea fuit gravitas, ut eadem calici conflando, pergamena vero, de qua dependerat, altari obtegendo ſuffecerint. — In Archivo Regum Daniæ ſigillum aureum Chriſtiani V. eſt repoſitum, quod 20. appendit uncias.

 b) In-

b) Indulgente Tabularii Exc. Cameræ Aul. Præfecto MART. IGN. a LENDVAY, Viro Magnifico, reique diplom. Hungaricæ intelligentissimo, sigillum illud Budæ nuper denuo vidi, & admiratus sum.

§. 122.

Inscriptiones Sigillorum.

Inscriptiones sigillorum aliæ *reales* sunt, aliæ *literales*. Hæ per literas, illæ per imagines fiunt. Imagines in sigillis obviæ vel sunt personarum, a quibus sigillum profectum est, referentes illarum habitum, aut ex asse & integrum, aut ex parte tantum aliqua: vel vero dignitates & jura adumbrant, quibus personæ, quarum sigillum vides, condecoratæ erant. Inscriptiones illas *proprias* seu *loquentes* appellabimus, has *symbolicas*. Ad proprias seu loquentes, *Imperatorum*, *Regum*, *Ducum*, *Comitum*, *Episcoporum*, *Abbatum* cet. *imagines* pertinere nemo non intelligit; prout *imagines Sanctorum*, *cruces*, *coronas*, *sellas regias*, *globos terrestres*, *vexilla*, *gladios*, *vestimenta*, *animalia*, *flores*, *castella*, & *insignia* seu *arma gentilitia* cet. inter imagines symbolicas censeri, vel monuisse satis est.

§. 123.

Sigilla simplicia, duplicia.

Sigilla cum veteris tum recentis ævi, interdum ex una tantum parte inscripta observamus, interdum ex utraque. Illa *simplicia* seu *monosphragista* (interdum in ipsis diplomatibus *uniformia*) appellantur; hæc *duplicium* seu *amphisphragistorum* distinguuntur nomine. Quæ imaginem Sancti alicujus tutelaris, vel Principis cet. refert pars sigilli, quasi est honoratior, *adversa* dicta, cui opposita est *aversa*; quam, si inscriptionem, sive utriusque generis, sive alterutrius tantum referat, *contrasigillum* nuncupabimus.

bimus. Apud nos Andreas II. diplomata primus corroboravit *ſigilli duplicis munimine*, cujusmodi ſigilli typarium, e. c. in notiſſima illa formula Ludovici I. confirmatoria, *utrumque par ſigilli* dictum eſt. Ante Andream II. enim, ſi a bullis Regum noſtrorum diſcedas, quæ nunquam non ſigillis duplicibus accenſendæ ſunt *a*), ſigilla cerea Regum omnia fuerunt monoſphragiſta ſeu ſimplicia. Duplicia porro Regum Hungariæ ſigilla omnia, quæ vidi, ſunt *numaria*, ad modum numorum utrinque æqualem ſculpturam habentia. Sigilli *ſecreti* vagum & pluribus ſigillorum ſpeciebus e. c. bullis aureis, commune nomen eſt; ſæpiſſime tamen ſigillum ſimplex inſignia Regni repræſentans, cujusmodi etiam judiciale, quamvis formæ minoris, eſſe ſolebat, ſignificat. Annularia Regum omnia ſunt ſimplicia. Tab. V. Fig. 9.

a) Pontifices electi, ſed nondum ſolemni ritu inaugurati, bullas literis appendunt monoſphragiſtas, (bullas dimidias); inaugurati tantum nomen etiam ſuum, in parte altera ſigilli exprimunt. HEINECCIUS p. 149.

§. 124.

Sigilla Majeſtatica.

A primordiis inde Regni, uſu veniebat Regibus & Reginis noſtris, & quidem quorum sigilla ex ætate media nobis ſuperſunt, omnibus, ut ſuos vultus in ſigillis majoribus & ſolemnibus, integros, & ad ſummam Majeſtatem compoſitos exhiberent. Comparent quandoquidem in illis corona tecti, throno insidentes, altera manu ſceptrum, globum terreſtrem altera tenentes, veſtiti habitu regio, ita, ut nisi venerabundus, auguſtas illorum facies contra

intueri nequeas. Hujus generis ſigilla ſæc. XI. in Gallia Henricus I. in Anglia Eduardus Confeſſor, in Germania Henricus II. ſeu ſanctus (anno 1002.) primi adhibuerunt *a*), quos ſubinde ſucceſſores, & in Germania quidem ad Fridericum usque III. († 1493.) in ſuis ceris imitati ſunt. Tale ſigillum illud quoque eſt, quod diplomati an. 1001. Monaſterio S. Martini per protoregem Hungarorum conceſſo annexum oſtenditur, & hujusmodi omnia ſunt omnium Regum Hungariæ ſigilla, ſi annularia forte excipias, qui ſæc. XI. XII. XIII. literas cujusvis generis elargiti ſunt. A Caroli Roberti tandem tempore, aucto ſigillorum regiorum numero, *ſecretum* ſigillum (inprimis ſæc. XV.) alternare cœpit cum *impreſſione regalis imaginis b*); ut proinde ſæc. XIV. & XV. aliquanto rarius, quam antea, id genus ſigilla recurrant. Antiquari tamen, obſtante lege *c*), minime adhucusque poterant; unde ſæculi XVII. ſimilia ſigilla ipſe vidi *d*), Cerographiæ vero auctor (p. 90.) Caroli adeo III. Regis († 1740.) ceras imagine ejus inſignitas commemorat. A Majeſtate Regibus propria, ſigilla hæc denominata eſſe *majeſtatica* crederem, nisi vaſallorum etiam ſigilla ſplendida ac majora eodem ſuperbirent nomine *e*). Quare a magnitudine ambitus, & ornatu magnifico potius, & Majeſtatis elogio interdum in ipſa perigraphe expreſſo *f*), illa denominationem *majeſtaticorum* accepiſſe eſt verisimile. Principes exteri ſigillis majeſtaticis in rebus potiſſimum feudalibus uſi ſunt: etiam in Hungaria eadem ad donationes & privilegia confirmanda potiſſimum ſunt adhibita.

a) *N.*

a) *N. Lehrgeb. der Diplomatik.* Tom. V. §. 556. GATTERER Ottoni III. († 1002.) uſum ſigilli majeſtatici jam attribuit. Vid. ejusd. *Abriſs der Diplom.* p. 175.

b) Ita appellatur in literis Belæ II. 1127. In literis Ladislai Cum. 1287. *effigies noſtra, tempore coronationis ſigillo noſtro inſculpta* dicitur; vocatur etiam *ſigillum magnum*; ſæpiſſime vero, ex quo nempe in parte ejus averſa inſignia Regia (contraſigillum) impreſſa ſimul occurrunt, *ſigillum duplex* audit. Leopoldus I. 1700. ſe conceſſiſſe literas ait „ *duplicis* „ *privilegialis ſigilli noſtri*, quo ut Rex Hung. uti- „ mur impendentis munimine roboratas."

c) Noviſſima eatenus lex exſtat Decreto regni 1741. art. 10. Archiepiſcopo ergo Strigonienſi, ceu ſummo Regis Cancellario, etiamnum illud eſt concreditum, munirique & expediri ſub eodem, ex præſcripto legum, (ſoluta taxa duplici Decr. 1609. art. 73.) poſſunt nonnullæ literarum regiarum ſpecies, quas tamen jam ſecreto Regio expeditas videre uſitatiſſimum eſt.

d) Kesmarcenſes diplomate gaudent Rudolphi Regis anni 1607. de quo ſigillum duplex pendet molis maximæ, confirmans vetuſtiſſima illorum privilegia.

e) *N. L. G. der Dipl.* l. c. Comes Cellejenſis, *raro adeo Regum exemplo*, ſigillum imaginem ejus referens, in perigraphe dictavit majeſtaticum. SPIESS *von den Reuter Siegeln, Halle* 1784. p. 11 — 13.

f) Vidi apud Kesmarcenſes ſigillum Matthiæ Regis an. 1474. inſcriptum: *Sigillum Majeſtatis* Matthiæ Dei Gr. Hung. cet. Regis. Sed idem etiam ſigillum ad omnem magnificentiam, ut non faſtum dicam, eſt compoſitum.

§. 125.

Regum in Sigillis habitus.

Ornatus Regius, (*Clenodia Regni* appellamus) quo Reges noſtri in ſigillis majeſtaticis exculti ſunt, idem fere eſt cum eo, quo Imperatores & Reges Germanorum ſuis in ſigillis ſunt conſpicui. *Corona* Regum capiti impoſita, ſimilis fere conſtanter eſt illius, quam in ſigil-

lis

lis majoribus Capituli Ecclesiæ Strigoniensis, Archiepiscopus capiti Regis defert. Hæc a sacri diadematis nostri forma & specie, prorsus diversa est. Dissimilitudinis causam, doct. KOLLÁRIUS (*de jure Patronatus* p. 42.) ignorabat, nec ego adsequor. At nec Germanorum Imperatores, quos coronis vel maxime a se invicem diversis in sigillis effictos videas, diademate illo, quod inter Clenodia refertur S. R. G. Imperii, in ceris unquam visi sunt. — *Sceptrum* itidem diversum est ab eo, quod inter Regni Cimelia Budæ custoditur. Hoc enim, quod una cum corona diutius contemplatus sum, clavæ (buzogány) formam habet: illud vulgo solet esse florigerum. Matthias Corvinus sceptrum gestat, in crucem geminam, prouti videtur, exiens; nec exterorum Regum sceptra in sigillis sunt uniformia. — A Byzantinis & orientalibus Augustis transiit ad occidentis Impp. & Reges *Globus cruciger*, qui olim ab Imperatoribus romano - germanicis, non alia mente fuit adhibitus, quam ut totius Orbis rotundi, cui Imperator opinione ævi medii præerat, repræsentaret dominium. Intercesserunt huic Orbis dominio, Hungariæ, Poloniæ, Daniæ cet. Reges, qui eundem globum inter dignitatis suæ symbola adsciscentes, divisum se cum Imperatore Orbem tenere, aperte testati sunt *a*). Emerici Regis ceræ globum illum referunt insignitum cruce duplici, quod GRUBERUS *b*) primum crucis patriarchalis in scuto R. Hungariæ esse opinatur vestigium; ego vero, pro argumento miræ veterum, in fingendis sceptris globisque regalibus inconstantiæ habeo. Etiam in *Sellis regiis* construendis, ingenium artificum

Tab. IV. Fig. 6.

sese

ſeſe exercuit. Specioſa, & affabre facta eſt, quam Emericus tenet; Ladislaus Cumanus throno inſidet, cujus extrema cornua, capitibus caninis terminantur; Matthiam Corvinum ſellam, quam orientis verbo ſopham dicunt, occupare crederes. Corpus tandem totum, *paludamento*, ſeu chlamyde fimbriata ad talos usque demiſſa, tectum eſt: quod in humero Regis Emerici dextro, in Andreæ II. autem ſiniſtro, fibula connectitur; ita ut ille brachium dextrum, hic vero ſiniſtrum nudum exerant. Utraque Matthiæ Corvini brachia velata ſunt. Cervicem porro nudam oſtentant, nec deſunt, qui ex oris lineamentis, de animi cujuslibet habitu, & virtutibus judicium eruant.

a) Vid. PÜTTERI *Specimen juris publici medii ævi* p. 172. & DUFRESNE *Diſſert. de infer. ævi numismatibus*, p. 14.

b) GRUBERS *Kurzgefaſſtes Lehrſyſtem* p. 174.

*) De reliquo veſtitus Regum noſtrorum genere, parum habeo, quod commemorem. Plura dedit MART. SCHMEIZEL in *Schediasmate hiſtorico de Inſignibus vulgò Clenodiis Regni Hung.* Jenæ 1713. & in SCHWANDTNERI *SS. RR. HH.* Tomo II. p. 486. *ſeqq.* Quas Corpus juris, Regum antiquorum adſert imagines, ingenii & phantaſiæ figmenta ſunt.

§. 126.

Ad genus majeſtaticorum, *equeſtria* Regum Hungariæ, nec non Regum juniorum, & agnatorum gentis Regiæ ſigilla refero. Solemne ſcilicet aliquando fuit Europæ Regibus, poſſidentibus Ducatum, vel Comitatum aliquem, ut tanquam Duces vel Comites promulgaturi edictum, vel edituri privilegium aliquod, ſigillo uterentur, ævo intermedio Du- Sigilla equeſtria.

cibus

cibus Comitibusque proprio *a*), in quo videlicet iidem equitantes fiebant conſpicui. Tenuerunt hunc morem Reges Galliæ *b*), qui Regibus etiam Hungariæ priſcis placere debuit. Etenim Spalatensis, principis Dalmatiæ urbis, ampliſſima privilegia, Colomannus Rex, anno 1108. ſigillo pensili, eoque equeſtri communivit *c*); mihique ſaltem, ex iis, quæ nunc de ſignificatu ſigillorum equeſtrium attuli, fit admodum verisimile, quaterna illa ſcutula equeſtria, quibus Emerici Regis thronus in ſigillis cereis ſtipatus eſt *d*), provincias, quas idem moderatus eſt, reſpicere; inprimis, cum numero ſcutulorum, provinciarum, quæ in titulis recenſentur, numerus reſpondeat. Prouti porro primogeniti Regum Franciæ, patre in vita adhuc ſuperſtite, in ceris equites exhibebantur, dextra vexillum vibrantes, ſiniſtra ſcuto ſeſe protegentes, deſtituti ſæpenumero ſellis & calcaribus: ita eadem imaginis forma, primogenitis Regum noſtrorum, & horum agnatis quoque arrisit, nisi quod Bela IV. & Stephanus V. diviſum cum patribus tenentes Regnum, (ideo *Regum juniorum* axiomate inſigniti) in adverſa ceræ parte throno, in averſa equo insideant *e*). Bela Dux totius Tab. V. Fig. 8. Sclavoniæ, Belæ IV. Regis filius, ſigillo ſimplici eoque equeſtri uſus eſt, quod de literis an. 1268. penſile, PRAII egregio, dum viveret, alios juvandi ſtudio debui. Ceterum uſus equeſtrium ſigillorum ſæc. XIV. vel XV. in Hungaria desiiſſe videtur, nec poſthæc revixit amplius.

a) „ Figura equeſtris perſonæ laicæ, ſemper indigitat „ virum natalibus illuſtriſſimum, videlicet Comi- „ tem;

„ tem; & ſi nomini circumſcripto Comitis titulus
„ non eſt adjectus, certo notat perſonam digni-
„ tate parem " GUDENUS in *Præf. ad Syllogen varior. Diplom.* p. 23. Exempla in MARQU. HERGOTTI *Monumentis Aug. Domus Auſtriacæ*, atque in OLIV. UREDII *Sigillis Comitum Flandriæ*, Brugis 1639. Fol. invenies. Conf. cum illis SPIESS l. c. *von den Reuter Siegeln.*

b) *N. L. G. d. Diplom.* Tom. V. §. 621.

c) Didici hoc ex utiliſſimo opere LUCII *Memorie iſtoriche di Tragurio ora detto Trau.* In Venet. 1673. 4. Soſiorum aſtutia huic eidem operi præfixit etiam huncce titulum: *Hiſtoria di Dalmatia & in particolare della citta di Trau, Spalatro & Sebenico.* in Venet. 1674.

d) GRUBER l. c. p. 174. Vidi ipſemet ſigillum hujusmodi Emerici Regis in Archivo Regis noſtri ſecreto, quod Viennæ eſt.

e) De Ducibus & Regibus junioribus Hungariæ, vid. EUS. VERINUM (JOS. BENCZUR) *de hæreditario jure Sereniſſ. Domus Auſtriacæ in Regnum Hungariæ*, Vien. 1771. 8. Inter MSS. ejusdem ſigillum Stephani V. Regis junioris diligenter delineatum me vidiſſe, bene memor ſum.

§. 127.

Ad inſcriptiones ſigillorum ſymbolicas, præcipue illa ſigna jurium & dignitatum pertinent, quæ ſecundum certas regulas ſcuto inſcripta ſunt, ab Hungaris *Tzimer*, Germanis *Wappen* ſeu *Waffen* appellata. Origines iſtorum & indolem univerſam explicare, ad artem, quam *Heraldicam* dicunt, pertinet. Hoc loco ob frequentiſſimum eorundem in ſigillis uſum, ſpeciminis inſtar, pauca duntaxat quædam, de ſignis ſcuto Regni Hungariæ inſcriptis, adferenda eſſe cenſui. Inſignia in Sigillis.

§. 128.

Insignia Regni Hungariæ.

Insignia nobilissimi Regni Hungariæ, prouti hodie exhibentur, scuto continentur composito ex duobus aliis, quorum alterum quidem seu dextrum, quaternis fasciis candidis, totidemque rubris distinctum est; alterum vero seu sinistrum, in campo rubeo crucem duplicem argenteam complectitur, cujus stipitem, insistentem tribus montium jugis, sertum aureum ambit. Non eadem fuit olim, quoad omnia, insignium Regni Hungariæ, quam nunc delineavi facies, neque primorum Regum ætatem attingit, scuti utriusque compositio.

*) Quæ THEODOR. HOEPINGK in *Tractatu juridico-historico-philologico de insignium sive armorum prisco & novo jure*, Norimbergæ 1642. Fol. pag. 317. de Attilæ & Regum Hungariæ insignibus comminiscitur, credulitate ævi, quo vixit scripsitque nimia, in rebus Heraldicam attinentibus, excusari possunt debentque. Quod ibidem de capitibus brassicæ albæ, inscriptis scuto priscorum Regum, e studiosis Hungaris Marpurgi se accepisse ait, de liliis Regum stirpis Andegaviensis sine dubio intelligendum est. In doctrina de insignibus non minus, quam in genealogiis principum virorum contexendis, veteres auctores mira fabulati sunt.

§. 129.

Scuti fasciati antiquitas.

Equidem si verum est, insignia eo antiquiora esse, quo simpliciora sunt; fasciatum Regni Hungariæ scutum pervetustum esse nemo inficiabitur. Sunt, qui ad Hunnos originem illius referunt, & qui Pannoniæ veteris insigne fuisse autumant. Horum ego sententiam ingredi nequeo. Quamquam enim Hunnos, gentem bellicosissimam, Pannonesque parma alba inglo-

inglorios fuiſſe, jure dubitem: perſuadere mihi tamen non poſſum, imagines, quas ſcutis ſuis inſcribebant, conſtantes fuiſſe, ſecundum artis ſcutariæ regulas elaboratas, atque ad poſteros & ſucceſſores continuo propagatas. Ego pace illorum, qui in alia omnia abeunt, ſcutum faſciatum, Emerici Regis ævo, dubito eſſe antiquius. Hoc insignium natales, qui in idem fere tempus incidunt, ſuſpicari jubent, & cum aurea bulla Emerici Regis anni 1202. nullum adhuc vetuſtius antiquitatis monumentum inventum ſit, nec facile inveniri adhuc poſſit, in quo faſciarum illarum lineamenta ducta ſint: hanc meam de ætate ſcuti faſciati Regni Hungariæ tenebo ſententiam, dimiſſurus eam, protinus ac meliora edoctus fuero. Quid ſi quaternis faſciis argenteis, ſi divinare omnino licet, eadem ſignificatio ab origine inerat, quam totidem insignibus equeſtribus in ſigillis Emerici Regis ineſſe, §. 126. opinatus ſum? Hac opinione ſaltem propius ad veritatem vix accedit illa, quæ ab Wladislai II. Regis, & STEPH. WERBOECZII tempore, inter populares noſtros viget, quaternis nempe tæniis adumbrari quaternos Hungariæ nobiliores fluvios. Utrique equidem opinioni obeſt, quod non idem ſemper faſciarum, in ceris & numis Regum ſubſequentium, recurrat numerus: at oblivione, & ignorantia artificum (SCHMEIZEL *Erläuterung gold und ſilberner Münzen* pag. 9.) hæc numeri in faſciis deſcribendis inconſtantia, non difficulter excuſabitur.

§. 130.

§. 130.

Crux duplicata in scuto Regni Hungariæ.

Cum scuto fasciato Regni Hungariæ, quod nunc descripsi, sub Andrea II. seu Hierosolymitano, crux duplicata alternare cœpit *a*), sub Bela vero filio *b*), & Regibus hunc subsequentibus per unum fere sæculum & longius, soli tantum cruci metropolitanæ in altera sigillorum duplicium parte locus concessus est. Sine dubio illam Andreas II. ab equitibus Hospitalariis, quibus crux patriarchalis argentea campo rubro inscripta, pro ordinis tessera erat *c*), mutuo acceptam, paulo vetustiori Regni Hungariæ emblemati suffici voluit, saltem identidem cum eodem alternare, ut & expeditionis suæ cruciatæ, & affectus vere singularis, quo in Ordinem Hospitalariorum ferebatur, æternam loqueretur memoriam *d*). Crux duplicata certe ante tempus Regis istius, nuspiam in sigillis ceu publicum Regni Hungariæ insigne occurrit. Accedit, lilia antiquissimi Regni Galliæ, non multo effloruisse maturius, atque occasione simillima, cum nimirum Ludovicus junior, signo crucis suscepto, ad vindicandam Christianis Palæstinam, legiones suas trans mare duceret *e*). Sunt adeo, qui universe insignium origines, a cruciatis illis expeditionibus repetunt; quas saltem cruces, varias non minus quam copiosas, scutis intulisse certum est *f*). Et quæ deinde causa esse posset, ob quam sanctissimum pietatis christianæ signum, lævum potius, quam dextrum scuti latus occupat? Mihi equidem, si quid video, salvo meliori rem intelligentium judicio, videtur admodum verisimile, patriarchalem crucem inter insignia

Regni

Regni Hungariæ ſerius fuiſſe receptam, quam octo faſcias; neque ante Andream II. vel hujus filium Belam IV. pro ſymbolo Regni Hungariæ fuiſſe adoptatam; quamvis auctorem novi ſtemmatis regii, in hujus delectu, præter iter cruciatum, & arctius quo militibus Hieroſolymitanis adſtrictus fuiſſe videtur vinculum, fortaſſis aliam adhuc Regum Hungariæ conſuetudinem ſacram reſpexiſſe non negaverim. Nec obſtat, crucem duplicem globo, quem Emericus in cereo ſigillo an. 1202. geſtat, ſtare impoſitam; illius enim ad insigne, de quo quæſtio agitur, non alius cogitari poteſt habitus, quam qui inter globos Imperatorum occidentis, itidem cruce duplicata interdum insignitos, ſceptraque ſimilis formæ, atque aquilam Imperialem obtinet. Neque a numis Regum Hungariæ, qui Andream II. anteceſſerunt, & in quibus ad modum crucis duplicatæ, manu rudi aliquid ſignatum obſervas, ad aliud quid credendum induci me patiar. Numis etenim illis, in quibus ſcutum faſciatum omnino neglectum eſt, non amplius vis demonſtrandi ineſt, quam globo Emerici Regis crucigero; vel quantum illis Ptolemæorum & Athenienſium numismatibus, ad demonſtrandam cultus chriſtiani antiquitatem, majorem quam velis, deferri poteſt, in quibus monogramma Chriſti (☧) expreſſum eſt.

a) Sigilla cruce patriarchali inſignita antiquiora ſigillis Belæ IV. quamvis ipſe non viderim, libenter tamen aſſentior PRAIO, (*de vetere Reginas Hungariæ coronandi more*, p. 55.) qui talia ſe vidiſſe narrat. Sed etiamſi nemini cuipiam viſa eſſent, non mihi tamen illa, quæ non per conjecturam futilem aliquam ac temerariam, verum cum ſumma

verisimilitudine de cruce inscripta regni insignibus sub Andrea II. attuli, eripi paterer. Pauciora Regum Hungariæ sigilla, ad Belam usque IV. ex illa temporum periodo, quæ Tatarorum furorem prægressa est, supersunt, quam ut conjectura omnis, quantumvis sobria, in rebus obscuris dilucidandis damnari debeat. Charta libertatum H. septies descripta, totiesque aureo sigillo Andreæ II. corroborata, cui nostrum unquam in protographo visa est?

b) Vide e. c. Sigillum Belæ IV. æri incisum, in F. A. KOLLARII *Historia diplom. juris Patronatus Regum Hung.* ad pag. 42.

c) *N. L. G. der Diplom.* T. VI. §. 260. 61.

d) Exempla munificentiæ vere regiæ, & amoris vere fraterni, donationum illæ tabulæ aureis sigillis communitæ præbent, quas Hospitalarii ab Andrea II. in Hungariam e Palæstina reduce acceperunt. „ Nos, inquit ille ibidem, hujus sacrati collegii non „ tantum caritatis affectu, *verum etiam numero par-* „ *ticipare* volentes, ut eorum communicaremur „ consortio, & mereremur orationum & beneficio- „ rum participes fieri, *confraternitati eorum ita nos* „ *adstrinximus devote*, ut tam nos, quam successo- „ res nostri pro redemtione animarum — — singu- „ lis annis — 500. marcas argenti — — confere- „ mus. " — KATONA *Hist. crit. RR. H. stirp. Arpad.* Tom. V. p. 278. & *seqq.* — Hæc legenti mirum esse non potest, Andream a Scriptoribus passim ordini Hospitalariorum S. Joannis *Hierosolymitani* adscribi, quem ordinis insignia, crucem nimirum duplicatam paludamento adsutam, circumferre non puduit. HELYOT *Geschichte aller geistl. u. weltl. Kloster und Ritter Orden, Bd. III. S.* 114. Rectius ergo fortassis inde potius *Hierosolymitanum* denominatum esse putabimus, quam ab urbe Hierosolymorum, quam minime attigit.

e) *N. L. G. der Diplom.* Tom. VI. §. 320.

f) Conf. PH. JAC. SPENERI *Insignium Theoria* p. 170.

§. 131.

Tricollis. Sculptores in effingenda & adornanda cruce ista sedulos fuisse, unus quisque, me non monen-

monente, ſuſpicabitur *a*). Potiſſimum tamen formam ſuam primævam retinuit, nisi quod jam ſæc. XIII. interdum basi elevatiori insiſtat, interdum vero triplici montium jugo ſtet imposita. Et tribus quidem collibus innixa, viſa eſt GODOFREDO SCHWARZ in ſigillo Stephani V. Belæ IV. filii, nec non in ſigillo univerſorum juratorum ceterorumque Saxonum de Scepus anni 1319. *b*). In ſigillo Regnicolarum Hungariæ 1385. nec non in illo, quo *Prælati*, *Magnates* & *Nobiles*, regnum gubernante Joanne Hunyadi, usi ſunt, idem tricollis erectus eſt, quem GRUBERUS in nullo ſigillo vidit, quod 1386. eſſet antiquius. Si conjecturis indulgere vellem, vel interpretationibus arbitrariis, qualium ſæpe ridicularum olim ars Heraldica longe fuit feraciſſima, tria montium juga, totidem ordines, nimirum *Prælatorum*, *Baronum*, & *Nobilium*, ſignificare jam contenderem, epigraphe ſigilli OO. regni monitus, quæ talis eſt: *Sig. Prælatorum, Baronum*, & *Nobilium* Hung. — Fortaſſis etiam circulus, quem corollam rectius dixeris, religionis & ornatus cauſa tantum, in ſigillis Regum exeunte ſæc. XIII. e cruce ſuſpenſus eſt *c*). Sertum tandem adhuc, quod ſtipitem crucis ambit, medio montium vertici eſt impositum, cujus attamen perpetua veſtigia ultra Reges Auſtriacos non apparent *d*).

a) Vid. ornatiſſimum Fennenæ Reginæ ſigillum, in *Disquiſitione de jure coronandarum reginarum Hungariæ*. Poſonii 1792. 4. (auctor eſt RR. IGN. BAERNKOPF.)

b) In recenſione critica *Schmeizeliani de numis Tranſilvanicis Commentarii*, Rintelii 1764. pag. 13. Eſt autem crux duplex e tricolli ſurgens, vetus Saxonum Scepuſii inſigne, quod illos a Regibus Hungariæ, ad inſtar inſignium, quæ conceſſionis & pa-

tronatus nuncupantur, mutuum accepiſſe, poſtea vero fraternitate XXIV. regalium civitatum disſoluta, urbi Leutſchovienſi reliquiſſe certum eſt.

c) BONFINIUS (*Rerum Hung.* Decad. II. Lib. 9.) circulum iſtum de inſignibus gentis Maurocenæ, qua mater Andreæ III. nata erat, deſumtum fuiſſe, perhibet, cui paſſim aſſentiuntur auctores Veneti. Refragatur illis PRAJUS, (*de vetere Reginas Hungariæ coronandi more* p. 56.) idque merito; ipſemet enim vidi ſigilla Stephani V. & Ladislai Cuni, in quibus corollam illam obſervavi pendulam.

d) PALMA *Specimen Heraldicæ Regni Hungariæ* p. 41.

§. 132.

onjunctio rorumque.

Utraque insignia, quæ hactenus deſcripſi, & quorum prius Regni, poſterius Regis coronati fuiſſe, nonnulli, etsi perperam, ſtatuunt; (cum regni ordines interregni tempore, antequam Ladislaus poſthumus ſceptro capeſſendo per ætatem par eſſet, cruce duplici pro insigni uſos fuiſſe, inter nos nemo ignoret,) primus in uno eodemque ſcuto conjuncta adhibuit Ludovicus I. cujus ſigillum ſecretum, quibus literas anni 1366. roboravit, in dextra ſcuti parte regni faſcias, in ſiniſtra vero crucem geminatam exhibet. Eadem eſt illorum in ſigillo OO. Regni 1385. diſpoſitio *a*), rariſſime vero conjuncta in poſtica majeſtaticorum parte (§. 118. not. b.) fiunt conſpicua. Quæ ſub Matthia I. obtinuerit, utrumque insigne eodem ſcuto complectendi ratio, ex icone ſigilli Matthiæ Regis, quam Tabula oſtendit, intelliges. Sigismundus, quantum ſcio, primus fuit, qui ſigillis ſuis etiam provinciarum ad Regnum Hung. pertinentium emblemata (e. c. Dalmatiæ) inſeruit aliqua. In horum Hiſtoria multa adhuc reſtant, quæ luce majori indigent *b*). Intereſt

Tab. V. Fig. 9.

porro

porro hoc etiam tenere, Reges periodi mixtæ, exemplo Caroli Roberti, qui lilia numis ſigillisque intulit, insignia etiam regnorum & provinciarum, in quas illis aliunde jus competebat aliquod, nec non insignia gentilitia, quale corvus Matthiæ Corvini fuit, aſſociaſſe insignibus Regni Hungariæ. Conjungebantur autem conglutinatione vel inſertione, ſi pauciora numero copulanda erant; ſi plura, ſufficiebat nuda reliquorum circa ſcutum princeps, idque majus, (e. c. in ſigillo duplici novo Sigismundi Regis) in orbem facta collocatio.

a) Vid. Titulum libelli: *Reflexiones ad Disquis. de jure coronandarum Reginarum Hung.* (auctore LUD. CSAPODI) Peſtini 1792. 8.

b) In PETRI de REWA *Commentariis*, in *Cerographia Hungariæ*, apud CAR. PALMA l. c. in OO. deinde periodicis: *Anzeigen aus den K. K. Erbländern*, nec non *Ungariſches Magazin*, nonnulla quædam ad Hiſtoriam iſtorum congeſta ſunt.

§. 133.

Ab inſcriptionibus ſigillorum Regum Hungariæ realibus, quarum, compendii cauſa, præcipuas idque breviter nunc attigiſſe ſatis eſto, ad *inſcriptiones* illorum *literales* recenſendas accedimus. Orbiculares iſtæ nunquam non fuere, ambientes ſemel bisque ſigillorum imagines, interdum, ſi locus defuit in parte una, protractæ, ſi ſigilla eſſent duplicia, ad partem usque alteram. Diſtinguunt ſe iſtæ in ſigillis antiquioribus brevitate non minus, quam inſcriptiones reales in priorum ſeculorum ceris, ſimplicitate ſua ſeſe commendare, nemo neſcius eſt. Tantum enim abeſt, ut ante ſæc. XI. & XII. Imperatores Regesque longo titulorum ſyrmate (Inſcriptiones literales in Sigillis Regum Hungariæ.)

 dele-

delectati ſint, ut vix dignitatum, aut provinciarum quibus præerant, meminerint. Nec diffiteri proinde poſſum, ſuſpectam mihi videri lectionem inſcriptionis, quam SZEGEDI (in *Aſſertore libertatis Hungaricæ* cet. pag. 117.) in ſigillo S. Stephani, quo idem diploma græcum communiverat, ſe inveniſſe tradit, expreſſam verbis: *Stephanus D. G. Rex totius Ungariæ.* In Chronico Gottwicensi, & alibi, nequicquam ſimile inſcriptionis exemplum, in ſigillis Imperatorum & Regum illius ævi quæsivi; unde inſcriptio ſigilli Andreæ I. anni 1055. (quod tamen diplomati huic aliquando appreſſum, abinde jam decidiſſe teſtis ſum) *Ungariorum* (*Pannoniorum* diplomatis textus habet) *Regem* Andream appellans, omnino confirmari poſſet commode.

§. 134.

Provincias R. H. recenſent.

Edacitas temporis invidit nobis ſigilla plerorumque Regum, e ſæculis XI. & XII. Mihi ſaltem ſi S. Stephani unum, deinde quod LUCIUS deſcripsit Colomanni Regis, quæ porro ipſemet vidi Belæ II. Stephani III. & Belæ III. Regum ſigilla excipiam, ignota reliquorum ſunt: vel quod diploma protographum ab iisdem e. c. a Petro, Salamone, cet. nullum ſuperſtes ſit; vel quod incuria hominum, a diplomatibus quæ adhuc ſuperſunt e. c. S. Ladislai pro monte Pannoniæ, Andreæ I. cet. ſigillum fragile, inprimis quod appreſſum erat, jam avulſum eſt; vel quod diplomata ad quæ pertinent in lucem protrahenda in tenebris adhuc-

hucdum lateant. In Emerici Regis bulla aurea, perinde ut in ſigillo Belæ III. an. 1195. præter Hungariæ Regis titulum, regnorum *Dalmatiæ* adhuc, *Croatiæ*, & *Ramæ* occurrunt nomina. Auxit horum catalogum Andreas II. (in bulla aurea; GRUBER l. c.) *Serviæ*, *Galliciæ*, & *Lodomeriæ* titulis. Acceſſit paulo poſt ſub Bela IV. (vide KOLLÁR l. c.) *Cumania*, & ſub ejus filio *Bulgaria*, donec tandem Reges e provinciis exteris ad thronum Regni Hungariæ arceſſiti, e more ſæculi, inſcriptionibus ſigillorum, nomina etiam exterarum ſuarum provinciarum intexentes, easdem multo adhuc longius extenderent.

Tab. IV. Fig. 4.

Tab. V. Fig. 10.

§. 135.

Reliquæ inſcriptionum lit. formulæ.

Inſcriptionum in ſigillis regiis initium, utplurimum a crucis fiebat ſignaculo, quocum ſubinde alternabant ſtellæ, aliæque figuræ arbitrariæ. Sequebatur illud continuo vox *Sigillum*, interdum, præcipue in antiquioribus majeſtaticis, omiſſum, ſæpiſſime in aliorum etiam ſigillis ſola initiali S. expreſſum. Inter nomen Regis & titulos vetus ſubsiſtit formula *Dei Gratia*, poſt quam Regis titulus, regnorumque & provinciarum exponuntur nomina *a*). Interdum etiam cognationis nexus *b*), magno poſteritatis commodo in ſigillis deſcriptus eſt. In Hungaria Bela III. patris (Geyſæ II.) quo genitus erat nomen, primus e diplomatum introitu, ubi id prius jam obſervatum erat *c*), ad ſigilla tranſtulit, cujus exemplum ad initium ſæc. XIV. (e. c. *Sigillum primi Ottonis Regis*

Ungariæ, nepotis quarti Belæ Regis) omnes fere ſucceſſores ſecuti ſunt *d*). Idem Rex apud nós auctor etiam videri poſſet conſuetudinis, jam antea ab Imperatoribus & Pontificibus Rom. (Leone IX.) nón item a Galliæ Regibus ante Franciſcum I. *e*) receptæ, numero ſe in ſigillis diſtinguendi ab aliis Regibus homonymis, ſi lectio perigraphes ſigilli in diplomate fundationis Abbatiæ Ciſterciensium de Bocconio an. 1182. quam MANCINI habet *f*), omninò vera eſſet; de quo tamen ego vel eo magis dubito, quo certius eſt Belam III. Geyſæ II. non vero Almi fuiſſe filium. Notandum adhuc eſt, vehementer falli, qui omnes Regum titulos, in diplomatum introitu obvios, in ſigillorum etiam inſcriptionibus exigunt. In autographo Ladislai Cumani, quod coram me habeo, Bulgaria titulorum ſeriem abſoluit; in ſigillo vero Bulgariæ nomen deeſt; ſine dubio, quod ſculptor ob ſpatii defectum, in Cumaniæ titulo exſculpendo ſubsiſtere debuit. Ex literarum denique, quibus perigraphe ſigilli abſolvitur forma & charactere, qui ſingulis fere ſæculis variabat, de veritate & authentia ſigillorum, cum verisimilitudine aliqua judicium ferri poteſt; ſed magna eatenus cautione opus eſt, cum ſculptorum ejusdem ævi ſtylus, pro majori minorive artis quam exercebant cognitione & dexteritate, differre multum queat, idemque typarium e. c. urbibus & oppidis, ſæpe per longiſſimi temporis decurſum ſufficiat.

a) Extraordinaria & prorſus ſingularis inſcriptio ſigilli Belæ Regis junioris (an. 1229.) hæc eſt: *B. Dei Gratia, & voluntate ſui patris, Rex Hungariæ;* cujusmodi perigraphen ſigilla Imperatorum Ruſſiæ, ex

ex lege Petri Magni habitura fuissent, nisi auctor, legem a se ipso neglectam, morte antiquasset.

b) HEINECCIUS l. c. pag. 193.

c) E. c. (an. 1082.) „ Ladislaus D. G. Hungarorum Rex, *Belæ Regis filius* " — (an. 1075.) „ Ego Magnus qui & Geysa supremus Hungarorum Dux, postea vero Dei Gratia Rex consecratus, *Belæ Regis filius* " PRAII *Hierarchia Regn. Hung.* P. I. p. 265. 333.

d) PRAY in *Notitiis præviis ad Hist. Regum Hung.* p. X. XI.

e) *N. Lehrgeb. der Dipl.* T. V. §. 527.

f) In *compendiaria politioris Literaturæ notitia.* P. II. p. 193. In literarum exordiis id aliquanto factum est maturius.

§. 136.

De cereis prius sigillis, quam de bullis loquar. Illorum alia fuerunt diplomatibus *appressa*, alia de iisdem *pendula*, seu *pensilia*. Appressa iterum vel in parte diplomatum inveniuntur antica, vel in postica. Prior sigillorum apprimendorum locus, ut antiquior est, ita semper etiam fuit usitatior. Antiquissima certe Germanorum diplomata, quorum non pauca videre, etiam mihi aliquando licuit esse tam felici, ita fere signabantur, ut membrana in latere marginis inferioris dextro, plerumque in stellæ vel crucis formam incideretur, replicatis in unam alteramque partem laciniis, quæ post sectionem existebant triangularibus; apertura subinde ex utraque parte, operiebatur cera, sigillum apprimebatur intrinsecus. (*Chron. Gottw.* L. II. p. 164.) An in Hungaria hic modus signandi olim viguerit, in tanto diplomatum priorum duorum sæculorum defectu, definire est difficile; contra vero alium, quo

Modus adnectendi sigilla impressa.

quo vel in facie, vel in tergo diplomatis, filis membranaceis per medium diploma, in partem alteram transmiſſis, inprimebantur ſigilla, non infrequentem inter Hungaros fuiſſe, exemplis certum eſt. Et in adverſa quidem impreſſa, ad calcem literarum rejecta medium occupant. Quæ tergo adglutinata ſunt noſtratia, cum majora tum minora etiam, regionem equidem palarem ſeu mediam tenent, ita tamen, ut hæc plerumque ſupra centrum aſſurgant, illa contra infra illud ſint depoſita. In Archivo urbis Sopronienſis literas Regum Hung. ſæc. XIV. bene multas vidi, (& hujusmodi Mariæ I. quoque eſt, quod e Muſeo Bibliothecæ R. U. deſumtum Tab. II. Fig. 10. repræſentat,) quarum tergo ſigilla majora majeſtatica, diametro altitudinem ipſarum literarum ſæpe adæquantia, impreſſa ſunt. Similium exemplorum e re diplomatica aliarum gentium memor non ſum *a*) : etsi non ignorem inter Germanos ſigilla minora, neque tamen Imperatorum & Regum majeſtatica, (de quorum contrasigillis hic ſermo non eſt) in dorſo literarum expreſſa, itidem a ſæc. XIV. interdum occurrere *b*). Sunt autem illa quocunque demum loco appreſſa, caducitati & fragilitati præ pendulis obnoxia, quorum ſuperficiem, ſi minora eſſent, inprimis miniata, ſine dubio eapropter prius quam typarium admoveretur, ab exitu inde ſæculi XIV. (exemplum quod mihi innotuit primum literæ habent Sigismundi Regis anni 1399. ſigillo annulari communitæ) particula chartæ identidem obtegere viſum eſt. Decidua de literis, loco quem occuparant, veſtigia nunquam non relinquunt, e quorum ambitu

&

& colore, ætas fidesque literarum utcunque æſtimabitur. Juvabit hoc fine etiam formulam ſcriptam, quæ ſub cera jam avulſa latuit reſpicere. Membranæ enim priusquam cera oblineretur, ſub Carolo I. Rege, ſolemnes inſcribi cœperunt Cancellariarum formulae: *Commiſſio D. Regis; Splis 9° Domine regine; relatio Henrici, Piponis*, cet. Obſervavi ego illas in illis fere Regum literis, quibus formularum iſtarum aliqua in ſummo margine præmiſſa ſtabat, latentes ſub majoribus minoribusque ſigillis, etiam annularibus, ad Albertum usque Regem, in cujus literis an. 1438. ſigillo judiciali in cera rubra firmatis, ultimum conſuetudinis iſtius notavi veſtigium. Exempla recentiora ignoro; nec hoc definire audeo, ſublcſtæne fidei continuo dicendæ ſint literæ, quarum ſigillo appreſſo a Carolo I. ad Albertum usque, formula nulla ſubeſt: quamvis in judiciis, ut relatum accepi, ſigilla ceu fraudis ſuſpecta, rejecta aliquando ſint, quod confracta ſimilem non edidiſſent ſententiam.

a) HEINECCIUS diplomata hujusmodi ſigillis in tergo munita falſi inſimulat l. c. p. 177.

b) *Allg. deutſche Bibliothek.* T. LII. append. I. p. 561.

§. 137.

Præeunte perill. quondam GUDENO *a*), communis plerorumque non ita pridem adhuc fuit opinio, ad annum usque 1190. desiderari ſigilla cerea de literis & diplomatibus pendula. Adverſantur huic ſententiæ ea, quæ LUCIUS de pensili cera Cresimeri Regis Dalm. & Croat. anni 1071. *b*) nec non de pendulo ſigillo Colomanni Regis Hung. 1108. *c*) commemorat; adverſantur Sigilla pendula.

tur

tur illa quoque ſigilla Belæ II. Stephani III. & Belæ III. Regum, quæ inſtrumentis protographis appenſa, adhucdum ſuperſunt *d*). Ab auctoritate diplomatis Boleslai II. Ducis Bohemiæ concesſi an. 993. Monaſterio Ordinis Divi Benedicti Brzevnoviensi, & ſigilli quod ab eodem dependet, me ſponte abſtineo; quod de utriusque authentia & ſinceritate ego quoque poſt PUBITSCHKAM non temere dubitem *e*). Neque ea GUDENO opponi posſunt, diplomatum Ottonis III. Imp. exempla, quæ MURATORIUS in *Antiqu. Ital.* Tom. I. p. 233. 235. edidit; ſigilla enim ibi filis avulſa, dubium relinquunt, bullisne an ceris potius adſcribi debeant. Quamquam ergo ſigilli regii pendentis de diplomate exemplum nullum adhuc anno 1071. antiquius, quod LUCIUS commemorat, inventum ſit: Epiſcopos tamen jam ſæc. X. pasſim chartas ſigillis munivisſe pendulis, vel MABILLONII (l. c. p. 150.) conſtat teſtimonio. Id mirum videri poteſt, auctores Gallos Germanosque iterum nihil commemorare de conſuetudine, quam ſalvo diplomate S. Stephani an. 1001. mature aliquando in Hungaria obtinuisſe certum eſt, majora videlicet ſigilla, ſeu majeſtatica, adſuendi tergo diplomatum ope corrigiæ, per inciſuras ex antica in partem poſticam trajectæ, ita ut ſigillum appareat non in illa diplomatis pagina, quæ inſcripta eſt, ſed in altera vacua, idemque, quamvis vere pendulum mobileque, nihilominus negligentius contuenti appresſum esſe videatur. — Pendent porro ſigilla non tantum de membranis, verum ut nuper admodum edocti ſumus *f*), etiam de literis e charta communi linea, quamvis hoc, ob materiæ infirmitatem

tatem, rarius. Universe autem consuetudo appendendi sigilla, ita in alteram, qua ceræ apprimebantur chartis, haudquaquam sæviit, ut protinus ac illa admittebatur, hæc subito ac penitus dimissa sit.

a) In præfat. ad *Syllogen I. Diplomatariorum* p. 18.

b) V. JO. LUCII *de regno Dalmatiæ & Croatiæ Libb. VI.* Amst. 1668. Fol. „ *Privilegia* (inquit ille pag. 96. „ scil. Ducum & Regum Croat. & Dalm. priscorum) „ *diversimode firmabantur, signis tantum, ut Tirpimiri; signis & sigillo annuli ducis, ut Mucimiri; subscriptione, & approbatione aulicorum, & Episcoporum, ut Regum Cresimiri Petri, & Zuonimiri. Et quamvis plura originalia Regum privilegia supersint, unicum tantum pendenti sigillo cereo rotundo Cresimiri reperitur, anni* 1071. *in sanctuario Arben. Ecclesiæ existens, in quo imago Regis in throno sedentis apparet, circa quam sequentes characteres:* SIGILLUM REGIS CRESIMIRI DALMATIAE. "

c) *Memorie istoriche di Tragurio* p. 19.

d) Primum in Archivo Exc. Cameræ Aul. vidi, alterum in Archivo urbis Sopronienfis; tertium, priusquam Plassenburgo Budam cum pluribus aliis instrumentis referretur, vulgavit SPIESS l. c. P. I. p. 240. conf. P. II. p. 1.

e) Vetustissimum hoc, ut vulgo creditur, rei diplomaticæ Bohemicæ monumentum, una cum sigillo, quod ab eodem dependet, servato charactere prisco quoad fieri potuit, vide quam diligentissime æri incisum in W. HAGEK *Annalibus Bohemorum* cura G. DOBNER P. IV. ad p. 374. Idem vindicare illud ab objectionibus adversarii tentavit in commentationibus: *Abhandlungen einer Privat-Gesellschaft in Böhmen*, I. *Band*, *Prag*, 1775.

f) Vid. *Leipziger allgem. Liter. Anzeiger, December* 1798. p. 2094. conf. *Intelligenzblatt der allgem. Literatur Zeitung*, 1799. Nro. 43.

§. 138.

§. 138.

Ligamina Sigillorum.

Diverſi coloris, diverſæque materiæ fuerunt ſigillorum pensilium vincula, cum alibi, tum in Hungaria. Et materia quidem e *ſerico*, *corio*, *membrana*, & *filo communi*. Sericea olim fuere vincula ſigillorum non ſolum Regum Hungariæ, ſed plerumque etiam Epiſcoporum, Capitulorum & perſonarum illuſtrium. Corio, eoque craſſiore ſigillum diplomati S. Stephani 1001. alligatum eſt, cujus Regis literas 1019. ill. GEBHARDI haud ita pridem falsi insimulare non dubitavit, quod corrigiæ in formula ſphragiſtica illarum mentio facta eſt *a*). Nec membranacea nobis deſunt ſigillorum ligamina, ſigillis præcipue Abbatum & Conventuum ſuſpendendis olim adhibita, & ubivis obvia. Si inſtrumentum aliquod plurium Procerum Nobiliumque ſigillis inſtructum eſt, dependentibus de loris membranaceis, non tantum ordinis, quem perſonarum dignitas definiebat, diligentem rationem habitam fuiſſe deprehendimus; verum nomina etiam illorum, ad quos ſigilla pertinuerant, membranulis per Notarium inſcripta invenimus *b*). Filo communi, recentiori demum ævo, perſonæ utplurimum inferioris conditionis uſæ ſunt, quamvis Capitulorum etiam, e. c. Scepusiensis, ſigilla viderim filis vulgaribus pendentia. — Coloris porro non minor fuit varietas & inconſtantia in appendiculis ſericeis. Quidam enim etiam Hung. Regum ſerico partim rubro, partim albo flavove: alii penitus rubeo aut viridi usi ſunt. Hodie Imperatores Rom. Germ. & quidem a Caroli IV. tempore, quem tamen non omnes ſucceſſores in eo continuo imitati ſunt *c*), accommodate

ad

ad tincturas insignium Imperii, ligamina adhibent contexta e ſerico nigro fulvoque: in Hungaria colores e Regni insignibus deſumti, argenteus puta ruberque, quibus interdum ob tria montium juga viridis admiſcetur, publici juris ſunt.

a) *Geſchichte des Königreichs Hungarn* I. 430. Literæ dotem Monaſterio Benedictinorum S. Adriani de Szala conſtituunt.

b) Diploma Prælatorum, Baronum & Nobilium Hung. an. 1402. quo ſe, mortuo ſine hærede maſculo Sigismundo, Albertum Auſtriæ Ducem, Regem agnituros & coronaturos eſſe promiſerunt, ſigillis annularibus CXII. communitum eſt; quibus appendendis, cum locus in inferiori margine membranæ non ſufficeret, duo, urbium Poſonienſis & Sopronienſis, ſigilla, e dextro diplomatis, quod ipſemet evolui, latere appenſa, nomina vero ligulis membranaceis CXII. de quibus pendent, Notarii attamen manu, inſcripta ſunt. Exemplum aliud, ſed minus illuſtre, habet KAPRINAI in *Hungaria diplom.* P. II. p. 252.

c) WILL'S *Beyträge zu der Diplomatik* p. 81.

§. 139.

Pendent de chartis omnes, quotquot extant, bullæ, quas ceris quoque appendendis occaſionem feciſſe nullus dubito. Fuerunt illarum quoque vincula materiæ & coloris diverſi. Alternaviſſe porro inter ſe ſericeas & cannabinas bullarum pontificiarum appendiculas, tironibus in arte diplomatica notum eſt. Sed audiendi non ſunt, qui e ligaminum materia, argumentum literarum pontificiarum, ſemper adſequi cupiunt. Enimvero bullæ Pontificum cum *executoriæ* ſeu *juſtitiæ*, tum *gratioſæ*, promiſcue ad finem ſæc. XII. mox filo ſericeo (quod ſubinde a medio ſæc. XIII. ad XVI. per- *Vincula bullarum.*

perpetuo mixtum e rubro flavoque erat,) mox cannabino crassiore alligatæ sunt: quamquam post illud tempus in *forma gratiosa* expeditas serico, in *rigorosa* vero exaratas, cannabi vinctas esse debere *a*), non sim nescius. Recentioribus bullis aureis Regum Hungariæ, accedit a vinculis aureis etiam, splendoris aliquid; antiquiores, e. c. aurea Bulla Belæ IV. an. 1252. juxta cum ceris, e zonis dependebant sericeis. — Modum denique, quo sigilla alligabantur chartis, lectores in ipsis diplomatibus, quam descriptione qualicunque imperfecta contemplari malo. Interdum si sigilla majoris molis adnectenda erant, fila, de quibus sigillum pendet, per medium literarum contextum ducta sunt; neque tamen hic sigilla applicandi modus, Hungaris duntaxat, ut SPIESSIO aliquando videbatur *b*), erat proprius. — Capsulis, vel metallicis vel etiam ligneis, sigilla pendula includendi mos, vix sæculo XVI. est antiquior; neque ut theca hujusmodi sigillo ipsi ubique ætate par sit, necesse est.

a) *N. L. G. der Dipl. IX.* §. 1174. 75.

b) *Archivische Nebenarbeiten II.* p. 2. In *monumentis Boicis* Tomo XI. p. 479. ad diploma Alberti Archiducis Austriæ an. 1459. ejusque sigillum equestre notatum reperii: „ Sigillum *in medio chartæ* filis „ sericeis tricoloribus appensum est."

§. 140.

Sigilla civilia, ecclesiastica.

Personæ, quæ in Hungaria sigillis usæ sunt, fuerunt ordinis vel *ecclesiastici*, vel *civilis*. Ad sigilla personarum civilium pertinent:

1.) Sigilla Regum, & Reginarum, nec non Principum filiorum. 2.) Magnatum & Nobilium.

bilium. 3.) Comitatuum. 4.) Urbium & Oppidorum. 5.) Civium & plebejorum.

Inter ſigilla perſonarum eccleſiaſticarum, commemoranda ſunt: 1.) Sigilla Romanorum Pontificum, (ob magnam illorum inter nos copiam.) 2.) Epiſcoporum & Capitulorum. 3.) Abbatum & Conventuum ſacrorum.

§. 141.

Hungariæ Reges pro diverſitate literarum, quas ſigillis roborabant, diverſa etiam adhibuerunt ſigillorum typaria. Illuſtris hac de re locus exſtat Matthiæ Corv. Decr. III. art. 8. (anni 1471.) „ Nos utimur, inquit ille ibidem, „ quatuor aut quinque ſigillis, videlicet bulla „ aurea & duplici, ſecreto, juridico, & an- „ nulari " Ectypon unius alteriusque in Tab. IV. & V. videris. „ Duplex, (ita SZEGEDI in *Tripartito juris Hungarici Tyrocinio*, P. II. p. 100. commentatur,) uti & bulla aurea „ apud Archiepiſcopum Strigonienſem aſſer- „ vatur, (addere debuiſſet: ex quo hic per- „ petuo eſt ſummus Regis Cancellarius) „ & poſtquam ſeries ſtatutionis reportatur, „ atque in formam privilegii redigitur, dona- „ tio per illud munitur. Hodie (de ſuo tem- „ pore loquitur † 1760.) etiam literæ armales „ ab Rege & Archiepiſcopo Strigoniensi, velut „ ſummo Cancellario & Secretario ſubſcriptæ, „ illo expediuntur. Secretum ſigillum Regis „ eſt, quo in præcipuis negotiis & confirma- „ tionibus privilegiorum utitur, item in novo „ judicio extradando. Judiciale Locumtenens „ perſonalis præſentiæ regiæ apud ſe habet, „ & ſub eo expedit. Annulare demum, quod Sigillorum regiorum pluralitas & diſcrimen.

„ Rex pro ſuo privato uſu conſervat. “ Secretum, (majus minusque) & judiciale Regum Hung. ſigilla, ſimplicia ſunt, atque insignia regni exhibent; & poſterius quidem regia impreſſa ſibi habet ſymbola, quod Regum auſpiciis judicia nunquam non habita fuerint. Neutrum ſæculo XIV. eſt vetuſtius.

§. 142.

De Sigillo duplici ſpeciatim.

Primus ac præcipuus ſigilli duplicis regii uſus olim erat in conferendis & confirmandis Nobilium beneficiis, quæ vulgo *Donationes* (in Polonia aliquando, *panis bene meritorum*) appellamus, etiam poſtquam ſecretum, in pluribus literarum generibus, in locum duplicis ſubſtitui cœptum eſt. Donatione ſcilicet aliqua, civi de Rege & patria bene merito decreta, inſcribebatur hæc regiæ liberalitatis declaratio literis patentibus, firmatis nonniſi vel ſigillo Regis annulari, vel ſecreto minori, ſubjecta vetere formula: „ harum noſtrarum vi„ gore & teſtimonio literarum mediante, quas „ in *formam privilegii* redigi faciemus, dum „ nobis in ſpecie fuerint reportatæ “ *a*). Dabatur adhæc loco credibili, beneficio promiſſo proxime adjacenti, in mandatis, ut dimitteret unum e ſui medio pro teſtimonio fide dignum, aſſociandum viro ſeculari a Rege ad negotium hoc deputato, quorum, vicinis limitaneis convocatis, intererat, beneficiarium in poſſeſſionem prædii introducere, hujuſce metas & fines obire, & diligenter definire, intercedentes actui inveſtituræ, ſi qui aderant, ad rationem contradictionis edendam, in Regis præſentiam evocare, hiſtoriamque rei

totius

totius peractæ (*seriem statutionis*), literis loci credibilis comprehensam, Regi perscribere. Hac percepta, si vel nemo erat, qui statutioni intercessisset (*statutio pura*,) vel contradictione in judicio elisa, solemnes dabantur literæ, quas *Donationales* dicimus, statutionis etiam seriem in se continentes, eædemque sigillo nunc demum muniebantur duplici seu *privilegiali*, ipsique donationis instrumento *privilegii* exinde cognomen est inditum *b*). Progressu temporis a sæculo inde XIV. ad finem XV. ubique gentium fere rarescere magis magisque cœpit duplicium sigillorum usus; (enimvero exeunte sæc. XV. nec Imperatores *c*), neque Episcopi se amplius sedentes in ceris suis exhibent) rarescunt etiam sigilla equestria, adhibitis in eorum locum secretis potius, quæ suis imaginibus, vel provinciarum quibus quis dominabatur proloquerentur copiam, vel stemma, quo quis ortus esset, testarentur vetustum atque nobile. Mos idem etiam ad Hungaros propagatus est; sed, quod hi, juxta cum Hispanis Belgisque *d*) rituum antiquorum admodum tenaces essent, paulo lentius. Alternare hic primum ergo tantum cœpit sigillum secretum cum duplici; subinde vero Ferdinandus I. secreto jam *in donationibus atque aliis gravioribus rebus Regni sui Hungariæ usus est e*). Imitabantur hunc ejus successores è Domo Austriaca, neque tamen duplex aboleri potuit penitus. Rudolphus II. anno 1603. Articulos quos *Tavernicales* appellamus, *sigilli duplicis* munimine *ratos, gratos, & acceptos habuit*; majestaticum ejusdem itidem utraque parte insignitum jam supra (§. 124. not. d.) celebravi; commemorari idem in pri-

vilegiis Leopoldi I. bene memor ſum; fuerunt quibus Caroli VI. viſum eſt *f*), urſitque tandem adhuc illius uſum Lex regni an. 1751. art. 3. — Sine dubio Archiepiſcopi Strigonienſes, ex quo hi perpetui Summi & Secretarii ſunt Regis Cancellarii, ac proinde, ſigilli etiam duplicis cuſtodes, hoc idem penitus antiquari paſſi non ſunt *g*), etiam poſtquam titulo Summi & Secretarii Cancellarii eisdem duntaxat relicto, alius in aula Regis a Rege conſtitutus eſſet Cancellarius, qui re vera hoc munere functus eſt, & adhuc usque fungitur. Quamvis vero nihil impedire dicant, quominus hodieque codicilli nobilitares a Rege & Archiepiſcopo ſubſcripti, illis, quos Rex ad commendationem Archiepiſcopi in cœtum nobilium cooptavit, e Cancellaria hujus ſigillo duplici (cujus e lege regni 1609. 73. duplex taxa eſt) munitæ expediantur *h*): nulla tamen, quantum ſcio, ævo noſtro ſimilis expeditionis exempla exſtant amplius, mortuoque nuper Archiepiſcopo Joſepho e Comitibus de Batthyan, ex hujus Cancellaria utrumque par ſigilli ad Aulam Regis relatum eſt, quin ille, titulo Summi & Secr. Cancellarii contentus, illius uſum unquam feciſſet aliquem. — Hoc tandem adhuc hic commonere expedit, ad evitandam fraudis ſuſpicionem, ſi olim Cancellario, aut Vice-Cancellario Regis, cui ſigilla Regia erant concredita, per Regem beneficii tribueretur aliquid, mox Palatini, mox unius alteriusque Epiſcopi ſigilla de eodem inſtrumento fuiſſe ad latus regii appenſa. Ludovicus I. literis 1355. hac eadem de cauſa, („ad evitandum ſuſpicium") Eliſabethæ matris ſigillum duplex authenticum ſuo

addi-

addidit. Sed cautela hæc, a quo Reges literis manu propria fubfcribunt, ceu minus neceffaria, jam pridem neglecta eft.

a) Ante fæc. XIII. nec formula ifta, nec hujusmodi literæ donationis, quas ftylo illius ævi *interimales* facile quis appellare poffet, apud nos occurrunt. Suffeciffe primis R. H. temporibus videtur refcriptum Principis ad locum aliquem, vel perfonam aliquam credibilem e. c. Sclavoniæ Banum, quo jubebantur videre, prædium vel villa, quæ a Rege petebatur, jurisne effet regii, ut promiffam roganti dare poffet? Qui ejus effet ambitus? Quæ cultura? &c. donatario, fi nihil obftabat, continuo in prædii poffeffionem introducto, privilegio autem fubinde edito. Sed neque ejusmodi collationis exempla defunt, ubi nimirum Rex per locum credibilem prius utcunque edoctus, privilegium donationis edidit, ftatutio vero ferius fubfecuta eft. Hæc vero cum aliorum interceffionibus inexfpectatis impediretur fæpius, factum eft, ut ante inveftituram, literas equidem donationis regiæ teftes acciperet beneficiarius, hæ autem nonnifi ftatutione ab omnibus contradictionibus rite vindicata, in formam privilegii folemnis redactæ fint. „ Ad pe„ titionem ejusdem (verba funt Elifabethæ Reginæ conjugis Ladislai Cumani, inftrumento donationis, feu privilegio, quod Luchatio nuntio victoriæ de Cumanis reportatæ impertita eft) „ quan„ dam terram feu villam præconum noftrorum N. — „ in Comitatu Simigienfi — duximus conferendam. „ Verum quia de qualitate, quantitate, & circum„ ftantiis ejus nobis veritas non conftabat ad ple„ num, *nec vellemus noftræ donationis infignia fub* „ *incerto donationis titulo vacillare*, ad pleniorem „ notitiam ejusdem villæ — religiofis viris — no„ ftris literis dedimus in mandatis, qui nobis to„ tius terræ qualitatem & circumftantias in fuis „ literis refcripferunt in hæc verba — " In refponforiis Conventus Simigienfis ftatutionem jam etiam peractam effe relatum eft.

b) E literis donationis Emerici Regis anni 1199. quas tabularium Sopronienfe habet, hic eft epilogus: „ præ-

„ præſentem conceſſimus paginam, *privilegiantis* „ *ſigilli* noſtri munimine in perpetuum roboratam.“

c) GUDENUS l. c. in Præfat. p. 21. 25.

d) Vid. OLIV. UREDII *Sigilla Comitum Flandriæ*, ubi ſigilla Regum Hiſpaniæ majeſtatica ſæc. XVI. XVII. æri eleganter inciſa ſunt. Ultimum ibidem Philippi IV. Regis ſigillum novum eſt anni 1634.

e) Hanc formulam in multis Ferdinandi I. legi privilegiis. conf. *Quadripartitum opus juris conſuetudinarii Regni Hungariæ*, Zagrabiæ 1798. 4. pag. 51. 52.

f) (JOS. KOLLER e S. I. † 1766.) in *Cerographia Hungariæ*, ſeu *Notitia de Inſignibus & Sigillis Regni Mariano-Apoſtolici*. Tyrnaviæ 1734. pag. 90.

g) Repræſentationes ita dictas Archiepiſcoporum Strig. pro uſu ſigilli duplicis retinendo, plures legi. (HEVENESSI MSS. Tom. LI. NNN) conf. P. PAZMANI *Append. III. ad Synodum Diœces.* an. 1629. in PETERFI *Conciliis R. H. P. II.* p. 287.

h) Non memini me Regum Hung. codicillos nobilitares (armales) ſigillo majeſtatico duplici firmatas uſpiam vidiſſe. Exempla ſine dubio rara ſunt.

§. 143.

Sigilla Reginarum Hungariæ.

Reginæ Hungariæ ſigillis cum majoribus ſeu majeſtaticis *a*), tum minoribus etiam ſeu ſecretis, & annularibus uſæ ſunt. Utriusque generis exempla a ſæc. XIII. inde ſat multa ſuperſunt; æri inciſa vero exſtant nonniſi Fennenæ Andreæ III. *b*), Barbaræ Sigismundi *c*), & Annæ Ferdinandi I. *d*) conjugum. Illorum primum eſt duplex majeſtaticum, intermedium annulare, poſtremum ſecretis accenſetur. Operæ igitur pretium me facturum eſſe putabam, ſi tribus iſtis, hactenus in lucem editis, quartum, nimirum Mariæ I. ſigillum majus, ſeu majeſtaticum monoſphragiſtum adjicerem, quod in parte poſtica diplomatis anni 1383. impreſſum ſeu agglutinatum eſt. Hoc ideo deligere placuit, quod decretis & privilegiis Mariæ I.

per

per Sigismundum Regem approbatis, hodieque in foro ſumma ſit auctoritas, nec inter Reginas, ſed Reges Hungariæ, juxta cum Maria Thereſia, juris hungarici præceptores illam cenſeant. Locus adhæc, quo ſigillum expreſſum eſt, & adnectendi modus, qui e veſtigiis fragminum deciduorum luculenter apparet, nec non inſcriptionis utriusque fragmenta, ſigilli exemplum præbent, ſatis, ut opinor, memorabile.

a) Eliſabetha regina conjux Ladislai Cumani literas *reverendæ Socrus* ſuæ Eliſabethæ majoris an. 1283. duplici ſub ſigillo, Timotheo Zagrab. Epiſcopo, de decimis in Comitatu de Werewcze colligendis, editas, itidem duplici ſub ſigillo confirmavit 1284. „*in quantum ad nos pertinere dignoſcitur, cum idem* „*Comitatus de V. ſit de prædiis & curtibus regina*- „*libus.*" De hujusmodi ſcilicet tantum juribus reginæ privilegia largiri poterant; quarum proinde conſenſum Reges ipſi, daturi alicui de illis aliquid, negligere nunquam ſolebant. — Aliud ſigillum Majeſtatis 1367. iterum Eliſabethæ Ludovici I. conjugis, Auctores *Chronici Gottwicenſis I.* 407. commemorarunt equidem uberius, quin tamen ob operis continuationem impeditam illud delineaverint.

b) In (IGN. BAERNKOPF) *Disquiſitione de jure coronandarum Reginarum Hung.* Poſonii 1792. ante prologum.

c) In JO. HEUMANNI *Commentariis de re diplomatica Imperatricum ac Reginar. Germaniæ*, Norimb. 1749. pag. 4. & 330. fig. 5. unde exemplum, quod I. G. BOEHMIUS in fronte diſſertationis *de Barbara Celejenſi*, Lipſ. 1759. exhibet, acceptum eſt.

d) Apud PÉTERFIUM in *Conciliis R. H. P. I.* dedicationi præpoſitum.

*) In ERASMI GATTOLA *Acceſſionibus ad Hiſtoriam Abbatiæ Caſſinenſis*, Venet. 1734. Fol. pag. 312. diploma recitatur Iohannæ II. Hungariæ, Ieruſalem, & Siciliæ Reginam ſeſe appellantis, munitum ſigillo majori majeſtatico duplici, figuræ inſolentis, cui dictorum regnorum inſignia in parte averſa inſcripta ſunt. — At feminæ huic quamvis principi inter Reginas noſtras locus non eſt.

§. 144.

Sigilla Nobilium.

Sigilla Nobilium Hungariæ ante ſæc. XV. admodum rara ſunt. Quamvis autem maturius jam primæ nobilitatis viros, nimirum regni Barones, Comites parochianos, & ſic porro, ſigillis uſos fuiſſe dubitari non poſſit: certum tamen eſt, insignia gentilitia, eaque perpetua, ab avis ad nepotes propaganda, ante Sigismundum Regem ſigillis inſculpta non occurrere, ut adeo exempla ſigillorum, a regni Proceribus ad iſtud usque tempus profecta, vel emblemata exhibeant inconſtantia & temporanea, vel ſi eadem publica & authentica erant, ſigillis regiis, prout e. c. nunc judiciale regium, adnumeranda ſint. Nobiliſſimis ergo & vetuſtiſſimis Hungariæ familiis teſſeras gentilitias, ſeu arma, Sigismundus Rex omnium primus contulit *a*); qui cum ſimul Imperator eſſet, opinione ævi medii, hoc jus inprimis ad ſe, ceu luminare illud minus, e quo omnium ſæcularium dignitatum radii profluerent, pertinere ratus eſt *b*). Sed neque redituum, (taxarum) qui ex insignium conceſſione, Sigismundo Regi, pecuniarum ſemper indigo, proveniebant, oblivisci decet; qui præcipue in Concilio Conſtantiensi permultos Hungariæ Nobilium insignibus condecoravit, qui talia tunc vel eo magis deſideraſſe cenſendi ſunt, quo magis eisdem in magno illo & frequenti Nobilium totius Europæ chriſtianæ conventu, diſcernacula hujusmodi, & publici nobilitatis ſuæ indices fuerunt neceſſarii. Crevit abhinc (Hungariæ Regibus ſubſequentibus, insignia ſuo eoque maximo jure conferentibus) ſigillorum priva-

privatorum ufus in Hungaria continuo, quo Nobiles Hungariæ eo facilius carere ad hoc usque tempus poterant, quo magis abundabant Capitulis & Conventibus, figilli publici & authentici jure gaudentibus, coram quibus, quemadmodum coram fummis & ordinariis Regni Judicibus, privati Nobiles contrahere, (faſſiones celebrare) & olim folebant, & adhucusque folent.

a) Primum & antiquiſſimum quod mihi quidem innotuit literarum hujus generis exemplum, armales illæ funt, quas Sigismundus anno 1401. in Fefto B. Georgii Martyris, Joanni filio Demetrii de SEMSE, ob mortem fratris illius Ladislai, pincernarum regalium magiftri, qui infelici illo cum Turcis ad Nicopolim conflictu occubuerat, impertitus eft. Diploma vulgavit KATONA in Hift. crit. RR. Hungariæ Tom. XI. p. 519 — 21.

b) Eximio fpecimine, verbisque Sigismundi (quæ, cum brevitati ftudeam, defcribere huc non poffum) fyftema hoc deductum vide, in JO. STEPH. PÜTTERI *Specimine juris publici & gentium medii ævi*, Gœttingæ, 1784. 8. p. 184. — Vidi armales literas fub Ludovico I. Rege 1366. a Palatino Rheni, poteftate fibi utique ab Imperatore delegata, Hungaro collatas. Legi vero easdem non foris, fed domi, non in exemplo aliquo vago, fed in protographo.

§. 145.

Inter Comitatus Hungariæ, Sümeghienfis primus erat, cui Wladislaus II. an. 1490. fingulari privilegio, (quod P. SZEGEDI inferuit *Decretis & vitis Regum Hungariæ, qui Tranfilvaniam poffederunt* p. 253. *feqq.*) infignia, atque adeo figillum largitus eft. Simile privilegium reliqui Comitatus omnes & finguli, lege Regni an. 1550. art. 62. a Regia Majeftate

Sigilla Comitatuum.

ſtate impetrare juſſi ſunt *a*). Comitiis ergo anni dicti adhuc perdurantibus, Honthensi Comitatui, 12. menſ. Februarii, an. 1550. convenienter legi, ſigillum proprium, & insignia, diplomate concedebantur, quod in M. BELII *Notitia Hungariæ novæ*, Tomo IV. pag. 553. 54. expreſſum, multa ſuggerit rem Hungariæ veterem diplomaticam non parum illuſtrantia. Antehac enim regni Comitatus ſigillis propriis & perpetuis deſtituti, in literis publico Comitatus nomine edendis, quarum nullas initio ſæc. XIV. antiquiores vidi, annulis Vice-Comitum & Judicum Nobilium utebantur *b*), plerumque ita, ut Vice-Comitis ſigillum paulo exſtantius, medium occuparet locum inter ſigilla cetera, in formam quadrati, ſi quatvor numero adeſſent, diſposita. Habuerit hæc literas corroborandi ratio non nihil incommodi; magiſtratibus enim provinciis ſuis decedentibus, ſigillum Comitatus etiam continuo mutari debuit. Nec alia de cauſa igitur, quam ut mutationis minus eſſet, Scepuſienſis Comitatus, priusquam ſua, quibus nunc gaudet, inſignia an. 1593. a Rudolpho II. impetraſſet, ſolo Comitatus nomine in quatuor ſyllabas diviſo, (SE) (PU) (SI) (UM) quæ totidem typaria minora dabant, Judicibus Nobilium cuſtodienda, (quæ etiam interdum uni circulo majori incluſa chartis apprimebantur) in muniendis ſuis literis uſus eſt *c*). Sigillum hujusmodi quadripartitum, cui verba: *Comitatus Maramarus*, vel: *Comitatus Ugoczia* inſculpta leguntur, Comitatus dicti adhucdum retinent, niſi quod quaterna illa ſigilla minora non jam

in

in poteſtate ſint totidem Judicum Nobilium, ſed more aliorum Comitatuum V. Comitis aut Notarii fidei permiſſa ſint. Joſepho II. ita jubente, duobus & quod excedit annis, a 1. inde Sept. 1787. Comitatus omnes & ſinguli, in ſigillis ſuis insignia Regni geſſerunt, inſcriptionibus Comitatus cujusvis nomen exprimentibus: menſe tandem Februario 1790. priora ſigillorum typaria Comitatibus Regni, urgentibus rem Regnicolis, iterum reſtituta ſunt. Ectypa plerorumque in *Cerographia Hungariæ* invenies.

a) „ Præterea ſtatutum eſt, (ſunt verba legis) ut pro „ evitandis diverſis inconvenientiis, quæ hactenus „ ſæpe numero in Comitatibus contigerunt, propter „ *incerta ignotaque ſigilla*: in poſterum in ſingulis „ Comitatibus *ſub uno ſigillo, literæ nomine Comitatus expediendæ*, ex benigna conceſſione Regiæ „ Maieſtatis *expediantur*, *quemadmodum fit in Comitatu Simigienſi*. Quæ quidem ſigilla poſtquam „ fuerint impetrata & confecta cet. "

b) Hinc communis literarum Comitatus nomine editarum introitus: *Nos N. Vice-Comes* (antique *Comes Curialis*) *& quatuor Judices Nobilium de N.* intelligendus eſt, qui poſtmodum, ſigillo nimirum perpetuo Comitatibus Regni attributo, formulæ initiali ceſſit: *Nos Univerſitas Nobilium Comitatus de N.* &c. Exemplum eſto: „ Nos Univerſitas No- „ bilium de Saros damus pro memoria, quod cum „ — — — exhibuit nobis literas quasdam adjudica- „ torias anteceſſorum *Vice-Comitis & Judlium* — an. „ 1545. — *modo antiquo, ſub quinque ſigillis emanatas & confectas*, quarum vigore &c. Datum — „ anno ejusdem Domini 1573. " Imagines ſigillorum ejusmodi quinque delineatæ exſtant in WAGNERI *Diplomatario Saroſienſi* p. 281.

c) M. BEL in *Prodromo Hungariæ antiquæ & novæ* p. 83. 84.

§. 146.

§. 146.

Sigilla urbium & oppidorum.

Antiquissimum exemplum diplomate regio accepti juris sigillum publicum adhibendi, privilegium Saxonum in Transilvania ab Andrea II. Rege 1224. acceptum suppeditat *a*). Ab hoc ætate parum discrepat sigillum universitatis Saxonum Scepusiensium *b*); inter urbes autem Hungariæ singulas, Cassovia, quantum e documentis liquet, prima fuit, cui insignium & sigilli usus, & quidem a Ludovico I. Rege, *diplomate* (nam & antea jam sigillum ad arbitrium delectum, & Cassoviæ & aliis civitatibus fuisse usitatum caret dubio) an. 1369. concessus est *c*). Etiam Buda, Alba-Regia, Pestinum, Sopronium, Posonium, Carpona, ceu antiquissimæ Hungariæ urbes, eodem jure mature satis a Regibus Hung. donatæ fuerint: at desunt mihi literæ, quibus id definire & pro certo affirmare possem; quæ etsi adessent, vix tamen Cassensium illud privilegium ætate antecederent. Legi autem complurium urbium Hungariæ antiqua privilegia, quæ adeo inter se consonant omnia, ut compendii causa in multis ad libertates tantum urbium illarum vetustarum, nimirum Civium de Buda vel de Cassa & sic porro, fiat provocatio; utpote quarum jura & prærogativæ jam longissimo usu erant cognitæ probatæque, & ad quarum unam oppidum privilegiis urbanis exornandum proxime situm erat. In eo vero etiam Hungariæ urbes antiquitus consensisse videntur, quod, exemplo urbium Germaniæ *d*), sigillis suis aut divos tutelares, aut turres & castella insculpserint, aut in iisdem insignia Regum

Regum Hungariæ, ſecutæ fuerint. Vetus urbis Bartphæ ſigillum (ita in MSS. P. KAPRINAI notatum inveni) S. Ægidium refert; Caſſoviæ S. Eliſabetham; Eperieſini ceræ veteres S. Nicolaum habent; Sebenicum S. Michaelem. Turres porro & caſtella urbium munitarum cum olim, tum noſtro etiam ævo, ſaltem plerarumque, commune efficiunt ſymbolum. *Buda*, *Peſthum*, *Strigonium*, *Poſonium*, *Sopronium*, *Comaromium* cet. mœnia cum porta patente, cataractisque pendulis, in ceris ſuis exhibent. Lilia Regum e domo Andegavenſi, a quibus ſcilicet privilegia ſua impetraſſe præſumuntur, *Caſſovia*, *Cremnicium*, & *Libet Bánya* adhucdum retinent. Urbes *Leutſchovia* & *Szakolcza*, cruce regni patriarchali gaudent; *Buda* vero, *Neoſolium* & *Cremnicium* octonas adhuc oſtentant in ſigillis faſcias. *Quinqueeccleſiæ*, *Eperieſinum*, *Bela - Bánya*, cet. in ſigillorum ſuorum imaginibus, ad nomen ſuum alludunt; neque in aliis regnis, in civitatum clypeis, quidquam eſt frequentius, quam figuræ paranomaſticæ. Pleriſque omnibus iſtis, Dalmatiæ urbes vetuſtiores aliquanto ſunt; quid mirum igitur, ſi res diplomatica illarum univerſa & ſigilla quoque aliquanto antiquiora ſint? *e*).

a) J. C. EDER *Comment. de initiis juribusque Saxonum Tranſilv.* p. 145. 190.

b) *Terra* certe *Scepuſienſis*, — cujus a *Comitatu* ejusdem nominis diſcrimen, GODOFR. SCWARZ in *Floribus ſparſis ad Tabulas pignori relictarum XIII. Civitatum Terræ Scep. Rintelii* 1765. 4. p. 19. & ſeqq. docuit: — jam anno 1280. proprio ſigillo, quod ſine dubio multo prius acceperat, gaviſa eſt. In literis enim hoc anno per Eliam Comitem, & Conſules, ceterosque Saxones & Latinos de provincia Scepuſienſi editis, hic legitur epilogus: *præſentes decre-*

decrevimus literas, in perpetuam confirmationem, ſigilli terræ communis munimine, roborare. — Conf. §. 131. & WAGNERI *Analecta* P. I. p. 265.

c) Armalium literarum hoc in Hung. primum exemplar eſt, quod §. 144. jam commemorari a me debuiſſet, ſi familiæ alicui nobili, non item civitati in complexu datum eſſet. Luſtravi ego ante hos annos aliquot Archivum urbis in Hungaria ſuperiore principis, diplomatum bene dives, (neque enim inter omnes Hungariæ Urbes ullius memini, quæ tot tantisque Regum laudibus & privilegiis exculta eſſet, quam eſt Caſſovia) nec incommode digeſtum. Ladislai Cumani Regis literæ, omnium quas ibidem vidi fuerunt antiquiſſimæ.

d) HEINECCIUS l. c. p. 138. 41.

e) Vid. fœdus pacis, quod anno 1221. Spalatini cum Sebenicenſibus iniverunt, ni JO. LUCII *Memorie iſtoriche* p. 31.

§. 147.

Sigilla civium & plebejorum.

Jure Hungarico (*Tripart.* P. I. Tit. 6.) ſolus ſigilli & armorum ſeu insignium uſus, neminem quemquam nobilitat. Sine dubio legi huicce occaſionem facere debuit, frequens ſigillorum uſus, qui ætate Wladislai II. atque adeo ſæc. XV. inter cives & plebejos in Hungaria invaluit. Neque in aliis regnis, jus ſigilli inter nobilitares prærogativas cenſetur; ex quo ſæculis XIV. & XV. ignobiles, & infimæ etiam ſortis homines, ſigilla ſibi ſumſerunt *a*). Figuræ, quæ iſtis incidebantur, fuerunt arbitrariæ, utplurimum artis *b*), vel opificii *c*), quod aliquis tractabat ſymbola.

a) *N. Lehrg. der Diplomatik*, Tom. VI. §. 145 — 48.

b) In ſigillo PETRI BONA Archiatri Henrici VII. Imperatoris, effigies medici exhibetur umbilicotenus, qui dextra manu comprehenſam matellam reſpicit, capiti vero aquilam imperialem expanſis alis geſtat impoſitam. *N. L. G. der Dipl.* Tom. VI. §. 148.

c) Lite-

e) Literas emtionis & venditionis duplices aliquando coram me habui (benevole mihi illas suppeditante Adm. Rev. P. JOSEPHO JAKOSSICH, scrutatore antiquitatum omnis ævi perito non minus quam indefesso) lingua germanica adornatas, quarum aliæ anni 1403. editionis locum nullum habuerunt, aliæ vero anno 1433. Posonio datæ erant. De utrisque sigilla pendebant civium Posoniensium, impressa ceris, quarum superficies erat coloris viridis, reliquum lutei. Ex illis, quæ 1433. confectæ sunt, sequentem accepi formulam „*und der sach sint ge-*
„*tzeugen, durch meiner fleissigen pet willen, die*
„*erbern und weisen Manner, Caspar Ventur ge-*
„*sworner purger, und Peter Praitendorffer mitpur-*
„*ger der Stat zu Prespurg, mit ihren anhangenden*
„*Insigelln, in und iren erben an schaden, der geben*
„*ist zu Prespurg am Samptztag noch Ostern.*" &c. Tab. V. Fig. 11.
Sigillum, quod Tabula exhibet, ad vitæ genus alludit, cui is, ad quem pertinebat, deditus fuerat, & quod ex falce duplici putatoria juxta se posita, sine opera quisque colliget. Epigraphe adjecta habet: *S. Peter Praitendorfer.*

Tantum de Sig. *civilibus;* sequuntur *ecclesiastica.*

§. 148.

Literas Pontificum Romanorum, materiamque sigillorum quibus munitæ sunt, jam supra attigi; hic mihi eorundem sigillorum variationes & epochæ, summatim attamen nonnisi indicandæ sunt. Celebrantur autem duo illorum genera, quæ aliquatenus nosse, studiosi rei diplomaticæ Hungaricæ interest. Sigilla Pontificum Rom.

I. *Bullæ Pontificum*, cum magis solemnes (Bullæ *consistoriales*), tum minus solemnes etiam seu minores (Brevia), quibus demum sæculo XV. annulus piscatoris in cera expressus substitutus est. Utriusque generis bullæ quoad inscriptiones reales literalesque, quæ in illis leguntur, quatuor distinguuntur epochis.

1.) An-

1.) Antiquiſſimis bullis Pontificum ad Leonem fere IX. ſæculi XI. Pontificem, (in re diplomatica Pontificum Rom. ob multa, quæ in eadem innovaverat, inprimis memorabilem) in parte antica Pontificis illius nomen, de cujus literis pendent; in poſtica vero ſolum *Papæ* vocabulum inſcripta obſervantur. Paulus equidem I. († 767.) primus etiam fuit, qui protomas Apoſtolorum Petri & Pauli bullis intulit, attamen ad Leonem IX. ſucceſſorum nullus, eundem hac in re imitatus eſt.

2.) A Leone IX. usque ad Vrbanum II. i. e. ab anno 1049 — 1087. bullarum inſcriptiones utriusque generis variant. Supereſt diploma Leonis IX. an. MXLIX. editum, cui appenſa eſt bulla plumbea, in altera parte ſiſtens BB. AA. Petri & Pauli capita limbis circumdata, & crucis longioris ſigno ſeparata, cum literis ſuperimpoſitis S. PA. S. PE. in altera vero inſcriptionem habens: LEO PP. Ejusdem Pontificis iterum bulla alia, anni MLII. more priſco, in adverſa parte exprimit nomen LEONIS cum nota numerali VIIII. averſa autem refert PAPAE titulum; in utraque tandem parte, omnes & ſingulæ literæ, liliorum floribus diſtinctæ ſunt. Neutra harum bullas inſcribendi ratio, perpetuo ſucceſſoribus placuit. Qui enim Leonem ſecutus eſt Victor II. in plumbi parte altera impreſſit, aut ſuam, aut, ut MABILLONIO videtur, S. Petri imaginem umbilicotenus, ita ut ſiniſtram extendat prehenſurus clavem a manu e nubibus porrectam, cum epigraphe: *Tu pro me navem liquiſti ſuſcipe clavem*: in altera vero exſtare voluit portam, & mœnia urbis Romæ, in cujus apice, AUREA

(i. e.

(i. e. princeps, præcipua) in limine vero, ROMA, ſcriptum eſt, cum epigraphe: VICTORIS *PP. II.* Ab hac, quam nunc deſcripſi, Bullæ Nicolai II. & Alexandri II. verbis duntaxat partis adverſæ differunt. In illius namque bullis ſcripturæ ſacræ dictum legitur: *Tibi Petre dabo claves regni coelorum;* in hujus vero verſus: *Quod nectis nectam, quod ſolvis Petre reſolvam*, expreſſus eſt.

3.) Ab Vrbano II. usque ad Clementem VI. (an. 1087 — 1342.) bullæ in adverſa parte exhibent protomas Apoſtolorum Petri & Pauli, cruce longiori ſeparatas; cum ſuprascripto lemmate S. PA. S. PE. in averſa autem Tab. V.
ſolum Pontificis nomen, ac titulum Papæ (PP.) Fig. 12.
cum nota numerali habent.

4.) A Clemente demum VI. ſeu ab anno 1342. Bullæ eodem quidem modo, quo prius inſcriptæ ſunt, at inſignibus nonnunquam Pontificum gentilitiis conſpicuæ. Sed neque hoc prætermittendum eſſe ratus ſum, ſiglas nominibus Apoſtolorum ſignificandis, quæ prius linea recta jacebant, a Sixto inde IV. pendere ſibi impoſitas (SS PP AE) vocalibus A. & E. ſub Clemente XI. ſubinde penitus omiſſis.

II. *Annulus Piſcatoris* Brevibus, ſuppoſita cera rubra, quam membranula cordiformi cooperiunt, & quam filum craſſius ſuperne ambit, in medio circiter extremi marginis, quem Heraldi ſiniſtrum dicunt, tergo apprimitur. Adeſt in eo ſola PETRI effigies piſcantis habitu, cum nomine & titulo regnantis PAPAE in perigraphe. Clemens IV. (inauguratus 25. Febr. 1265.)

illo in ſuis ſecretis, quas e. c. ad conſanguineos dabat, quasque ſubinde emblemate ſuo gentilitio Pontifices obſignarunt adhucque obſignant, uſus eſt, qui ſæculo XV. in locum *bullarum minorum* ſucceſſit, brevibusque addi cœpit pontificiis. (*N. Lehrgebäude der Dipl.* T. VI. §. 180.) In Archivis caduci hujus ſigilli rara exempla ſunt, parumque ſi quæ adſint perſpicua. Cum etiam æri inciſus annulus piſcatorius admodum raro ſit obvius, eundem accuratiſſime adumbratum, in fronte hujus libri lectorum oculis ſubjicere volui. Eſt autem exemplum hoc deſumtum e prototypo, quod brevi adhæret Pontificis PII VI. ad Primatem Regni Hung. JOSEPHUM Com. BATTHYANI († 1799.) „ datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo „ Piſcatoris die 17. Januarii MDCCXCV. Pontificatus noſtri anno vigeſimo. “ Solet iſte annulus Pontifici recens inaugurato offerri, a Senatu populoque romano, non modico æſtimatus pretio. Mortuo vero Pontifice, eum in minutiſſima fruſta confringunt, ac penitus abolent. Idem cum bullæ parte altera fieri, cui nomen Pontificis vita defuncti inſcriptum fuerat, jam obſervatum eſt.

*) Cur in bullis Pontificum Pauli imago ad dextram, & Petri ad ſiniſtram collocata ſit, auctores, pro diverſitate confeſſionis cui addicti ſunt, varie interpretantur. Cf. MABILLON. l. c. p. 130. & HEINECCIUS l. c. p. 145.

**) Fallitur, qui Brevia a brevitate ita dicta eſſe putat. Longitudine enim ſua ſæpe bullas ſuperant, longiſſimis ſaltem nihilo breviora ſunt. Præter ſigilla, temporis notatio, & aliæ quædam adhuc ſolemnes ſunt formulæ, quibus utræque literarum ſpecies a ſe invicem differunt.

***) *Bullæ*

***) *Bullæ motus proprii*, a ſæc. XVI. inde non- infrequentes, ſigillis prorſus carent, quibus ſignatura, Pontificis manu, interdum in fronte, ſæpisſime in calce literarum facta, formulaque voluntatis declaratoria conſtans, e. c. *placet, motu proprio*, & *ita mandamus; fiat ut petitur; fiat motu proprio; placet & ita mandamus*, cet. ſufficit. Vidi hujusmodi bullam Clementis VII. omni temporis nota deſtitutam, quam bullæ hujusmodi mox cum bullis proprie talibus communem habent, mox vero prorſus omittunt.

§. 149.

Epiſcopos & Archiepiſcopos Hungariæ ſæc. XI. & XII. ſuis fuiſſe gaviſos ſigillis, caret dubio. (§. 102. not. c.) Fuerint illa initio annularia tantum, donec Epiſcopi, ad imitationem Regum, illorum areis ſuas quoque intulerunt imagines, dignitatis ſuæ ſacræ ſymbolis, mitra, pedo, interdum etiam Evangelii libro decoratas. Sigilla hujusmodi, *pontificalia* in diplomatibus paſſim appellantur *a*), quod annularia etiam ſeu minora, præter majora iſta, Epiſcopis nunquam non in uſu fuerint. Vulgaris illorum forma parabolica eſt, utrinque cuſpidata; quæ, cum Epiſcopi in illis ſtantes utplurimum, (rarius ſedentes) manu dextra ad benedicendum ſublata exhibeantur, orbiculari ſpecie omnino aptior videri debuit. Exeunte tandem ſæc. XIV. magis autem ſæc. XV. decurrente, diſparuerunt e ſigillis Epiſcoporum imagines, occupantibus harum locum, modo ſanctis Eccleſiæ cathedralis patronis, ſubjectis Epiſcopi inſignibus gentilitiis; modo ſolis teſſeris nobilitaribus, ita tamen, ut, quemadmodum alibi, ita etiam in Hungaria, cauſa diſcriminis, dignitatis ſacræ inſignia (*diſcernacula*

Sigilla Archiepiscoporum & Epiſcoporum Hungariæ.

 Heral-

Heraldi vocant) scuto adjuncta sint *b*). Contrasigilla Episcoporum Hung. nulla vidi.

a) In literis Joannis Archiepiscopi Strig. 1418. hanc observavi formulam sphragisticam: „ præsentes „ concessimus, *annularis* sigilli nostri, quo de præ„ sente propter *pontificalis* carentiam utimur. " Item in literis fundationis Præposituræ B. M. V. in Ecclesia Agriensi, Petri de Rozgon Episcopi Agriensis anni 1430. „ in cujus rei memoriam —— li„ teras nostras privilegialiter confectas, propter „ *carentiam sigilli nostri pontificalis*, nostro *annulari*, „ & fratrum nostrorum de Capitulo sigillis, feci„ mus impendenti communiri. "

b) Exempla sigillorum episcopalium Hung. in ll. cc. §. 120. Not. * incisa æri intueberis.

§. 150.

Sigilla Capitulorum Hungariæ.

Vetustius sigillum capitulare Hungaricum nullum mihi adhuc occurrit illo, quod PÉTERFI in fronte l. c. exhibuit, literis anni 1121. idem adtribuens. Sæculo ergo saltem XII. Capitula Hung. sigilla sibi jam habuerunt propria, eaque, quod diplomatum testimonio certum est *a*), publica fide digna, atque authentica. Voluit autem in plerorumque Capitulorum sigillis, sanctos illorum tutelares exprimi pia antiquitas, inprimis B. V. Mariam. Sigillum majus Archicapituli Strigoniensis, (nam minora etiam Capitulorum sigilla occurrunt,) Regem stantem sistit, cujus capiti Archiepiscopus S. diadema defert. Ceræ Capituli Zagrabiensis, fundatoris augustam referunt effigiem. Ecclesia collegiata Posoniensis, olim a S. Salvatore dicta, (nunc S. Martino sacra) insigne gerit, in quo Salvatoris mundi imago, super apices templi, geminas inter turres posita, atque benedictionem spargens est conspicua. In

Tab. V. Fig. 1.

ceris

ceris Capituli Ecclesiæ Scepusiensis S. Martino dicata, equo fertur sanctus Turonensium Præsul, Pannonia ortus, partemque chlamydis stipem roganti ense resecat. Ante faciem stella. Inscriptio circumposita habet: *S. Capituli Ecclesiæ B. Martini de Scepus*. Longum esset hic omnium sigillorum capitularium historiam, e codice Legum & Regum privilegiis contexere; icones plerorumque omnium libri §. 120. recensiti exhibent.

a) In literis Capituli Quinqueecclesiensis autographis anni 1191. (SPIESS *Archiv. Nebenarbeiten* P. I. p. 142.) divisio patrimonii exponitur inter Comitem Butk & Julam filios Simonis de Guklos (Suklos); cui Petrum Canonicum rogatum interfuisse narrant, cujusque de re transacta, post suum ad Capitulum reditum, facta relatio, literis inscribebatur, roboratis *sigilli capitularis munimine.*

§. 151.

Sigilla Abbatum & Conventuum.

Præter Ecclesias cathedrales & collegiatas, Conventibus adhuc non paucis (nec tamen omnibus) pars aliqua Archivi regni Nobilium, non ita pridem adhuc, apud nos erat concredita. Gaudebat ergo etiam Conventus sacer hujusmodi sigillo authentico, sibi a Regibus concesso, quod ab illo, quo Præpositi & Abbates (addi possunt etiam Abbatissæ) utebantur, diversum fuerat. In Conventuum sigillis plerumque divi tutelares, vel ædificia ecclesiarum expressa sunt. Sigillum Conventus S. Adriani de Szala igitur S. Adrianum, Conventus S. Crucis Leleszìensis, patriarchalem crucem præsefert. In Abbatum ceris, ad instar episcopalium parabolicis, plerumque istorum effigies expressæ sunt, ad sacra facienda, vel ad benedictionem spargendam,

compoſitæ. Exemplum, cujus prototypon in cera viridi luteæ ſuperfuſa expreſſum, a charta quam muniverat jam avulſum, coram me habeo, & quod hic ſequitur, e CAR. PÉTERFI (qui illi annum 1264. aſſignavit) *Conciliis Regni Hung.* P. I. pag. 192. huc tralatum eſt.



*) In ectypo hoc, quod PÉTERFI fieri olim curavit, imago diligenter, negligentius literarum characteres expreſſi ſunt. In cera ipſa DIZLAI. ABBIS. RTINI. SAC. MONT. PAN IE diſerte legitur.

**) Ordinibus ſacris PP. Benedictinorum, Præmonſtratenſium & Ciſtercitarum per Joſephum II. ſublatis, dum hæc autem deſcriberentur, pietate & clementia FRANCISCI Regis (Decreto d. 30. Martii 1802. Nro. 7716.) in integrum reſtitutis, ſine dubio jus ſigilli authentici etiam, quo antea plerique illorum Conventus ſacri gaviſi erant, reſtituetur iterum.

CAPUT V.

DE INSTITUTO ET SIGNIS NOTARIORUM ÆVI INFERIORIS.

§. 152.

De ſignis calamo factis Notariorum ſeu Cancellariorum ævi antiquioris, quibus in calce inſtrumentorum ſubſcriptionem nominum ſuorum terminabant, explicatu, ob notas tironicas quibus perplexa ſunt, ſæpe longe difficillimis, quorum uſus in Gallia & Germania antiquiſſimus, ſæc. X. inconſtans eſſe cœpit *a*); in Hungaria vero Regum Notariis, quo nomine Cancellarii & Vice-Cancellarii aliquando intelligebantur, nunquam placuit, non arbitrabar hic loci longius diſſerendum eſſe. *Recentiorum* potius *Notariorum* ratio & inſtitutum paucis declaranda ſunt, quod iſti etiam in Hungaria aliquando non fuerint incogniti. Signa Notariorum veterum.

a) De Notariorum ævi veteris ſignis, quæ *recognitionis* appellant, conſule CHR. GATTERERI *Elementa* A. D. p. 149. & *ſeqq*.

§. 153.

Sunt vero inſtituta Notariorum ævi inferioris, e ſæc. XII. & XIII. repetenda: quo quidem tempore, opinione ſæculi, Pontifex Romanus cum Romanorum Imperatore diviſum habebant orbis imperium; neque alia inter Imperatorem & Reges reliquos ſtatuebatur ratio, quam illa fuit, quæ inter Pontificem Romanum, & reliquos orbis chriſtiani Prælatos interceſſerat. Pro poteſtate hac adeo late patente, Pontifices & Imperatores Rom. *Notarios* etiam *publi-* De Notariis ævi inferioris.

cos creabant, quibus in illis, quæ ſenſibus ſuis ſe percepiſſe teſtabantur, publica fides tribuebatur, inter omnes fere chriſtianos populos, donec invaleſcente Regum chriſtianorum auctoritate, uſus Notariorum hujusmodi, ab aliis penitus abolitus, ab aliis ſaltem circumſcriptus eſt. In Anglia Eduardus II. an. 1320. Notariorum cæſareorum uſum prohibuit, dominioque mundi interceſſit cæſareo *a*): in Gallia eadem conſuetudo, ſingulari Caroli VIII. Regis edicto an. 1490. abrogata eſt. In Hungariam tandem, quamvis hoc genus hominum jam ſæc. XIII. immigraverit, *Notariique auctoritate apoſtolica*, vel *ſacra & imperiali* ſimul creati, præcipue ſub Regibus ex Italia in Hungariam traductis, ſub Sigismundo vero Imperatore & Rege, ejusque ſucceſſoribus, ſola *imperiali* utplurimum *auctoritate* conſtituti, in inſtrumentis domeſticis compareant *b*): non tamen vel numero ſuo graves, vel agendi ratione ſibi ſolemni Hungaris multum moleſti eſſe debuerunt; cum tabellionum iſtorum in WERBOECZII *Jure tripartito* nulla exſtet memoria, nec Regum Decreta illos commemorent, niſi verba Decr. Sigism. 2. art. 3. (an. 1405.) illis applicemus „ decrevimus inſuper, quod nullus publicus Notarius, in cauſis, quæ inter duos laicos vertuntur, ſive coram judice eccleſiaſtico, ſive ſeculari procurare audeat, vel ullatenus advocare; ſed tantum in foro ſpirituali, ſeu vicariorum curiis locum habeat. " Sine dubio auctoritas *locorum credibilium* in Hungaria, nec non *Notariorum perſonalis præſentiæ regiæ c*), quos hodie *juratos Tabulæ regiæ judiciariæ Notarios* appellamus, incremento illius inſtituti per-

permultum obſtitit: quod a Maximiliano I. anno 1512. in ordinem redactum *d*), quamvis adhuc usque, in Germania præcipue, tandem in Italia ſuperſit, arctis attamen limitibus auctoritas ejus ubique circumſepta eſt *e*). Immo quod multi in ordinem iſtum, potiſſimum per Comites Palatinos, tum Curiæ Romanæ tum S. R. Imperii, adlecti fuerint, quos procul abinde eſſe oportuiſſet *f*), non potuit non fieri, quin Notariorum iſtorum nomen & inſtitutum vileſcerent paſſim, atque tantum non in contemtum abirent.

a) ST. PÜTTER *Specimen juris publici medii ævi.* Göttingæ 1784. p. 88.

b) Elenchum illorum e libris impreſſis congerere nuper incepit Cl. MICH. SZVORÉNYI in *Hiſtoriæ eccles. Regni Hung. amœnitatibus.* Faſc. I. Jaurini 1795. 8. p. 49. *ſeqq.*

c) Ita paſſim appellantur in literis ævi veteris, e. c. Matthiæ Corvini 1479. ad Capitulum Nitrienſe datis.

d) *Kaiſer* MAXIMIL. I. *Ordnung zu Unterrichtung der offenen Notarien — zu Cölln aufgericht* anno 1512. Conſtitutio iſta Cæſarea ſæpe typis vulgata, iterum repetita exſtat in opere: *Anweiſung zur Abfaſſung rechtlicher Aufſätze I. Theil. Leipzig* 1786. 8. p. 72. & *ſeqq.*

e) Edicto Joſephi II. d. 1. Jan. 1782. auctoritas Notariorum apoſtolicorum & Protonotariorum in provinciis Monarchiæ Auſtr. ſublata eſt.

f) WOLFG. LAZIUS († 1565.) in *Comment. reip. rom.* Lib. XII. Sect. I. cap. 3. ſuo tempore lapicidas ac pannorum tonſores, homines illiteratos, Notarios fuiſſe creatos acerbe queſtus eſt. Poteſt enim Notariatus apoſtolicus dari quibuscunque, etiam non nobilibus, non graduatis, neque conſtitutis in aliqua dignitate; contra *Protonotariatus apoſtolicus* non confertur cuipiam, niſi ſit nobilis, aut graduatus in aliqua ſcientia, aut conſtitutus in dignitate aliqua eccleſiaſtica. Taxa hujus in Curia Rom. ſunt 24. ſcuta, illius 14. & 50. Bajoci. Conf. LA CROIX *Theol. mor.* Lib. VI. P. III. Nro. 931.

§. 154.

§. 154.

Signa Notariorum recentiorum.

Firmabant recentiores isti Notarii, rejecto plerumque omni alio sigillo, solo *signeto*, ut vocant, *Notariatus*, instrumenta quævis publica. Signetum exprimebant vel typario atramento tincto, vel calamo seu penna. Præter nomen suum, quod in areola inscribebant, quæ signeto (cujus figura arbitraria fuit) ad id vacua plerumque subjecta est, sententiæ etiam interdum inscriptæ observantur, e. c. *Super omnia virtus; pace quid est melius; semper fertilis*, & harum similes, quæ sæpe numero ad emblema alludunt, cui subscriptæ sunt. Vid. GOEBEL de *Notariis*, in BARINGII *Clave dipl.* p. 197. Antiquissimum Notariatus signetum, quod quidem vulgatum adhuc usque est, illud anni 1236. esse perhibent, quod apud MURATORIUM in *Antiquit. Ital.* Tom. VI. p. 9. & 12. delineatum est. Hoc ego aliquanto vidi vetustius, in JO. LUCII *Memorie istoriche* &c. Lib. III. p. 66. quo loco auctor epilogum instrumenti anno 1206. confecti, una cum signeto exhibet. Tenor subscriptionis est: „ & ego Magister Tre-„ guanus adhuc Tragurii Notarius, prædictæ „ venditioni testimonium perhibui, & rogante „ memorata D. Cath. præsens instrumentum „ scripsi, & *consueti signi* munimine roboravi.“ Signetum rude, clavæ figuram referens, in tabula intueberis. Aliud, quod itidem in Tabula subjicio Notariatus signetum, prius æri vel ligno incisum, deinde expressum in chartæ frustulo singulari, instrumento anni 1671. agglutinatum est. Sententiam includit: *per spinas ad rosas*, ejusdemque Notarii (Joannis Caroli de

Tab. V. Fig. 13.

Tab. V. Fig. 14.

de Giorgio, utriusque juris Doct. Notarii publici Cæsarei) sigillum cereum adjunctum sibi adhuc habet.

CAPUT VI.

SYMBOLICA DIPLOMATICA.

§. 155.

Prisca ætas rituum & signorum solemnium inprimis amans erat, quorum copia nunquam non occurrit inter homines rudes simplicesque, qui agere, resque effectui dare, quam loqui scribereque malunt *a*). Etiam antiquitas romana rituum & signorum hujusmodi, a majoribus acceptorum, bene dives fuit; inter quæ, ut de nobis loquar, annulum pronubum, claves urbium captarum victori oblatas, doctorum pileos, & alia retuleris. Similia, sed numero multo majore, mirifice placuerunt ævo quoque intermedio, quod quidem, ut unum ceremoniarum genus, quod debeo, commemorem, in rerum qualiumcunque possessionem admittebat neminem, nisi id factum esset cum ritibus solemnibus, adhibitis symbolis, seu imaginibus, quæ cum re vendita, donata cet. cognationis aliquid haberent. Hoc *investire* dicebant; signa vero dominium adeunti reddita, *Investituræ* vocabant *Symbola*. Investiebant autem, ut aliqua exempla adferam, per *alapam*, per *annulum*, per *annulum* & *baculum*, per *cespitem*, per *coronam*, per *osculum*, per *librum*, per *calicem* & *patinam*, per *stipulas*, per *pilos barbæ*, per *chirothecam*, cet. *b*) Symbolorum deinde alia diplomatibus assuebantur: ut stipulæ & chirothecæ, Origo & notio symbolorum investituræ.

thecæ, nec non pili barbæ, qui ceris interdum immixti ſunt, annulique, quos literis, quibus Eccleſiæ dos conſtituebatur, appendere paſſim moris erat *c*); alia in templis cuſtodienda deponebantur; pleraque temporum edacitas, & hominum incuria perdidit.

a) Ratio ſubſcribendi ſuperius declarata, jurisjurandi, & quod inde conſequens erat perjuriorum frequentia, certamina ſingularia ſeu duella, teſtium deinde multitudo, & ipſa rerum traditarum ſymbola, conſectaria erant ignorantiæ literarum, morisque priſci, contrahendi ſine literarum teſtimoniis, (notitiis) qui apud Gallos in donationibus privatorum ad ſæc. usque XII. viguit. *N. Lehrgeb. der Diplomatik*, Tom. III. §. 113-14. Tom. VI. §. 726. MABILLON l. c. p. 232.

b) DUFRESNE *Gloſſarium med. latinitatis* voc. *inveſtitura.* conf. *N. Lehrgeb. der Diplom. VI.* §. 739-52.

c) *N. Lehrgeb. der Dipl.* Tom. VIII. §. 139.

§. 156.

Inveſtituræ Symbola in Hungaria.

In Hungaria, Regni Corona conſtanter, pro Symbolo traditæ acceptæque dignitatis regiæ fuit habita. Vexilla, quæ Regi inaugurando inter ſolemnia coronationis præferuntur, provincias ad Regnum Hungariæ pertinentes adumbrare, notum eſt. Inveſtiebant porro olim Reges noſtri, exemplo Regum antiquorum Germaniæ, Epiſcopos annulo & pedo; Epiſcopi vero Præpoſitos, mox per immiſſionem annuli, mox, quod Parochis fere proprium erat, per impoſitionem bireti. Sed hæc, quamvis ad intelligentiam diplomatum omnino pertineant, Diplomaticam tamen vix propius attinent, quam judicium ferri candentis, monomachiæ, & quæ univerſe verbo barbaro *ordalia* dicta ſunt. Neque ergo de ſolemnibus Symbolis, quibus hodie-

diedum Comes Saxonum Transilvanorum in provinciam introducitur. a), quidquam commemorare lubet, caputque hocce, quod leviter duntaxat attingendum erat, absolvo ingenua confessione, quod Symbola chartis sive adsuta, sive quomodocunque adjecta, nulla unquam repererim.

a) SCHLOEZER'S *Krit. Sammlungen zur Geschichte der Deutschen in Siebenbürgen III. Stück. S.* 574. 75. — Etiam Matthias Rex in dipl. an. 1465. Emericum Zápolya in perpetuum terræ Scepusiensis Comitem se creavisse dicit: „ *observatis illis omnibus cere-* „ *moniis, quæ in talibus observandæ sunt.* "

DIPLOMATICÆ

PARS III.

FORMULARIA

SEU

RHETORICA DIPLOMATICA.

§. 157.

Ad ultimam transeo Diplomaticæ partem, Formulariam seu *Rhetoricam diplomaticam*, quæ in diplomatum ævi medii argumentum inquirit, solemnes illorum formulas recenset & illustrat, dispositionemque & structuram eorundem resoluit & explicat. Hæc demum illa pars est artis diplomaticæ, quæ ad mores & instituta vete- Usus Formulariæ diplomaticæ.

veterum cognoscenda; ad juris cum gentium positivi, quod medio ævo vigebat, tum publici cujusque civitatis, nec non ecclesiastici, & municipalis præcepta eruderanda & illustranda; ad locupletandos annales, & delenda chronicorum commenta; ad detegenda principum familiarum præsepia, & describendum locorum (quorum nec vestigium nec vola sæpe superest) situm; ad delineandam provinciarum ævi veteris faciem; ad temporum denique rationes incundas, examinandas, & rite inter se comparandas cet. quam plurimum conducit: atque adeo, reliquas Diplomaticæ partes utilitate sua longe superat. Pleraque, immo omnia diplomata controversa, e formulariæ legibus falsi & accusata & convicta sunt; sufficiente interdum una & singulari diplomatis sententia verbove, ad demonstrandos natales hujus spurios. Famosissimum Lindaviensis cœnobii diploma, quod Ludovicum pium Imperatorem, auctorem sui mentitur, HERM. CONRINGIUS vir incomparabilis, atque Germaniæ doctæ aliquando decus, († 1681.) destitutus adhuc MABILLONII, BESSELII, Auctorumque novi operis diplomatici lucubrationibus, argumentis ex hac potissimum Diplomaticæ parte depromtis, & aggressus est, & suppositionis convicit *a*). Exempla tabularum, (copiæ) quarum primam scripturam, vel quod interiit, vel quod sexcentis cancellis occlusa custoditur, frustra desideramus, formulariam Diplomaticæ partem solam, nunc vindicem exspectant, nunc ultricem metuunt. — Ceterum nemo non videt, præcognita historica, inprimis juris & consuetudinum, quæ ævo illo obtinuerunt, necessaria artis diplomaticæ, non scho-

ſcholis tantum ſed & vitæ uſuique accommodandæ, eſſe præſidia; quibus deſtituti turpiter ignorent neceſſe eſt, ecquid tandem e venerandis illis antiquitatis reliquiis, ſive Hiſtoria omnis, ſive jus univerſum lucis ac incrementi fœnerari poſſint. Sed nec diſcrimen veri falſique in vetuſtis membranis videre illi poterunt, quibus Hiſtoria lux veritatis deeſt, jurisque veteris nulla prorſus ineſt cognitio.

a) Vel fama, notiſſima cuilibet eſſe debet, ingenio & doctrina refertiſſima HERM. CONRINGII *Cenſura diplomatis, quod Ludovico Imp. fert acceptum cœnobium Lindavienſe.* Helmſtadii 1672. 4. recuſa in OO. ejus omnibus, Tomo II. Brunsvigæ 1730. fol.

§. 158.

Oratio in diplom. inculta & horrida.

Horum omnium perpetuo meminiſſe oportebit illum, qui vel difficultates aliquando ſentiet, quibus univerſe artis dipl. ſtudium laborat, vel qui in verbis præcipue & oratione rudis ævi, omnia illa cum tædio deſiderabit, quæ aliquando in veteris Latii Auctoribus cum voluptate legit, & exemplo omnium ſæculorum admiratus eſt. Lingua ætatis mediæ, ut ſupra demonſtravi, diplomatica, latina fuit, ſed barbariſmis, & ſolœciſmis, quos Grammatici vocant, ſupra fidem inquinata. Exempla certe vocabulorum peregrinorum, & ſyntaxeos anomalæ, & flexionis ſiniſtræ, e chartis domeſticis excerpta, quæ inferius collegi a), talia ſunt, quæ ævum Ciceronum ignoravit, quorum autem in diplomatibus ea eſt frequentia, ut eis Gloſſaria integra, VOSSIUS, SPEELMANNUS, DUFRESNE, CARPENTIER, & alii cumulaverint b). Scilicet partim inopia linguæ

latinæ

latinæ ad res incognitas veteribus Romanis exprimendas; partim vero craſſa illius ignorantia fieri debuit, ut populi, jure victoriæ in hodiernis Europæ regnis conſidentes, gentis ſuæ vocabula latino canone & norma inflecterent copularentque *c*). Hinc ortæ ſunt voces illæ, quas in exemplis deſcripſi, & quæ maxima parte ſunt puræ putæ Hungaricæ, Germanicæ, Slavicæ. Repudiandum igitur eſſet diploma, ornatu haud opportuno, ſuoque ſæculo haud conveniente indutum; (quamvis verum ſit etiam rudi illo ævo monachum doctum præ indocto loqui ſcribereque potuiſſe minus barbare) etenim dubio caret, barbarismos & ſolœcismos pro veritate diplomatis ævi barbari ſeu intermedii, militare adeo, ut quo plures numero occurrunt, eo major fides inſtrumento (ceteris paribus) adhibenda ſit. Scatent ſolœcismis bullæ adeo ſummorum Pontificum (MURATORI *Ant. Ital.* III. 130.) In foris Hungariæ autem, & paſſim etiam in vita communi, ſiquidem eadem lingua latina, quam ſcilicet Leges & diplomata ævi intermedii loquuntur (*Huſſaren Latein* inepte & petulanter nonnullis dicta) ad præſens usque tempus in uſu eſt; non certe oleum & operam ille perdiderit, qui Grammaticam & Dictionarium dialecti iſtius, nobis adhucdum & diplomaticæ & vulgaris, adhibita induſtria, e fontibus domeſticis & accommodate ad rem diplomaticam Hungaricam, elucubrari non gravabitur *d*).

a) *Striga*, *argentum finum*, *birſagium*, *banderium*, *Jobagiones*, *cybriones* (*Zuber*), *Thana* ſive *Tharya*, *Zuani Salis*, *Piſetum* ($\frac{1}{45}$ marcæ), *Spanatus* ſeu *Knezatus*, *Sculteтia*, *Udvarnici*, *Timinus* ſeu *Tuminus*

nus ſalis, *Scaramantia* (*Scharmützel*) *bravium*, *marturinæ* & *ſubmarturinæ*, *expreſſanter* (in ſpecie), *bladum*, *quitta*, *pagare*, *trewga*, *Tavernicus*, *dicare*, *puſcarius*, *regraciare* (beneficium rependere), *mercantiæ*, *maniloquium* (conventus magiſtratus) *garletæ tritici*, *Czottkæ de galea dependentes*, *Vajvoda*, *pauſare*, *Rutheni* pro cuſtodibus, *Drabantii* (pedites ſtipendiarii), *ſinceriter*, *angariâ*, *Kuruczones*, *Nevaquiſtica*, *Patvaria*, *robota*, *valentia* (pro valore) *ferto*, *fatiga*, *aviſare*, *incaminare*, *ſolemniſare*, *coramiſare*, *invadiare*, *pigritare*, *inimicari*, *boltha* (fornix), &c. &c. Bartphenſes 1491. inſurgere juſſi ſunt „ cum *bombardis* duabus, ac *Hwſſhnicza* 6. & *Tharaczk* tribus, ac cum pulveribus ac „ lapidibus ad præmiſſa *ingenia* (tormenta) ſufficien- „ tibus, item peditibus 200. bene expeditis " — Exempla ſolœcismorum ſunto: *certa pecuniarum ſumma valde ſumus neceſſarii*; *adduxit nobis*, pro narrando retulit; *reſpondeat*, *ut ſciamus nos ad quid tenere*; *familia optime ſtat* (bene valet); *a modo in* „ *antea*; ſi hæc (latiſundia) adire non poſſent, „ *ex tunc nos*, *ex nunc prout ex tunc*, & *ex tunc* „ *prout ex nunc*, quasdam — poſſeſſiones decrevi- „ mus pignori obligandas; " *pridem Comes* Temeſienſis i. e. emeritus; *rogamus Fidelitates veſtras*, *eisdem nichilominus committimus*, *quatenus*. — Literæ illuſtris quondam (hoc eì axioma datum invenio) Giskræ, quæ copioſæ in archivis ſuperioris Hungariæ conſervantur, pleræque omnes, ob monſtra in verbis & dictionibus obſcuræ, ad modum Epiſtolarum obſcurorum virorum ſcriptæ ſunt.

b) Qui monumenta ævi intermedii tractat, illisque intelligendis & explicandis ſtudet, carere omnino non poteſt: *Gloſſario ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis*, auctore CAR. DUFRESNE, domino DU CANGE, cujus ego editione illa uſus ſum, quæ locupletior, opera & ſtudio Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congr. S. Mauri, Baſileæ 1762. III. Tomis, fol. prodiit. Ejusdem operis longe utiliſſimi, Theſaurique encomio longe digniſſimi Epitome, (*Gloſſarium manuale mediæ & infimæ Latinitatis*, *ex magnis operibus* CANGII, CARPENTARII, *aliorumque* —) Halæ 1772 — 84. VI. Voll. 8. expreſſa eſt.

c) Qui in viciſſitudines linguarum, inprimis latinæ, inquirit, cum voluptate & fructu leget relegetque prolixam CAROLI DUFRESNE præfationem ad Gloſſarium: *De cauſis corruptæ Latinitatis.*

d) Inter complura deſideria diplomatica, quæ JO. HEUMANNUS (*de re dipl. Imperatorum*, in præfat. ad Tom. II.) expoſuit, Idioticon hujusmodi gentilitium jure retuleris. DUFRESNE gentis ad quam ipſe pertinuerat, primam & præcipuam rationem habuit.

§. 159.

Diſpoſitio Diplomatum.

Quotquot concipi poſſunt orationum genera, tot etiam diplomatum poſſunt eſſe formæ, niſi quod *epiſtolaris* ſit omnibus, quæ occurrunt, frequentior. Argumentum princeps ſeu thema, chartis omnibus (exceptis pariclis) ſingulare & diverſum ineſt: quæ ad hoc exornandum, & confirmandum congeruntur, pluribus, inprimis ævi æqualis, ſunt communia. Cave enim exiſtimes, Notarios ſeu Cancellarios novas omni quaque occaſione operoſe excogitaviſſe atque elaboraviſſe formulas, quas potius cum in promtu, & præſcriptas ſibi haberent, argumento diplomatis dato accommodare, fuit facile *a*). Collectiones hujusmodi exemplorum ſeu formularum veterum, qualis e. c. eſt MARCULPHI, monachi ſæculi VII. vulgarunt BIGNONIUS, SIRMONDUS, GARNERIUS, BALUZIUS, BOUQUETUS, alii. Conf. *N. Lehrgeb. der Diplomatik.* Tom. VI. §. 635. & *ſeqq.*

a) Indoles ſoli Arvenſis cuilibet aliunde nota eſt. Hujus caſtrum cum univerſis oppidis & poſſeſſionibus, Rudolphus II. Georgio Thurzo pro fidelibus ſervitiis & 25216. Flor. & 25. Denar. ſumma, anno 1595. denuo inſcripſit, ſeu contulit, „ cum cunctis utilitatibus & pertinentiis, nimirum terris „ arabilibus, cultis & incultis, agris, pratis,

„ paſcuis,

„ pascuis, campis, fœnetis, silvis, nemoribus, valli-„ bus, *vineis vinearumque promontoriis*, & *eorum* „ *locis*, nec non teloniis " *cet.* Hoc, ad demonstrandam scribarum in describendis formulis perpetuis solertiam, credo sufficit. Ceterum risum teneat qui potest, chartam Præpositi & Conventus Osterhovensis, stylo ligato, inter *Monumenta Boica* Tom. XII. p. 372. inspiciens:

In libro scriptum monstratur Machabeorum,
 Quod pro defunctis sit res exorare salubris.
Quod bene Reinoldus vir prudens premeditatus, &c.
 Ergo quod intacta maneant quæ sunt recitata,
Presentem cartam precepimus inde notatam
 Ecclesiæ nostre bulla, nostraque serata.

§. 160.

Qui *Syntagmata dictandi* ad nos transmisit auctor anonymus sæculi XI. vel XII. diplomatum imperialium & regiorum sui temporis, ita depinxit habitum *a*): Forma Diplom. ex Syntagm. dictandi.

Præcepta, inquit, *vel mundiburdia magnatum & sæcularium potestatum sunt solum. Proprie autem Regum vel Principum præcepta, signum certum non habent in exordiis, sed quod facere scriptoribus collibuerit, vel crucem, vel chrismon, vel literam quamlibet circumdatam serpentibus in hunc modum — vel quodlibet aliud, quod voluerint. Solet autem prima linea præceptorum longis & æqualibus literis figurari, initium autem præceptorum hujusmodi est: In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Heynricus gratia Dei imperator Augustus. Post illum prologum inducitur quasi persona Imperatoris loquentis, reddentisque caussam, qua inductus illud voluerit præceptum statuere, dicens: Regiæ dignitati competere, ut talium virorum, a quibus ipse rogatus est, non debeat contemnere preces, vel quam voluerit facere illius eden-*

di præcepti, vel mundiburdii, juſtam cauſſam inſinuans. Poſt hæc, quod ipſe, loco illi, vel homini, ſua auctoritate concedat, vel roboret, erit illud ſubinferendum. In fine vero præcepti illud erit locandum, ut quicunque contra illius præcepti decretionem fecerit, mille auri optimi libras, vel quodlibet aliud pretium, quod inſtituerit Imperator ſe perſoluturum cognoſcat, medietatem Regiæ Cameræ, & medietatem loco, vel homini illi, cui illud præceptum conſcribitur. Poſt hæc, quod Imperator propria manu ſubſcripſerit, & proprio ſigillo ſigillari juſſerit, erit adjiciendum. Poſt completum præceptum, monogramma eſt ponendum, in quo nomen Imperatoris Auguſti Dei Gratia habetur connexum, vel alia quælibet, quæ Imperatorem condeceant. Ex utraque autem monogrammatis parte, longioribus & æqualibus literis ſcriptum erit: ſignum domini illius Imperatoris Sereniſſimi, vel Auguſti, vel aliud quodlibet hujusmodi. Poſt monogramma prolixioribus & paribus literis ſcribitur: Heynricus, vel A. Cancellarius vice G. Vercellenſis Epiſcopi recognovi iſtud factum. In ultima cartæ linea, quoto anno a Domini incarnatione, & quota indictione, & quo Regni vel Imperii illius Imperatoris anno, & quo loco, literis erit communibus conſcribendum.

a) Vulgavit ex eodem fragmentum hoc cum aliis quibusdam MABILLONIUS l. c. p. 618. 19.

§. 161.

Formulariæ Capita.

Ad diplomata Regni cujusque, ea, quæ ex anonymo auctore de ſtructura illorum attuli, applicare haud erit difficile, dummodo generis tabularum, quod ille deſcribit, & ætatis, qua illum vixiſſe eſt veriſimile, memor fueris. Ut hacte-

hactenus vero, ita posthæc quoque diplomatum domesticorum præcipuam rationem habiturus, disseram primum de *formulis exordii*, subinde de *formulis textus*, tandem de *formulis conclusionis*, seu *epilogi*.

*) *Formulæ solennes Styli, in Cancellaria Curiaque Regum, foris minoribus, et locis credibilibus authenticisque olim usitati, quas edidit* MART. GE. KOVACHICH, Pestini 1799. 4. cum fructu hac Sectione artis diplomaticæ consuli poterunt. Congestæ illæ sunt ævo Ludovici I. & Matthiæ I. Hungariæ Regum, in lucem vero a V. Cl. protractæ, ad imitationem illorum, quorum nomina §. 159. celebravi.

CAPUT I.

DE FORMULIS EXORDII.

§. 162.

Poetas & Oratores antiquitatis cum græcæ tum romanæ, carmina & orationes suas invocationibus Deorum Dearumque, sæpe ornatissimis atque splendidissimis, fuisse exorsos, illi tantum ignorare possunt, quibus vel Homeri ingenium, & Lucretii doctrinam aliquando experiri, vel delicias degustare, quibus Georgica Virgilii diffluunt, non licuit esse tam felicibus. *Quod Deus bonum, felix, faustumque esse jubeat*, commune fere omnium orationum, quibus Livius suos historiarum libros distinxit & exornavit, est exordium, quos *cum bonis ominibus, votisque & precationibus Deorum Dearumque* auspicatus erat, *ut incoepto tanti operis successus prosperos darent*. Nec Hebræi quidquam sine solemni precationis formula, in *Nomine Dei*, in *Nomine Dei creatoris*, & similibus aggressi

Invocatio Dei, seu auspicii formulæ.

greſſi ſunt, a quibus formula *in nomine* — hebraice ſonans, ad Chriſtianos derivata eſt. Omitto piæ hujus conſuetudinis prioribus continuo poſt Chr. N. ſæculis hiſtoriam, nec aliarum gentium tabulas commemoro, qui domeſticis potiſſimum intentus ſum. — In Hungaria a S. Stephano inde, ad ſæculum XIII, ſeu Belam IV. diplomata regia plerumque, nec conſtanter tamen, auſpicii formulas præmittunt: *In nomine Dei ſummi, vel ſupremi; in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; in nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis; in nomine ſanctæ, vel ſanctiſſimæ, Trinitatis & individuæ Unitatis cet. a).* Poſt ſæculum XIII. in diplomatibus Regum noſtrorum, invocatio Numinis divini, e more ſæculi illius, omiſſa eſt, quæ in Tabulis SS. & OO. regni, (DOGIEL I. 38. 41. 54.) nec non Notariorum publicorum inſtrumentis, in teſtamentis item, & literis piarum præſertim fundationum, retenta fuit longius, paſſimque adhucusque retinetur. Communiter pacis & fœderum tabulis, quas reges & populi chriſtiani inter ſe conficiunt, invocatio SS. Trinitatis ceu poſtliminii jure hodie præponitur *b*), quæ nuper admodum omitti cœpit iterum, in literis Romanorum Pontificum autem ævi medii rariſſime eſt adhibita *c*).

a) Conf. KOLLER, (*Hiſt. Epiſc. Q. E.* P. I. p. 62. P. II. p. 119. 130.) PRAY, & KATONA. Privilegium S. Ladislai (textus *Ladislauus* habet) pro aſceterio BB. in S. Monte P. notarius hoc rythmo literis longioribus deſcripto, procurrente ad extremum usque marginem primæ lineæ auſpicatus eſt: *Divinum firmet Nomen quod ſcripſimus amen.*

b) WENCK *Corpus juris gentium recentiſſimi* Tom. I. Lipſ. 1782. Tom. III. 1795. — De MARTENS Recueil

Recueil des principeaux Traités — conclus par les Puissances de l' Europe, depuis 1761. Tome I. à Gottingue 1791. Tom. IV. & V. 1795. 8.

c) *N. Lehrgeb. der Diplomatik*, T. VII. §. 518.

§. 163.

Altera prologi formula *Nomen & titulum Regis*, vel alius, cujus auctoritate instrumentum confectum erat, continet. Et ex frequenti quidem usu nominum *Stephani*, *Ladislai* & *Belæ*, (quod Hungari pro Adalberto habent), nec non *Elisabethæ*, haud quidem præpostere colligitur, quæ fuerit primorum, qui istis nominibus insigniti erant, apud successores & posteros, sitque ad præsens usque tempus, æstimatio, horumque erga illos pietas *a*). Observatur autem primis duobus Hungariæ sæculis, pronomen *Ego* nominibus Regum sæpius præmissum, ita ut Reges in reliquo etiam diplomatum contextu, singulari numero de se locuti sint *b*): quamquam exempla instrumentorum illius ævi non desint, in quorum exordio, ut postea sæpissime factum esse constat, Reges pronomine utriusque numeri prorsus abstinent, atque in reliqua orationis serie, non singulari, sed multitudinis potius numero, de se ipsis verba faciunt *c*). Pronomen *Nos*, quod majestaticum nuncupamus, ante nomen titulumque Regis in literis Belæ IV. primum, sed rarius occurrit; cujus exemplum successores subinde imitati sunt, nec tamen omnes & perpetuo. In literis Episcoporum, Conventuum (e. c. *Nos Præpositus & Conventus*, vel si nullus esset Præpositus, *Nos Conventus*) & Communitatum maturius, quam in Regum præceptis reperiisse mihi illud videor, quorum ita loqui intererat, quod placita

Nomen cum titulo.

 cita

cita ſua, cum conſenſu & conſilio aliorum ederent. Quid ſi univerſe hæc eadem origo eſt pluralis majeſtatici, etiam in Regum & principum privilegiis & literis?

a) Bela II. & Geyſa II. ſi apographis, quæ paſſim apud ſcriptores domeſticos recentiores recenſentur, fides habenda eſt, ſe primi, numero, ab anteceſſoribus ſuis regiis *ejusdem nominis* diſtinxerunt. In literis Belæ II. apud NIC. SCHMITTH (*Epiſcopi Agrienſes* P. I. p. 63.) hic legitur introitus: „ In nomine S. Trinitatis, & individuæ Unitatis, regnante Domino noſtro Jeſu Chriſto, anno autem glorioſiſſimæ incarnationis ejus milleſimo, centeſimo trigeſimo octavo — — regnante „ vero ſereniſſimo, & victorioſiſſimo Rege *Bela ſecundo*, *bonæ memoriæ Almi Ducis filio*, — — idem Bela Rex piiſſimus cet. Ibidem p. 68. 69. „ In nomine — manifeſtum ſit — quod *ego Geyſa* „ *ſecundus*, *ſecundi Belæ Regis filius*, divina diſpo„ ſitione ſceptra paterni regni jure hereditario „ obtinens cet. & alibi: — — quod ego *Geyſa* „ *ſecundus*, Hungarorum Rex, *piiſſimi Belæ Regis* „ *filius* — — *quod* (privilegium) *nos Bela tertius*, „ *ſecundi Geyſſe Regis filius* diligentius intuentes cet. Si numerus nomini non eſſet adjectus, diſcriminis cauſſa ſaltem patrem quo nati erant appellabant e. c. Steph. III. in literis anni 1166. apud KOLLER I. p. 213. poſt invocationem SS. Trinitatis — — quod „ Ego Stephanus Dei gratia Hung. Dalm. Croat. Rameque Rex, *filius victorioſiſſimi Regis Geche* (Geyſæ) — — conceſſi, cet. In ſigillis Regum noſtrorum a Bela III. ad ſæc. XIV. usque, (§. 125.) eorundem geneſis multo diligentius, quam literarum introitu expreſſa eſt.

b) Colomannus privilegium anno 1108. Traguriensibus conceſſum ita auſpicatur: *Ego* Colomannus Rex Ungarie, Croatie, atque Dalmatie *juro* ſuper ſanctam crucem, — confirmans illud Stephanus II. ait: Et *ego* Stephanus Colomanni Regis filius, Rex Hungariæ — eandem libertatem, & pacem *confirmo*, *& corroboro*. — — In literis anni 1143. *Ego* Geyſa Rex Hungarie — — *juro* — — *mihi* quoque & *meis* ſucceſſoribus — — *Ego* Stephanus

(IV.) inſpirante divina gratia — Vid. KERCHELICH in *Hiſtoria Eccleſiæ Zagrabienſis* p. 76.

c) Privilegium Colomanni Regis Eccleſiæ Arbenſi anno MCXI. conceſſum, quod FARLATUS in *Illyrico ſacro* Tom. III. p. 1666. ex autographo deſcripſit, Regis nomini præmiſſum pronomen *Ego* refert, quamvis in contextu reliquo Colomannus in plurali numero loqui maluerit. Utriusque pronominis præpoſitione S. Stephanus, Andreas I. Bela III. Emericus, Andreas II. & plerumque Bela etiam IV. abſtinent; in medio vero literarum ut plurimum plurali numero ſui mentionem faciunt.

*) Plura reperiuntur Palatinorum, Judicum Curiæ &c. ſæc. XIII. & XIV. literæ *anonymæ*, quæ nullo nomine præmiſſo incipiunt: *Damus pro memoria* cet. Sigillum ſcilicet, nominis & ſubſcriptionis loco erat.

§. 164.

Inter nomen regis & titulum, formula interjacet *Dei gratia.* Ex oriente hæc in occidentem tranſiit, ubi inter Reges & principes, Pipino, ut videtur, primum percommoda viſa eſt, ad ſpeciem imperii honeſti, quod iniquitate partum erat, induendam. Hunc & ſui ſucceſſores, & alii Reges atque Imperatores ſecuti ſunt; in chartis adhæc Epiſcoporum, Præpoſitorum, Abbatum, & Abbatiſſarum, nec non Comitum & Baronum, frequens formulæ, a prima origine pietatis erga Deum indicis, fit mentio. At enimvero, quod cultui divino tributum erat ab initio, mature vanitati & arrogantiæ hominum ceſſit; donec tandem ſæculo XV. Majeſtatis, & dependentiæ a ſolo Deo, exiſteret elogium. Quare quod alicubi in diplomate anni 1254. (pie vel arroganter? neſcio) ſcriptum legas: Johannes *Dei gratia* advocatus in Alſtede (ECKHARD l. c. p. 119.) Carolus VII. & Ludovicus XI. Galliæ Reges, digni-

Formula Dei gratia.

dignitatis & majeſtatis ſuæ memores, diplomatibus & edictis Ducum Burgundiæ & Britanniæ inſcribi paſſi non ſunt. *N. Lehrgeb. der Dipl.* Tom. VI. §. 630.

§. 165.

Uſus ejus in chartis Hung.

Hungariæ Reges diplomatibus ſuis, exemplo ſuo illis præeunte S. Stephano, *Dei gratiam* continuo præmiſerunt, niſi quod vulgarem formulam, inprimis priorum ſæculorum Reges, plerumque cum alia aliqua valente idem commutaverint, e. c. *Stephanus divina clementia*; *Andreas Dei annuente clementia*; *Geyſa ſecundus divina gratia*, cet. — Epiſcopi Hungariæ ad noſtra usque tempora, in ſuis tabulis *Dei gratiam* (miſerationem divinam) colunt, quam formulam Prælati reliqui a ſæc. XV. inde negligunt. Superſunt autem tales etiam Epiſcoporum Hung. præcipue e ſæc. XIV. literæ ſat magno numero, in quibus poſt Dei, Rom. Pontificis quoque gratiam collaudarunt, (*Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus*) inducti ad id, cum reliquis orbis catholici Prælatis *c.* 2. *de Præbend. in* 6. ut proinde exemplo prorſus ſingulari, Stephanus circa an. 1227. Zagrab. Epiſcopus, *ſolius* Dei gratia ſe talem in ſigillo ſuo prædicaverit. (PÉTERFI *in Conc. R. Hung.* P. I. p. 168.) A regni Baronibus & Magnatibus multo rarius eſt adhibita formula Dei gratiam commemorans *a*), quod argumento fortaſſis eſſe poſſet, maturius quam vulgo putatur, priſco formulæ ſignificatu derelicto, eam cum formula, ad ſpeciem pietatis plena, conjunctam fuiſſe poteſtatem, quam fere nobis cum eadem connectere, hodie ſolemne eſt.

a) Exem-

a) Exempla e paucis quæ ſuppetunt ſunto: *Walferus Dei & prædicti Regis* (Geyſæ II.) *gratia Comes* in loco inhabitato Quyzin 1157. — *Dionyſius D. gratia Palatinus* 1228. — *Andreas Dei gratia Comes Poſonienſis; Paulus Dei gratia S. R. I. Princeps de Eſzterházi.*

§. 166.

Formulam *Dei gratia* ſequitur *Titulus*, qui in Regum Hungariæ literis continuo augebatur, creſcente provinciarum ad S. Coronam pertinentium, vel aliunde acquiſitarum numero. (§. 134.) Commemorantur autem ſtylo vetere *Reges Francorum* & *Ungarorum*, cum in diplomatibus tum annalibus illius temporis, quo Hungaria regni formam induit; Galliæque Reges exeunte non niſi jam ſæc. XII. derelicto hominum, quibus regendis præerant, nomine, *Franciæ* quam *Francorum Reges* appellari voluerunt potius. Ad eundem modum S. Stephanus in diplomatibus, quæ e. c. Monaſteriis S. Martini, Péchuaradienſi, S. Adriani de Szala, & S. Mauritii de Bakony Bél largitus eſt, ſe *Ungarorum Regem* appellat; in aliis vero e. c. Quinqueeccleſienſi Epiſcopatui conceſſo, derelicta nomenclatione antiqua, haud ſcio an ſatis accommodate ad illud ævum, niſi id ſcribarum errore factum eſſe putemus, *Hungariæ Regem* ſeſe nuncupat. Andreas I. *Pannoniorum Regis invicti* titulum ſibi tribuit. Alternant *Rex* (*H*) *Ungarorum* cum *Rege* (*H*) *Ungariæ Croatiæ Dalmatiæ* (Ramæque? *a*) in Colomanni regis privilegiis; nec poſt hujus ætatem *Regis* (*H*) *Ungarorum* titulus, teſtantibus id literis Regum ſæc. XII. (e. c. Geyſæ II. 1158. *b*) & XIII. (e. c. Stephani V. 1263. *c*) quamvis Hun- Titulus.

gariæ

gariæ nomen continuo frequentius jam occurrat, prorſus neglectus eſt.

a) *Rama* inter titulos Colomanni ſemel duntaxat exſtat, in privilegio Eccleſiæ Spalatenſi conceſſo 1103. Scribarum oſcitantia illam huc non irrepſiſſe evicit KATONA *Hiſt. crit.* Tom. III. p. 174. contra LUCIUM & alios. Id mirum eſt, ſubinde exulaſſe illam ad Belam usque II. e Regum Hung. titulis.

b) KATONA l. c. Tom. III. p. 683.

c) „ Stephanus D. gr. *Rex Ungarorum junior*, Dux „ Tranſſilvanus, Dominus Chomanorum " KATONA l. c. T. VI. 27. 374.

§. 167.

Titulorum Regum Hung. incrementum. Bela cœcus (dipl. 1135. KATONA III. 493.) *Hungariæ*, *Croatiæ*, *Dalmatiæ*, *Ramæque* (i. e. Bosniæ a) regem ſe profeſſus eſt. *Galaciæ* (i. e. Galliciæ) regnum jam Belæ III. identidem ab aliis in titulorum recenſione attributum eſt b); *Bulgariæ* (quam poſtea Stephanus V. & Ladislaus IV. conſtantius Bela IVto retinuerunt) & *Serviæ* (an. 1203.) in titulis Emerici Regis prima leguntur veſtigia; *Lodomeria* ſub Andrea II. (1206.) poſt *Serviam* (ſive Raſciam) & *Galliciam* in titulorum ordine collocata eſt. *Cumaniam* Bela IV. addidit, etiam *Stiriæ* Ducatus ſub Bela IV. & Stephano V. provinciarum ad Hungariam pertinentium ſeriem ingreſſus eſt. *Tranſilvania* Hungarorum & Hungariæ Regis titulo in literis ævi medii contenta eſt. A Matthia Corvino *Sileſia* etiam cum *Luſatia* inter provincias ad Coronam Regni Hungariæ pertinentes, ac proinde etiam inter titulos regios, relatæ ſunt. *Sclavoniæ* vero Regni titulus vix ante Ferd. I. reliquis intercalatus eſt c). — Quæ tandem unione, ut loquuntur, *perſonali* tan-

tantum Hungariæ regno vel olim junctæ erant, vel nunc conjunctæ ſunt provinciæ, initio ſæc. XIV. Arpadi hærede maſculo nullo amplius ſuperſtite, Principibusque exteris Hungariæ ſceptra obtinentibus, titulis regiis inſcribi cœptæ ſunt. Carolus Robertus certe, in ſexcentis quæ ſuperſunt diplomatibus, enarratis omnibus priorum Hung. Regum titulis, hunc aliunde ſibi proprium ſubjunxit: *Princeps Salernitanus & Honoris d) Montis S. Angeli Dominus.* Eadem axiomata omnia etiam Ludovicus I. & Maria Regina retinuerunt, niſi quod ille in titulorum cenſu, aliquamdiu (1348 — 51.) continuo poſt Hungariam etiam regna *Hieruſalem* & *Siciliæ e)*, *Poloniæ* vero regnum ab aditu illius 17. Nov. 1370. perpetuo commemoraverit. Longa titulorum Sigismundi Regis fuit ſeries; varietatis ratio, ex hiſtoria Germaniæ & Bohemiæ repetenda eſt. *Auſtriæ* in Alberti Regis titulis fit prima mentio. Sub Ferdinando I. tandem, & hujus ſucceſſoribus e domo Auſtriaca, numerus titulorum Regis Hungariæ, in eam excrevit magnitudinem, ut illos omnes, in chartis non niſi maxime ſolennibus repeti videas. Id ceterum quisque animadvertet, ſublime Regni nomen & titulos, ætate intermedia ſæpe attributos fuiſſe provinciis etiam minoribus, obnoxiis jure clientelari majoribus regnis, & vere talibus; ut adeo nomine & ſtylo ævi medii duntaxat e. c. Normannia & Britannia minor regna fuerint. In Annalibus ejusdem ævi, Hiſpaniæ, Angliæ & Galliæ Reges, interdum *Imperatores* ſalutantur, quod ſcilicet pluribus regnis i. e. provinciis (Ducatibus, Comitatibus) dominati ſint, quarum comple-

plexus Hispaniam, Angliam, Galliam constituerat *f*). Fuisset ergo Ludovicus I. Rex Hungariæ, respectu isto, *Imperatoris Hungariæ* titulo longe dignissimus; sed neque in *Regni Transilvaniæ* aut *Croatiæ* titulis amplius adhærebimus.

a) „ Boznense regnum, quod & Ramam vocamus " THUROCZ. *Chronica Hungaror.* P. IV. cap. LXV.

b) FARLATI *Illyr. sacr.* Tom. IV. p. 12. — LUCIUS L. III. c. XII. conf. KATONA l. c. IV. 344. 370.

c) In vulgaribus Corporis juris Hung. editionibus, rex Wladislaus II. Decreto regni 1492. Sclavoniæ regis titulum sibi attribuit; unde Wlad. II. Sclavoniæ regnum titulis regiis intulisse fuit creditum. Abest autem illa, loco dicto, in editione Decretorum R. H. principe anni 1584. Etiam in aliis, quos eapropter in Bibliotheca Reg. Universitatis Hung. consului, codicibus MSS. nec non Decretis & Diplomatibus Wladislai II. reliquis desideratur illa eadem; ut proinde Decreto illo, ad vindicandum Wladislao II. Sclavoniæ Regis titulum, nemo jam posthæc uti possit amplius.

d) Queritur illustr. SCHLOEZERUS (*Krit. Samml. zur Gesch. der Deutschen in Siebenbürgen* Tom. III. p. 523.) verbi *Honoris* vim ac potestatem in epigrammate hoc, a nemine adhuc esse definitam. Ego provinciam, vel Comitatum, aut Dominium intelligi debere censeo, & hoc quidem, cum auctoritate diplomatum domesticorum, in quorum epilogis *Honores* pro Comitatibus innumeris vicibus usurpantur, tum Glossarii Cangiani, art. *Honor.* Sed nec particula *ac* inter *Honorem* & *montem* sæpe interjacens inanis est; Comitatum, qui *mons S. Angeli* vocatur, discernens a loco, qui Comitatui nomen indidit. Hodie mons, cui oppidum incumbit, *Gargani* nomine notus est.

e) „ Rex autem Ludovicus civitatem Neapolitanam „ intravit, ex tunc titulo regnorum Hungariæ, Hie- „ rusalem & Siciliæ utebatur. " Ita JOANNES Archidiaconus de KIKULLEW apud THUROTZ. P. III. c. XI. Tempus & occasionem, qua Ludovicus novos istos titulos dimisit, titulis duntaxat paternis,

nis, Principis videlicet Salernitani cet. contentus, KATONA exponit l. c. T. X. p. 19.

f) *N. Lehrgebäude der Diplomatik* Tom. VI. §. 543-46.

*) De titulis RR. Hung. periodi primæ & ſecundæ, vid. PRAY *Taurunum* (Belgradum) *auſpiciis Joſephi II. recuperatum*, carmen heroicum, notis hiſtoricis illuſtratum; PALMA *Diſſert. de peculiaribus Titulis & Inſignibus M. Thereſiæ*, Vien. 1774. inprimis ST. KATONA *Hiſtoria crit. Regum Hung. Stirpis Arpad. & mixtæ*, quam ad an. usque 1526. Tomulis XIX. complexus eſt.

§. 168.

Fuit aliquando tempus, quo nihil habebatur denominatione a religione & pietate accepta, pulchrius & illuſtrius. Hinc factum eſt, ut Regum ævi medii epitheta: *illuſtris, illuſtriſſimus, excellentiſſimus*, ceſſerint encomio *chriſtianiſſimi*, *orthodoxi*, *catholici*, cet. Id ſolum obſervari debet, ante ſæc. XV. nullum horum agnominum cuiquam Europæ Regum ſoli & perpetuo fuiſſe proprium. Certe laus *chriſtianiſſimi* ad ſæc. XV. plerisque Europæ, etiam Hungariæ *a*) Regibus communis erat, nec prius quam ante hos annos circiter tercentos ſolis Galliarum Regibus relicta eſt *b*). Arragoniæ rex Ferdinandus ob ſtudium religionis ferventius, ab Alexandro VI. pontifice, *catholicus* dictus eſt; & ſimile illius fuit Henrici VIII. regis Angliæ meritum, quod eidem bullam Leonis X. auream, & magnificum *defenſoris fidei* agnomen attulit. Etiam *orthodoxi*, quo Poloniæ reges aliquando gaudebant, titulus, ætate media late patuit; *apoſtolici* vero elogium, eodem illo tempore (de primis enim Eccleſiæ chriſtianæ ſeculis hic quæſtio nulla eſt) ad ſolos fere tantum Romanos Pontifices pertinuit; ut

Agnomina Regum.

ut adeo apoſtolici titulo, ſiquidem hunc Sylveſter Papa II. protoregi noſtro inſcripſit, nihil amplius perpetuitatis ineſſe cenſendum ſit, quam elogio *Signiferi eccleſiæ* inerat, quod Pontifex in Concilio Cardinalium Ludovico I. Regi, ob rem Eccleſiæ rom. cath. ſtrenue ab eodem defenſam attribuerat *c*). Sed neque inter diplomata Regum Hung. ſuperioris ævi ad Mariam Thereſiam, quodpiam adhuc usque inventum eſt, quod *Apoſtolici* encomium, ceu agnomen aliquod Regum Hung. perpetuum, eorum cuipiam adſcriberet. Clementi XIII. proinde *Apoſtolici* Regis titulus in acceptis referendus eſt *d*), qui S. Stephani ſtudium indefeſſum imbuendi Hungaros myſteriis fidei chriſtianæ, & ingentia illa jura, quæ Regi Hungariæ circa ſacra competunt, reſpicit; haudquaquam vero clientelarem illum nexum indigitat, quo Johannes olim rex Angliæ, ſine terra dictus, Romano præſuli obſtrictus, *Rex apoſtolicus* dictus fuerat *e*).

a) Johannis de Hunyad, in ejus literis an. 1444. hic erat titulus: „ Jo. de H. Vajv. Tranſ. Sic. „ Comes, nec non Comitatuum Zoln. & Temes „ Comes, ſupremusque Capitaneus armorum, & „ Dux militiæ *Chriſtianiſſimi Regis* Hungariæ" Exempla plura e ſeculis anterioribus coacervare, non eſſet difficile.

b) *N. Lehrg. der Diplom. VII.* §. 800. IX. §. 233.

c) KATONA l. c. Tom. X. p. 166.

d) Breve Clem. XIII. datum Romæ — — 19. Auguſti 1758. Mariæ Thereſiæ titulum illum deferens, vid. in KOLLARII *Hiſt. dipl. Juris Patronatus* — p. 65. 66.

e) „ Volens autem rex Joannes — hæc (chartam „ magnam) inviolabiliter obſervari, miſit ad Do„ minum Papam Innocentium, rogans conſtanter, „ ut huic piæ conceſſioni & confirmationi ſuæ fa„ vorem dignaretur exhibere, & eandem bullæ

„ muni-

„ munimine confirmare. Quæ, quia jam factus „ fuit *obsequens Papæ vasallus*, & *Rex apostolicus*; „ meruit quæ petiit citius impetrare sub hac for„ ma: Innocentius " cet. Vid. MATTHÆI PARIS *Historia major*. Londini, 1684. Fol. p. 220. ad an. 1215.

§. 169.

Interdum titulorum recensionem claudit formula *in perpetuum*, vel si alia construendi & interpungendi ratio placet, *rex in perpetuum*. Exempla domestica e sæc. XIII. bene multa sunt: Andreas D. G. Hung. Dalm. Cro. Ram. Serv. Gallic. Lodomeriæque Rex *in perpetuum*; Bela D. G. Hungariæ — — Cumaniæque Rex *in perpetuum*. E bullis rom. Pontificum solemnioribus (panchartis, consistorialibus) atque in longum tempus valituris (ad perpetuam rei memoriam) in quibus sæc. XI. XII. XIII. hæc clausula, tribus utplurimum literis coarctatis expressa, inscriptionem absolvebat (*salute & apostolica benedictione* rescriptis brevioribus & minoris momenti tantum, & quæ in præsens statim exsequenda erant, præmissa,) eandem in diplomata Regum nostrorum traductam esse non est dubium. An hic, eadem formulæ potestas sit, quæ in Pontificum bullis (MABILLON. l. c. p. 436. 622.) obtinet, quæri potest. Putabam ego aliquando illam alteri, Imperatoribus Rom. solemni, *semper Augustus*, substitutam esse, ac proinde formulas, ut loquuntur, esse identicas, exprimentes perpetuitatem honoris & dignitatis regiæ, nulli restaurationi, ceu alii honores ambulatorii ad tempus duntaxat aliquod, & conferentis arbitrium collati, obnoxiæ. Nec hoc temere. Ut enim nihil dicam de studio Regum Europæ imitandi Germaniæ

Rex in perpetuum.

Auguſtos, vique ac energia dictioni illi propria, atque de pretio, quo ſæc. XIII. honores perpetui apud Hungaros erant (Decr. Andreæ II. 1222. art. 16.): ſufficiat inſcriptionem duorum diplomatum (utrumque ad an. 1200. pertinet) Andreæ Ducis inter ſe contendere. Unius hæc eſt: Andreas D. gr. Dalmatiæ, Croatiæ, Chulmiæque *Dux in perpetuum;* alterius: Andreas Dalm. Croat. Chulmæque *Dux perpetuus* (KATONA l. c. IV. 592.) Quicunque demum formulæ ſenſus fuerit, omiſſa illa eſt e Regum Hung. ſæc. XIV. & ſequ. literis & privilegiis.

§. 170.

Intimatio. Titulos intimatio ſubſequitur. *Noſſe deſidero omnes homines & præſentes & poſteros, Ego Stephanus Dei gratia Rex Hung. ſublimis triumphatoris Geyſæ Regis filius,* — *Noverint omnes fideles noſtri, præſentes ſcilicet ac futuri, qualiter* — *Ad univerſorum tam præſentium quam futurorum notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod* — *Memoriæ commendamus tenore præſentium* — *cet.* Eadem aliquando verbis ſubſtantivis effertur: *Noverit omnium tam præſentium quam futurorum ſolertia, induſtria, ſagacitas.* Sæpe fit, enumeratis perſonarum, ad quas literæ dabantur, qualitatibus & conditionibus, e. c. *Fidelibus noſtris magnificis, Nicolao de Gara Regni noſtri Hungariæ Palatino, & Petro de Peren Judici Curiæ noſtræ, ſalutem & gratiam.* — Sigismundus: *Fideli noſtro ſincere dilecto nobili & egregio Stephano, filio quondam Magnifici Simonis de Rozgon Judicis Curiæ noſtræ, ſpeciali, familiari noſtræ Majeſtatis & continuo commenſali ſalutem & gratiam.* — *Fidelibus noſtris providis, Judi-*

Judicibus, *Juratis*, *ceterisque civibus cet.* Cum intimatione, ſaltem prioribus Hungariæ ſæculis, conjungebatur *Salutatio*, cujus formulæ non minus quam intimationis variant: *Omnibus tam præſentibus — ſalutem in omnium Salvatore — ſalutem in eo, qui eſt vera ſalus — ſalutem in filio Virginis glorioſæ — ſalutem in eo, qui Regibus dat ſalutem. — Buzad, quondam Banus, nunc frater Ord. Prædicatorum minimus*, (1234.) *ſalutem in Sion & gloriam in Jeruſalem.* Pontifices præ indignatione ſalutis formulam interdum omnem omiſerunt, interdum ſub conditione, *ſi obedieris*, eandem dictam eſſe voluerunt. (*N. Lehrg. der Dipl.* T. VII. §. 653.) Nicolaus III. Ladislao (Cumano) regi Ung. illuſtri, ſalutis loco, *Spiritum conſilii ſanioris*, apprecatus eſt.

§. 171.

Interdum ante, aliquando poſt intimationem, oratio elaboratior eſſe incipit, lectorque oratione ſæpe copioſa non minus quam variegata, ad lectionem thematis præparatur, & deducitur. Hujusmodi cauſæ ut plurimum moventis & impulſivæ indefinita declaratio, *prooemium* (Grammatici *locum communem* dicunt,) appellatur; quod brevitatis cauſa e diplomatibus interdum etiam omiſſum eſt *a*). Ut plurimum vero verbis ſesquipedalibus, & ſtudioſe quæſitis phaleratum, & per omnes argumentorum locos circumductum eſt. Fit, ut ſæpe ſenſum præ nimia ſublimitate vix adſequare, & ad figurarum ſplendorem, quibus oratio illinita eſt, cœcutias: ut iterum interdum ad hiatus verboſos & inanes, riſum vix contineas. Procemium.

Notariorum hoc erat artificium, qui hoc loco, pro ratione argumenti principis, mox de liberalitate Regibus digna, mox de Regni quæ e civium numero profluit felicitate, mox de virtutum, fidei præcipue erga principes & fortitudinis bellicæ, præmiis, & vitiorum monſtris, mox de eleemoſynarum fructibus, & opum hujus ſæculi caducitate, commentati ſunt. Sæpiſſime imbecillitatem memoriæ hominis, poſt lapſum primorum parentum deplorant, uſumque literarum & ſcripturæ docent ac deprædicant *b*).

a) e. c. „Nos Agnes (1290) Dei gratia Regina Hungariæ ſignificamus — univerſis — quod nos decimas frugum — — Epiſcopo Veſzprimienſi — debitas, ad ſuggeſtionem quorundam laicorum maleſuadentium, qui quaſi caupones aquam vino commiſcent, & virus Draconis in aureo calice propinant — — pro nobis recipi — feciſſemus: poſtmodum *&c.* — Nos Ludovicus (1361.) Dei gratia Rex Hung. memoriæ — univerſis: quod nos fideles cives & hoſpites noſtros Caſſenſes pietatis oculis conſpicientes, penſatis — — ſervitiorum præclariſſimis meritis — quæ iidem — — primum Domino Karolo regi — tempore — opportuno, quo ſcilicet funicula tentorii potentiæ dicti patris noſtri, nondum longe erant diſtenti — — & tandem noſtræ Majeſtati exhibuerunt — — hujusmodi libertatis — prærogativa — — decrevimus decorandos, quod —

b) Juvabit dicta exemplis quibusdam illuſtrare. Stephanus V. celebratiſſimum privilegium Saxonibus Scepuſienſibus anno 1271. conceſſum, ita exorditur: *regiæ ſublimitatis immenſitas, cujus eſt in ſubjectorum opulentia, & populi multitudine gloriari, ſolet ſuorum formam libertatis ſubditorum, & ſolutionum, ac ſervitiorum meritum, ſive modum, miſericorditer moderari, ut populis certa lege fruentibus eorum numerus augeatur. Proinde cet.* Andreas II. diploma, quo donationes priorum Regum Eccleſiæ Quinqueeccleſienſi confirmavit, ita ingreſſus eſt:

In

In nomine — Andreas — quoniam plasmatis mundialis caduca condicio primitiva, ex ipsa protoplasti jactura, labem contraxit realiter in posteritatis universe dispendium prorogatam, ut radicalis inficio corruptele, quatenus elumpmat, & consumpmit nature virtutem humane — sub motu perpetuo decursantem, eatenus tabescant hominum opera manuum, (et) cum tempore delitescant, quadam nisi innovationis redivive solercia restaurata, successivi temporis ad memoriam perhempnentur scripture scemate seu figura, hinc est. — Vid. KOLLER l. c. II. p. 87. Aliud exemplum ex ejusdem regis literis anni 1212. exscribo: *Andreas — — Sancta, & salubris est devotio, Deo servientibus manum charitatis elargiri, de quibus pie confiditur, quod eorum orationibus assiduis, ira supremi judicis misericorditer flectitur, & coelestis aulæ janua clementer aperitur. Hinc est', quod nos pro remedio animæ nostræ.* — Perinde Notarius Belæ IV. in dipl. 1248. (WAGNER *Analecta Scep. I.* 303.) differit: *Eo salubrius de supernæ remunerationis præmiis cogitatur, quo tremendæ poenæ, & afflictionis periculum, quæ in finali futura est examine, vehementius formidatur.* — Sophista autem fuerit oportet Kesmarkensium Notarius, qui anni 1348. instrumentum ita auspicatus est: *Cum omnia entia tendi habent ad esse primum; & cum homo sit rationalis creatura, & mediante ratione assimiletur entibus nobilissimis; porro quæ spectare videntur ad culmen & fulcimenta primi entis quod est nobilissimum; homo, qui est creatura infima, merito eadem quoque fulcimenta supplere tenetur, tamquam loco a minori. Nos ergo* — — Brevitatis, quam sectari debeo, causa, exemplis pluribus supersedeo. Illud vero procemium, quod notissimæ bullæ aureæ Caroli IV. Imp. an. 1356. præmissum est, pro extraordinario haberi debet, & prorsus singulari.

CAPUT II.

FORMULÆ TEXTUS.

§. 172.

Diplomatis Prologum, *argumenti principis* excipit expositio, ad quam transitus fit, rei quam Thema, & ejus formulæ.

quam prooemium tractabat, ad thema diplomatis primarium applicatione. *Proinde — Nos* (Bela IV. an. 1248.) *aeternorum intuitu, temporalia spiritualibus, transitoria perpetuis felici commercio commutare volentes, pro obtinendo quoque nobis ac animae felicis recordationis Colomanni quondam Regis, charissimi fratris nostri salutis aeternae remedio, quandam terram cet.—Nos* (Lad. IV. 1288.) *igitur volentes sudores ipsius bellicos linteo remunerationis abstergere cet.*—Sunt autem in hac diplomatis parte, ceu sede argumenti, ob quod diploma factum est, *primariae formulae* & magis solemnes probe secernendae *a secundariis* & minus solemnibus. Illae *thema* quod dicunt ipsum, seu propositionem principem, enunciant, & quidem verbis, tum, cum diploma ederetur, lege consuetudineve receptis, nec proinde arbitrio Notariorum temere immutandis; his contra accensebitur, quidquid praeterea ornatus vel eruditionis ostentandae causa tantum, ad argumentum diplomatis referendum haud necessario pertinens, profectum saepenumero a garrulitate & gustu male sano Notariorum, in contextu diplomatis est obvium.

§. 173.

Commune diplomatum argumentum.

Etsi diplomatum aevi intermedii argumentum varium sit & multiplex, pleraque tamen, quae ad nos usque pervenerunt Regum diplomata, donationes seu beneficia enarrant, quae iidem locis sacris, nobilibus, & urbibus oppidisque conferebant, & quae liberali manu profundebant saepius. Certe, si e donationum quae factae sunt tabulis, superioris aevi principum liberalitatem metiri velis, fuit illa nobis propemo-

 dum

dum incredibilis. (§. 6. not. g.) In militibus prædiorum rusticorum spe alebant virtutem bellicam, quorum egregia facinora bello paceque nunquam non regia liberalitate remunerati sunt *a*); ab urbibus & oppidis immunitatum spe mercabantur fidem: omnes vero, ac universi, principes privatique, a sacerdotibus preces, & futuræ vitæ felicitatem, pro opibus hujus sæculi caducis & instabilibus, sibi stipulati sunt *b*). Hæc est ratio, ob quam, ut in omnibus Europæ regnis, ita in Hungaria etiam, diplomatum ecclesiasticorum tantus censetur numerus; qui apud nos, saltem protographorum, multo major adhuc superesset, nisi, qui in annalibus & diplomatibus Hungariæ vocantur Tartari, Neugari, Hussitæ, Turcæ, & superiorum temporum discordiæ intestinæ, sacrilegas certatim manus tabulariis capitulorum, & ecclesiarum intulissent. Universe attamen ecclesiarum privilegia, præ reliquorum civium diplomatibus, experta sunt fortunam propitiam, unde & antiquissima, & comparatione rite habita, numero plurima, quæ nobis e medio ævo suppetunt, personas & res sacras attinent *c*).

a) En aliquot exempla præmiorum fidei & virtutis Hungaricæ, & liberalitatis vere regiæ! Korus filius Bod ob Regis Stephani II. *eliberationem ex unguibus ursi*, in cujus feros amplexus inter venandum infelix devenerat, terram Illwss (1130.) accepit. Ob simile beneficium Emerico regi venanti in *Maramorisio* præstitum, Laurentio cuidam comiti (1199.) ager ad quinque aratra sufficiens ad lacum Ferteu obtigit. — Bela IV. a Tartaris fugatus, filios Rugach nomine, terra Fay (1243.), magistrum Erne quatuor villis in Sclavonia (1251.), Andream vero filium Iwanka (Forgatsium) terra Ghymes (1256.) remuneratus est, quod *fugienti equos suos subdiderint*. — Agne-

ti nobili feminæ, quod Regis in Francia *nuncia exſtitit & relatrix*, a Stephano V. rege jun. 1269. villa T. data eſt. — Petro dicto Poharus 1351. caſtrum Szaploncha ceſſit, quod — — & Ludovicum Regem *tempore adoleſcentiæ ejus in ſuis humeris bajulaverit.* — Sigismundus Cæciliæ conjugi St. de Rozgon, ob *merita bellica* (digna vate Hungaro) 1435. complures poſſeſſiones contulit. — Wladislaus II. famulum BONFINII, quod *opus hujus hiſtoricum pro Regis Bibliotheca nitide deſcripſiſſet*, cum patre fratribusque in numerum nobilium cooptavit; Ferdinandus I. autem Joſepho Luka Quinqueeccleſienſi, qui Joannem Fridericum Electorem Saxoniæ ad Mühlbergam *virtute & agilitate ſua ceperat*, exſpectativam, ut loquuntur, 100. colonorum an. 1547. contulit. — Hæc, cum prolixior eſſe nolim, ſufficiant.

b) *Et ſane* — inquit MURATORIUS, ipſe ſacerdos — *injuſte non agam cum majoribus noſtris, ſi dixero, tum perſuaſionibus, tum terroribus, atque conſiliis egiſſe ejus temporis monachos, ut a piis hominibus, quæcunque poſſent, emungerent; adſerendo hoc ſolum omnium operum Deo gratiſſimum eſſe, ſæculo renunciare, & monaſticam induere veſtem. Quod ſi id minime adſequebantur, ſaltem perſuadebant, nullum eſſe melius inter eleemoſynarum virtutes, quam ſi de propriis ſubſtantiis in monaſterium concederetur.* Vid. MURATORII *Antiqu. Ital.* Tom. V. p. 630. Acerbius hæc tamen forſan quam deberent, de monachis prædicata ſunt. Annalium ſaltem O. S. Pauli P. E. teſtimonio (vid. *Fragmen Panis* cet. Auctore F. ANDREA EGGERER, Viennæ 1663. Fol. p. 132.) conſtat, F. Nicolaum, Vicarium dicti ordinis Generalem, dum videret Ludovicum I. cœnobium ſuum Noſtrenſe (Mariæ noſtræ) ultra præſcriptas religionis leges opibus cumulare, interceſſiſſe huic Regis liberalitati nimiæ, eundemque ne ultra benefaceret, per ſalutem ſuorum & profeſſæ paupertatis amorem obteſtatum eſſe.

c) Inter S. Stephani diplomata, quæ omnia Com. BATTHYANI in *LL. eccl.* evulgavit, & S. Ladislai quæ leguntur, nullum eſt laico, ut dicunt, conceſſum. conf. adhuc WERBEOCZ. *Tripart.* P. II. Tit. 14. §. 9.

§. 174.

§. 174.

Ad contextum diplomatum, qui summam argumenti tractat & complectitur, rite, secundum varias temporum periodos intelligendum & dijudicandum, necesse est, ut attendamus: 1.) ad personas, quæ illum ingressæ sunt, horumque nomina, dignitatumque & honorum titulos; ad usum proinde loquendi, quem eædem observaverunt, cum de se ipsis verba faciendo tum alios commemorando. 2.) Ut animum, advertamus ad rem, quæ *literarum auctoritate & testimonio mediante* alicui promissa, data, tradita, præcepta, judicumve sententia definita, vel de qua inter duo pluresque conventum, vel quomodocunque juris & obligationis aliquid contractum est. Exempla multiplicium istarum specierum, stylique, quo quovis sæculo ætatis mediæ concipiebantur, atque in formam diplomatis justi redigebantur, prostant, tum in collectionibus diplomatum quas jam superius (§. 15.) laudavi, tum apud illos, qui styli Cancellariæ illius ævi vulgarunt (§. 159—160.) specimina *a*).

Ad quid in textu inprimis attendendum.

a) Historiam juris prisci hæc omnia mirifice illustrant, ut vel exinde fiat evidens, Diplomaticam, cujus dotem & usum varium jam supra demonstravi, ad jureconsultos pertinere quam proxime. Qui majora & pleniora artis diplomaticæ systemata vulgant, ut in illas diplomatum species, ob varietatem objecti, quod tractant, varias, earundemque epochas, uberius & curatius commententur, necesse est. Pro instituti ratione, in hac brevi isagoge in rem diplomaticam, summatim duntaxat omnia attingi poterant; neque enim omnem Hungariæ antiquitatem, jurisque publici ac privati historiam vulgare constitui. Præcipuas ergo tantum instrumentorum aliquot formulas & species, quarum necessitatem ad intelligenda

da Diplomaticæ elementa jam olim perſpexi, etiam in hac editione libri altera, & quidem majori numero, delectuque meliore in appendice ſubjiciendas eſſe putavi, Hungariam reique ejus diplomaticæ ſtudioſos perpetuo reſpiciens. Qui pleniorem chreſtomathiam diplomaticam, Germaniæ præcipue accommodatam, conſulere geſtit, conſulat SCHOENEMANNI collectanea: *Codex für die praktiſche Diplomatik, I. Theil, Göttingen*, 1800. 8. cujus libri, nec non illius quem §. 22. celebravi partem alteram, extremum eheu! morientis (2. Maii 1802.) munus eſſe, dum philyra hæc typographo jamjam traderetur, triſtes accepimus.

§. 175.

Quibus verbis Reges in eodem ſui meminerunt.

Stylo vetere, libera republica Romana, *majeſtas* apud populum erat, amplitudinem & dignitatem civitatis romanæ ſignificans. Transferebatur illa ſubinde in principes, felicitate imperii publica id exigente, ut regnandi poteſtas penes unum eſſet. Recurrit autem majeſtatis titulus in chartis Regum, qui poſt occaſum Imperii Romani diviſum occidentem tenebant, rarius, nec ante dimidium ſæculi XII. in chartis domeſticis quæquam ejusdem obſervavi veſtigia *a*). Sæculo adeo XIII. & initio ſubſequentis uſus elogii iſtius oppido rarus erat, neque illa cum vi & poteſtate adhibitum fuiſſe videtur, quam ſubinde inter Europæ Reges accepit iterum, & adhucusque tenet. Commemorarunt quippe Reges illius ævi in diplomatibus quæ dabant, *celſitudinem regiam*, *regiam ſerenitatem*, *ſublimitatem regiam*, *regalem excellentiam*, *præeminentiam regalem*, *regiam pietatem*, *culminis regii conſpectum* — multo frequentius, quam Majeſtatis titulum, cujus valor hodiernus nec ſub Ludovico I. adhuc definitus erat *b*), quamvis & hic, & hujus

jus gener Sigismundus eundem ſibi jam ſæpius attribuerint. — Abhorrent autem a ſæculi noſtri moribus, permagnæ illæ laudes quibus ſe Principes ævi intermedii in ſuis literis interdum ipſi celebrarunt, vel potius a ſuis Notariis efferri paſſi ſunt. (*N. L. G.* VI. 539.) Etiam defunctorum, quotiescunque memoriam iſtorum, literarum argumentum poſtulabat, perpetuo cum laude mentio facta eſt; cui quidem piæ conſuetudini, formulæ ſerviebant: *illuſtris quondam Rex Hungariæ; felicis recordationis; piæ memoriæ;* & harum ſimiles *c*). Quantum autem titulorum uſus conſuetudini ſerviat, *illuſtris* titulo cognoſcas, quo Reges medii ævi, cum ipſi ſe in chartis compellabant, tum vero ab aliis, etiam ſubditis ſuis, celebrati ſunt. Ætate qua vivimus, *perilluſtris* adeo encomium ſignificantius, ſaltem in Hungaria parvi penditur.

a) Exſtant illa in privilegiis Geyſæ II. & Stephani III. ſed rariuſcule.

b) „ Nos Stephanus Dei gratia Dux terræ Scep. & „ de Saros — univerſis, quod ad *noſtræ* accedentes *Majeſtatis* præſentiam, exhibuerunt nobis „ quasdam literas *Excellentiſſimi principis Domini* „ *Ludovici* eadem gratia Regis Hungariæ, fratris „ noſtri cariſſimi " KAPRINAI MSS. B. Tom. X. Nro. 7.

c) Formula *beatæ*, *piæ*, *ſanctæ*, (malæ) cet. *memoriæ*, non tantum de mortuis olim dicta, ſed etiam ſuperſtitibus ac viventibus attributa eſt. *N. Lehrgeb. der Dipl.* Tom. VI. §. 540. conf. KATONA l. c. T. VIII. p. 326.

§. 176.

Eisdem fere encomiis, quæ nunc recitavi, etiam ab aliis exornati occurrunt Reges noſtri. Enimvero literæ quas vel ab aliis Regibus *a*), vel Quibus encomiis ab aliis commemorantur.

a ſuis Epiſcopis, Capitulis, Baronibus & Comitatibus accipiebant, ad ſæc. usque XV. perpetuo inſcriptæ ſunt: *Excellentiſſimo & illuſtri Regi — Illuſtriſſimo atque Excellentiſſimo — Excellentiſſimo & Magnifico — Sereniſſimo cet.* Legi Capituli cujusdam literas, in quibus Regi *excellentiſſimi b*), Duci vero a Rege conſtituto *ſereniſſimi* titulus attributus eſt. Utplurimum vero in hujusmodi literarum contextu, *regalis Excellentia & regalis Serenitas*, Regum compellationes alternant, donec utræque cedere debuerunt *Regiæ Majeſtatis* titulo. In bullis Pontificum, quas Regibus noſtris inſcribebant, communiter elogium hoc præmiſſum eſt: *Chariſſimo Filio N. illuſtri Regi Hungariæ.*

a) Epigraphe literarum Henrici Regis Angliæ ad Belam III. an. 1188. ſequens erat: „ Venerabili & „ Kariſſimo *fratri* Belæ, Dei gratia Hung. — — „ Regi, H. eadem gratia &c. — " Eduardi itidem Angliæ Regis ad Ludovicum I. an. 1346. „ Magni- „ fico Principi, Domino Ludovico, D. gr. Regi „ Hung. illuſtri, *conſanguineo* ſuo chariſſimo, Eduar- „ dus ead. gratia " &c. Ibidem in medio literarum *regiæ Nobilitatis & Excellentiæ*: hic *Serenitatis*, *Sublimitatis*, *Excellentiæ regiæ* occurrunt elogia. KATONA l. c. IV. 334. IX. 481. — Illud velut in tranſitu obſervo, *fratris* nomen, prout etiam *patris*, *ſororis*, *nepotis*, cet. ætate media (more hodieque apud Hungaros, dum vernacula loquuntur, retento) latius patuiſſe, neque tamen a Regibus ante ſæc. XV, cuipiam niſi ſanguinis nexu ſibi junctis, attributum fuiſſe. A ſæculo vero XV. inde, familiaris illa compellatio, a Regibus & principibus non tantum invicem data & accepta eſt, verum majoribus etiam honoribus & dignitatibus conſpicuis adſcribitur, e. c. Equitibus Ordinis aurei velleris.

b) Maria Thereſia anno 1758. *Excellentiſſimi* titulum olim Regibus & principibus, nunc apud nos intimis, ut vocantur, Status Conſiliariis proprium, ſimpli-

ſimplicitate ſuperiorum temporum medicis delatum, iisdem porro attribuere edicto publico vetuit.

§. 177.

Romanos veteres ad perſonarum confuſionem evitandam, ingenuos quosque, gentis nomine, & cognomine familiæ, ad quam quisque pertinebat, diſtinxiſſe, nemo ignorat. Laudabilis hæc conſuetudo, ſuccubuit juxta cum aliis, barbarorum, qui ſæc. V. & ſequentibus Imperium Rom. diripuerunt, moribus; quippe qui rudes ſimplicesque, ſimplici etiam & uno nomine contenti fuerant. Eadem Hungaris quoque, dum Pannoniam armis occupabant, commilitones a ſe invicem diſtinguendi ratio placuit. Aſpera vero & horrida illorum fuerunt, quæ ſibi indita gerebant nomina, & quæ, more Chriſtianis adhucusque ſolemni, ſenſim nonniſi, & ſero cum illis commutarunt, quæ aliquando a ſanctis Martyribus, aliisque Chriſticolis virtute illuſtribus uſurpata ſunt. Sed vel eapropter, *Ritum explorandæ veritatis, ſeu judicium ferri candentis, quo in dirimendis controverſiis gens Hungara olim utebatur*, libellum, juſſu & ſumtibus fratris Georgii, Epiſcopi Varadienſis, e ſacrarii eccleſiæ ſuæ monumentis compilatum, & Claudiopoli 1550. typis expreſſum, (recuſum in MATTHIÆ BELII *Apparatu a) ad Hiſtoriam Hungariæ*) inter præſtantiſſimos antiquitatum Hungaricarum theſauros poſt BELIUM refero, quod ſegetem veterrimorum nominum Hungaricorum recenſeat, ex qua argumentum capias, cum de gentis noſtræ, tum de linguæ, qua ſæculo XII. utebantur, indole *b*). Neque enim reformido fortia ac bellicoſa Ungrorum ſæcu-

Nomina & cognomina privatorum in diplomatibus.

ſæculi illius nomina: *Gugus*, *Hegud*, *Medue*, *Ombud*, *Cholnuk*, *Zamacziomut*, *Numicolohod* & ſexcenta alia horriſona, quæ inveſtiganti penitius antiquitatem gentis ſago nunquam non celeberrimæ, voluptatem potius adferunt vel maximam. Id ſolum doleas, cum in hoc antiquitatis monumento, tum in chartis ævo ejus paribus, rara adhuc cognominum, quibus familiæ ſe ab invicem diſtinxiſſent, exſtare veſtigia. Habuerunt ſcilicet Hungari, nobiliſſimæque eorum familiæ, cum aliis cultiſſimis Europæ populis, horumque Ducibus, Marchionibus, Comitibus, cet. id commune, ut ſæculis, quæ XIII. antecedunt, vel ſimplicibus nominibus ſe ab invicem ſecernerent, vel ex titulo alicujus miniſterii & officii, aut ex nomine patris (avique) addito (e. c. *Andreas filius Emerici*; *Joannes filius Joannis filii Henrici*,) ſe agnoſcerent. Cognomina pauciſſimarum familiarum hoc temporis intervallo, ſive in donationum contextu, ſive teſtium recenſione exponuntur; etſi ſæc. XI. cognominum tenue aliquod initium jam exſtitiſſe, eademque quovis ſubinde ſæculo latius uſurpata fuiſſe, ultro largiar. Sed nec ſæc. XIV. adeo hæc majorum oſcitantia prorſus deſiit *e*). Hæret ergo aqua viris in hoc artis genere vel exercitatiſſimis, dum principum, & clariſſimarum, quæ hodie per Europam florent, familiarum præſepia, in ſæculis XI. anterioribus exquirunt; cum vix tres quatuorve regias cenſeamus, in quarum tabulis natalibus conſtruendis, ad ætatem Caroli M. Imperatoris ſecure regredi, eſſet poſſibile.

a) Poſt doctiſſ. aliquando JO. TOMKA SZASZKI, qui l. c. primus rudus hoc antiquum ſuis notis explicare cona-

conatus est, permultum lucis ad juris Hung. antiquitates illustrandas exinde mutuatus est AD. FR. KOLLAR in *Historiæ jurisque publici Regni Ungariæ amoenitatibus*. Vol. I. II. Vindob. 1783. 8.

b) Eadem persona (quod utinam factum non fuisset!) interdum in chartis ævi medii sub pluribus nominibus recurrit. *N. Lehrg. der Dipl.* T. VI. §. 591. Conferri potest KATONA l. c. II. 189. 357. —, Optandum autem est magnopere, ut philologus aliquis nostras, in nomina illa simplicia (baptismalia) priscorum Hungarorum curatius inquirat, eadem cum latinis comparet, hacque ratione illorum valorem declaret. Verum est, non pauca sæc. XII. adhuc ex ethnicismo fuisse residua; sed etiam a Sanctis & martyribus christianis accepta multa, ita sunt decurtata, e. c. István pro Stephano; contorta, e. c. Deseu pro Desiderio; obsoletaque, e. c. Geysa, Bela cet. ut operæ sane pretium jure suo exspectare posset, qui onomasticon hujusmodi vetus Hungaricum plenius, & illustratum nobis procuraret.

c) Sæc. XIV. cognominum usum, necdum apud omnes Hung. proceres fuisse receptum, vel ex hac, quam describere lubet, diplomatis Ludovici Regis clausula (WAGNER *Anal. Scep. I.* 134.) luculenter apparet. Datum illud est per manus venerabilis in Christo Patris D. Nicolai Archiepisc. Colocens. — Anno Domini MCCCLVII. tertio Idus Febr. — Venerabilibus in Christo PP. & *DD. Nicolao Strigoniensi, & — Vgolino Spalat. Archiepiscopis; Nicolao Agriensi, Demetrio Varad. — Transsilvan. sede vacante, Nicolao Quinqueeccles. Joanne Vesprim. Colomanno Jaurin. Thoma Chanad. Stephano electo Zagrab. Michaële Vaciens. Petro Bosnensi, Fratribus Stephano Nitriensi, Thoma Syrm. Episcopis — Magnificis viris Nicolao Konth Palatino, Cikou M. Tavern. Andrea Vaivoda Transilv. Nicolao de Zéch Judice Curiæ, Nicolao Bano de Machou, Leustachio totius regni Sclavoniæ Banatum tenente, Leukus Dapifer. & Pincern. Dionysio Agason. Thoma Janitor. nostrorum Magistris, & Simone Filio Mauritii Comite Poson. aliisque, cet.* — Si tot nobilitatis primæ viri, hoc ævo cognomine adhuc destituti erant, quid mirum, si inferioris sortis homines eodem caruerunt multo adhuc longius? Episcopos Hungariæ & postea passim

adhuc

adhuc quam longiſſime, ſine familiæ qua orti eſſent cognomine recenſeri videas.

§. 178.

Abſentia cognominum genealogiam impeditam reddit; plerumque impoſſibilem.

Quæ cum ita ſint, credulitatem ævi præteriti admirari, vel turpe adulandi ſtudium illorum deteſtari debes, qui nonnullas principes nobileſque Europæ familias, vel a clariſſimis gentis romanæ heroibus longiſſimo ordine derivant; vel illorum auctores utero equi Trojani incluſos turpiter educunt; vel in tabulis Familiarum contexendis, ab Nimrodo exordium inſaniendi faciunt *a*). Enimvero fuit aliquando tempus, quo Galli Priamum Hectoremque, parentes Regum ſuorum pie collaudabant, Angli vero Æneam Juliumque pari pietate proſecuti ſunt. Aniciam Romanorum gentem, patriam alii tradebant antiquiſſimæ domus Habſpurgicæ; prouti Boruſſorum Fridericos, inter Colonnarum poſteros recenſuerunt alii. Fuerunt, qui antiquos Lithuaniæ Duces, a ſpuria Auguſti ſobole arroganter repetebant, & qui Marchiones Badenſes ſub auſpiciis Veſpaſiani, Hieroſolymorum urbem oppugnaſſe fabulati ſunt. Quæ de Czecho & Lecho Poloniæ Bohemiæque Ducum majoribus, in ſexcentis libris revolvuntur, apocrypha ſunt; etiam Wittekindi clariſſimi Saxonum ducis poſteritas incerta, quotidie magis imminuitur. Scilicet impoſuerunt ſibi aliisque talia hallucinantes, immemores illius, abſentia cognominum genealogiam impediri *b*), & niſi chartarum & annalium teſtimonio fidedigno liqueat, quibus majoribus Cajus ſatus ſit, laterculum hujus genealogicum haud eſſe poſſibilem. Non ſine

cauſa

causa igitur exsibilamus aniles illas fabulas, quibus ut gentium omnis ævi, ita familiarum quæ pridem jam effloruerunt incunabula, sæpe superstitiose involuta sunt; ridetque illustrissima Eszterhaziorum gens auctorem nugivendulum *Trophæi nobilissimæ ac antiquissimæ Domus Estorasianæ*, Viennæ 1700. Fol. splendide impressi, a quo inter majores illius Attila, Honorius Rom. & Opos Scytharum Imperatores, ante omnes vero Nimrodus allegantur; despicitque argumenta fictilia, & diplomata spuria, quibus infelix adulator stemmatographiam *Magnorum de genere Eszterház* obscurare potius, quam illustrare conatus est. Quasi vero gens a pluribus inde sæculis, pace belloque per omnem Europam clarissima, Chœrilo opus habuisset, qui Mæcenatem quæsiturus, eidem thura, & odores stulte incendere non erubuit. Neque Comites de Wodicha, Romano Ursinorum sanguine sati sunt; saltem ad hunc sanguinis nexum demonstrandum, frustra urgetur diploma Andreæ II. Regis anni 1218. quo illis throno insidens, stipatusque suis proceribus, dignitatem Liberorum Comitum contulit, propaginisque enarravit seriem. Diploma ex LÜNIGIO (*deutsches Reichsarchiv*) desumtum, denuo vulgavit RR. KOLLER l. c. Tom. I. p. 350—4.

a) Legas ea velim, quæ de furore præteriti ævi origines principum familiarum reducendi ad heroas ætatis romanæ & græcæ & fabulosæ usque, immo ad Deos adeo commemorant, CHR. LUD. SCHEIDIUS in præf. ad *Origines Guelficas*. Tom. I. Hannov. 1750. fol. nec non KOCHIUS in præfat. præmissa operi elaboratissimo: *Tables genealogiques des maisons souverains de l' Europe*, Strasburg 1780.

Conf. MART. SCHVARTNER *Diss. de gente Croviaca*, Pest. 1791. 8.

b) „ Ein einziges diplomatisches Axiom — inquit GATTERER *Abriss der Genealogie*, Göttingen 1788. p. „ 36. — schlägt alle bisherige Fabeln, allen genea- „ logischen Wahn und Unsinn, die von Ahnenstolz, „ Unwissenheit, und Schmeichelei erzeugt worden „ sind, auf einmal zu Boden: *Ueber tausend Jahre* „ *lang seit Christi Geburt gab's noch keine Familien-* „ *Nahmen.*"

§. 179.

Unde cognomina imposita.

Perinde cum Germanis igitur Hungariæ quoque nobiles, sæc. XII. & XIII. cognomina adsciverunt, sibi a castellis & locis, quorum possessores erant, indita. Hæc interdum accessione novi castri, sæpissime vero divisione patrimonii inter fratres facta, diversimode immutata sunt *a*). Sunt multæ etiam in Hungaria familiæ, quibus cognomen a loco aliquo adhæsit, non quod ibi dominarentur, sed quod illorum majores pro cognomine patriam assumserint *b*). Nobiles Armalistæ quos vocamus, Cives & plebeii sæc. XIV. & XV. & interdum serius cognomen adepti sunt, quod illis accessit a loco habitationis vel originis, (ex. c. *Pelbartus de Temesvár*, *Gabriel de Petrovaradino*, *Debreczeni*, *Miskolczi*, *Szikszai &c.*) ab arte quam tractabant (*Deák*, *Szabó*, *Szûts*, *Varga*, *Fazékas*,) animique & corporis vel virtute & vitio (*Jámbor*, *Ördög*, *Sánta*, *Fejér*, *Fekete*, *Nagy*, *Kis*, *Kopasz &c.*) aut ab hominum arbitrio & petulantia. Sæpe familiæ alicui, suo jure a castro quod tenebat denominandæ, adhæsit cognomen hujusmodi, atque ad posteros transivit, quod uni e majoribus undecunque erat inditum; sæpe possessionem castelli adivit

aliquis,

aliquis, retento priore ſuo cognomine, unde diverſitatis ratio inter hoc & prædicatum, quod in Hungaria appellamus, facile perſpicitur. Patronymica, quorum terminatio originem gentilitiam continuo prodit (ut *Pálſi*, *Péterſi*, *Iſtvánſi*, *Mártonſi*; *Paulovits*, *Davidovits*, *Petrovits*, *Markovits*,) in omnibus civium claſſibus admodum ſunt frequentia. Nec hoc omittendum eſt, graſſatum aliquando eſſe, etiam per Hungariam doctam, morbum illum ſuperiorum temporum, quo contacti, nomina gentium ſuarum in græcum latinumque traveſtiverunt, magno ſæpe poſteritatis incommodo *c*); quod videlicet omnia nauſearent, niſi græce latineque ſaperent. Nomen denique quod in lavacro ſacro, ſive nobiles ſive plebeii accipiebant, ad ſæc. usque XVI. ſimplex duntaxat fuerat & unicum, neque geminato Joannis Sigismundi in quodpiam aliud incidi antiquius.

a) Exemplo illuſtris ac vetuſtiſſimæ *gentis de Nagymihály* id commode illuſtrari poteſt, quæ ab inclyto *Jakov de Nagymihály* originem trahens, in varias poſtea familias ſeu ramos diviſa, a diverſis, quæ in patrimonii diviſione illis obtingebant, poſſeſſionibus, variis etiam & multiplicibus cognominibus in annalibus Hungariæ nota eſt. A. *Tyba* enim, *Vinna*, *Sztara* cet. totidem nomina familiarum ducta ſunt, quibus tamen omnibus gentilitium de *Nagymihály*, nunquam non ſolemne fuerat. E tot ramis unicus hodie *Sztaraiorum* ſuperat. KAPRINAI *Hung. diplom. II.* 486. — Ad eundem modum gens nobilis & perantiqua de *Nyek* (Nyék in Inſ. Csallóköz) nuncupata, in plures familias, nimirum *Végh*, *Nagy*, *Méhes*, *Koſa* cet. propagata eſt. — Etiam familiæ *Szentiványi*, *Bán & Szmrecsányi*, ejusdem arboris annoſæ frondentes rami ſunt.

b) In Hungaria hæc conſuetudo forte magis adhuc quam alibi obtinet. Ad imitationem vero ævi intermedii, quo latine ſcribentes locum patrium; quin

quin ibi dominati fuissent, particula *de* interjecta indicarunt, e. c. *N. de Buda*, *N. de Strigonio* cet. Transsilvanorum multi adhucdum cognomini originis locum suffigunt. Ita auctor libelli: *Lis Transylvanica, seu practica Transylvanorum litigandi methodus*, Claudiopoli, 1799. 8. se nuncupat THEOPHILUM LÁNY de *Késmark*; non quasi urbis hujus liberæ regiæque dynastam se atque dominum profiteri voluisset, verum quod inde suam trahat originem. Incautos hæc talis consuetudo decipere facile poterit.

c) Ita Tsukás cognominari maluit *Lucius*, Holzmann *Xylander*, Biro (Richter) *Prætorius*, Hwezdar *Astronomus*, Bornemiszsza *Abstemius*, Borbély *Tonsoris*, Szántó *Arator*, Kováts (Schmied) *Fabricius*, Quendel *Serpilius*. — Hodie Hungariæ cives metamorphosi nominum e germanico & slavico in hungaricum gaudent. Ita nuper admodum Reutermeyer mutatus est in *Rostaházi*, Voiteschko in *Édeskúti*, Kohlmayer in *Tatrai*, Mayer in *Mayersi*, cet. quod posterorum causa hic adnotatum esse volui.

§. 180.

Tituli Prælatorum & Nobilium.

Archiepiscopi in literis Regum Hung. antiquis *Venerabilium* (& quidem ad Belam IV. usque Strigoniensis tantum; CORNIDES in *Vindiciis A. B. R. N.* p. 159.) Episcopi vero *Reverendorum* gerunt axioma. Sæculo subinde XV. a Regibus *Reverendissimi* illi dicti sunt, *Venerabilium* elogio his relicto, qui stylus Cancellariæ regiæ adhucusque est. Ab aliis iidem promiscue salutantur *Illustrissimi* & *Reverendissimi*, qui tituli prius Cardinalibus proprii, dimissi sunt ab his, cum Archiepiscopis & Episcopis promiscue dari inciperent *a*), accepto 1630. ab Urbano VIII. PP. *Eminentiæ* & *Eminentissimorum* titulo. Abbates, Præpositos, Canonicos, hodie *Reverendissimos* vulgo salutamus: superioribus sæculis Præpositi quidem & Abbates, mox *honorabiles*, mox *reverendi*, mox *venerabiles*, Canonici vero

ple-

plerumque *honorabiles* & *discreti* nuncupati sunt. Plebani stylo antiquo *discreti* dicebantur interdum *honorabiles* & *discreti*, rarius *reverendi*. *Religiosorum fratrum* encomium monachis peculiare erat, quod nec in Abbatum titulis prætermissum est.

Ad regni *Principes*, *Primates*, *Summates*, *Magnates* pertinebant præter Episcopos, Barones regni, & qui Comitatus Regis administrabant nomine. Opponebantur illis *Servientes* scil. Regis *b*), (unde judex Nobilium hungarice *Szolga-biró* audit) quos nobili genere natos, vel a Regibus in cœtum nobilium cooptatos, sub Regis vexillo militandi manebat obligatio. Hi *egregii*, uxores vero eorum filiæque *generosæ* vocabantur; Primates contra, si sæculares essent, *Spectabiles* erant & *magnifici*. -- *Prudentes ac circumspecti*, vel *sagaces & circumspecti*, item *sapientes* interdum & *honorati*, a sæc. XIV. & XV. cives & horum magistratus salutantur *c*). Matronæ cives ab *honestate* laudantur. Coloni *agiles* audiunt atque *providi*; encomium *fidelium* in regiis literis — in illis enim tituli isti recurrunt, retinenturque in præsenti quoque — omnibus commune est. — Etiam compellationes: *Dilectio vestra*, *Egregietas vestra*, *Dominatio vestra*, *Sagacitates vestræ* cet. sic satis frequentes sunt.

a) Conf. *N. Lehrgeb. der Diplom. VI.* §. 542. 686. — 690. *Sanctitatis* axioma saltem a sæc. XIV. solis Rom. Pontificibus est proprium, *Beatissimi* vero laus eisdem iterum solis a Sylvestro II. inde attribuitur l. c. §. 686.

b) Diversi ab illis erant Servientes aliorum. In literis Ladislai IV. regis anni 1288. „ Ladislaus — ad universorum — — quod Magister Thomas,

mas, Tolpos dictus, *Serviens Magistri Laurentii* filii Laurentii — — exhibuit nobis literas nostras patentes super collatione quarundam terrarum Vezveres & Várhegy — — "

c) Dalmatiæ civibus a regibus Hungariæ titulus aliquanto tribuebatur titulis reliquorum civium illustrior. — Legi complures literas privatorum, immo Magnatum etiam Hung. sæc. XVI. ad civium Hungariæ magistratus, in quibus istos, benevolentiæ captandæ studio, interdum *magnificos* adeo compellare non dubitarunt. Sed stylus hic Regum & diplomatum nunquam erat.

§. 181.

De titulo Baronis.

Ille, qui hodie per Hungariam celebratur, *Liberorum Baronum* ordo, sine beneficio confertur, sæculo XVI. a quo Austriaci Principes continuo habenas Regni tenent, vix antiquior *a*). Quamvis enim Hungaria antiqua, *Barones Regni* non ignoret: hos tamen ex officio, quod in aula domus Augustæ, & in Regno gerebant, & olim tales fuisse, & adhuc usque esse, cuique notum est. Aut ego vero fallor, aut *Baronatus Regni*, ad Archiofficia Imperii Germanici accedunt quam proxime; quæ quidem sæculo X. in Germania constituta, sæculo XI. ad Hungaros etiam traducta sunt. Qui illos obtinebant, ut paulo ante dictum est, *Spectabiles* salutabantur ac *magnifici*; neque *Comitis Palatii* seu *Palatini* (Nándor Ispán *b*), titulus excellentior fuit, quamvis & honore, & dignitate omnes reliquos anteiret, post Regem in administrando regno proximus. *Deliberatione* cum his, nec non cum Prælatis, interdum cum *charissima* etiam *conjuge* inita, (*unserer geliebten Hausfrau*, ut versio vetus Privilegiorum Scepus. habet) Reges Hungariæ, sæpius

pius virtutes militares remunerati ſunt, templisque ac ædibus ſacris providerunt liberaliter. Inſerebantur adhæc illorum nomina Comitiorum articulis & privilegiis *c*), neque tamen omnibus, & perpetuo. Habuerunt etiam Reginæ, curiæ ſuæ adminiſtros, veluti Tavernicorum, Pincernarum cet. magiſtros, quibus ævo priſco idem fere cum aliis Baronibus Regni honos obtigit. Utrique tandem aulam regiam, illo tempore mobilem & ambulatoriam, quo ibat, ſequebantur; *Magiſtri* appellati, quod certæ miniſtrorum aulicorum claſſi, e. c. pincernis, agaſonibus cet. præfecti fuerint. Vid. CAR. ANDR. BELII *Commentatio de Archiofficiis Regni Hungariæ*, Lipſiæ 1749. 4. & BECKII *Specimen juris publici Regni Hung.* Viennæ 1790. p. 128. & ſeqq.

a) An. 1534. Ferd. I. *Nic. Kozkam* in ordinem Baronum R. Hungariæ adoptavit, alienigenamque numero indigenarum inſeruit. Idem Ferd. I. 1535. *Franciſcum Nyári* de Bedeg Baronem creavit, augendo ejus inſignia gentilitia, indulgendoque eidem ceræ rubræ uſum, cum omnibus reliquis prærogativis ordini Baronum propriis. Hæc duo exempla collati Baronatus ſunt ſine dubio antiquiſſima. Recentius aliquantum diploma Liberi Baronatus eſt, quo Leopoldus I. 1691. *Alexandrum Vécſei* Capitaneum arcis hæreditariæ ejus Ainacskö, ejusque hæredes exornavit „ *e cœtu numeroque* præfati regni noſtri „ Hung. *Nobilium eximentes*, in numerum — regni „ noſtri Hung. *Liberorum Baronum* ſeu *Magnatum*, „ *rubra cera* in obſigillationibus literarum ſuarum „ utentium, evehendum — — duximus. Volen- „ tes — ut Tu — & hæredes utriusque ſexus uni- „ verſi — omnibus illis gratiis, privilegiis & ho- „ noribus — — quibus ceteri —. — Baro- „ nes ſeu Magnates — — fruuntur — tam intra „ quam extra judicia & Comitia — — frui — — „ *literas veſtras quascunque cera rubra, inſtar alio-*

 „ *rum*

„ *rum Baronum* — — *munire* — valeatis. Quo
„ vero perpetuum hujus — — ſublimationis exſtet
„ documentum — — antiqua — inſignia non ſolum
„ clementer — — confirmavimus — — verum etiam
„ *in hunc* — *modum amplianda* benigne concedimus
„ — Scutum nimirum cet.

b) Vocabulum originis Slavicæ, vi vocis Præfectum Palatii notat. Hungaricum eſſe illud, juxta veterem orthographiam Nadur - Iſpân (i. e. Nagy Ur Iſpân) reſcribendum, ingenioſe, nec indocte evincere aliquando nitebatur JO. SZARKA, in *Conjectura de origine — Nominis Nádor - Iſpán.* Sopronii. 8. ſ. a.

c) Ad examen de diplomatum fide rite inſtituendum, multum intereſt in promtu habere, cum Epiſcoporum, tum Baronum Regni Hungariæ catalogos. Et Epiſcopos quidem GE. PRAY, quotquot poterat collegit, in *Specimine Hierarchiæ Hungaricæ.* Poſon. & Caſſ. Pars I. 1776. Pars II. 1779. 4. Et præter PRAIUM illi, qui ſingulorum Epiſcopatuum delinearunt hiſtoriam: Barones Regni autem majori ex parte diſperſi adhuc, in Decretis Regni, & privilegiis privatorum latent. Palatinorum ſeriem vulgarem, non ita pridem diplomatum fide CAR. WAGNER ſupplere & emendare ſtuduit. (*Ungr. Magazin IV.* p. 4. & *ſeqq.*) Collegit Judices Curiæ anonymus in *Curia Judicum Regni Hungariæ*, Tyrn. 1726. Utrique præiverat CASP. JONGELLINUS in *Catalogo Palatinorum & Judicum Curiæ Regni Hungariæ*, qui Tomo II. *Scriptor. rer. Hung.* inſertus eſt. Laudabiles aliquando P. SZENTIVANI conatus digerendi reliquorum etiam regni Baronum ſeriem, e *Diſſert. paralipomenonica rerum memorab. Hungariæ*, in ejus *Miſcellaneis*, Dec. III. P. I. Tyrn. 1702. 4. intelligas.

§. 182.

De Titulo Comitis.

Comitum memoria in chartis Hungariæ eſt multo frequentior; ſignificatus varius & multiplex. Rem paulo altius exordiri operæ pretium eſt. Primi Hungariæ Reges, exemplo veterum Romanorum, inſtituta & leges exterorum, quantum Regno conveniebant, ultro adoptarunt. E Regum Francorum Capitulari-

bus

bus ergo, non pauca in Codicem juris patrii illata ſunt; accepta etiam eſt ab Germanis Regni in *Comitatus* diſtributio. Quos enim antiquitas Germana pagos (Gau) nuncupaverat, ſæculum IX. Comitatus dixit, eosque, qui Comitatibus præfecti erant, *Comites a*). Ita cum re nomen etiam ad Hungaros ſæc. XI. tranſiit. A caſtro Comitatus itaque quod illi præfecti tenebant, *Caſtrenſes*; (Vármegye Iſpányok, *Burggrafen*); a parochia vero, ſeu diſtrictu quem adminiſtrabant, *Parochiales*; & quod vicarios in munere unum duove haberent (*Vice-Comites b*), recentiori demum ævo (circ. an. 1600.) *Supremi Comites* appellati ſunt. Appellabantur autem ita primitus ab officio, quod durante Regis beneplacito gerebant, ut apud Germanos & Italos fere, neque quod officii erat nomen ad poſteros transmitti potuit; quod quidem nec hodie, niſi paucis illis familiis illuſtribus conceſſum eſt, quibus honor ille jure hæreditario & perpetuo, a ſæc. inde XV. in primis vero ſub Regibus Auſtriacis, horumque indulgentia obtigit. Principibus Regum filiis (e. c. Stephano Ludovici I. fratre,) gubernantibus Comitatum regni aliquem, commutabatur fere Comitatus nomen cum *Ducatus* titulo, hincque factum eſt, ut *Duces de Scepus & Sáros*, nec non *de Liptovia* in Regum noſtrorum ævi veteris identidem commemorentur tabulis. Sub Andrea III. Agnes, ſub Ludov. II. & Ferd. I. Maria, utræque conjuges Regum, illa quidem Poſonienſis, hæc vero Moſonienſis Comitatuum defungebantur honoribus.

a) De Comitatuum origine, Caſtrisque Hungariæ antiquæ docte diſſeruit A. F. KOLLAR in *Hiſtoriæ juriſque*

risque publici Regni Hungariæ amœnitatibus. Vol. IIdo Vindob. 1783. 8.

b) Vice-Comites olim in ſuis titulis Comitis plerumque illius meminiſſe ſolebant, cujus vicarii in officio erant, qui hodie per compendium omittitur. Exempla ſunto: „ Nos Magiſter Johannes *Vice-* „ *Comes Magiſtri Konya*, & quatuor Judices Nobilium de Sarus. — Stephanus Soos de Sovár & „ Nicolaus de Roskovan *Vice-Comites Spectabilis* „ *ac Magnifici Domini Emerici de Zapolya*, Comitis „ perpetui terræ Scepuſienſis, ac quatuor Judlium „ Comitatus de S. &c. "

§. 183.

Comites Urbium & terræ. A Comitibus Comitatibus regendis præfectis, differunt *Comites perpetui liberi & majores*, ſeu *naturales a*), ut priſca monumenta habent, qui caſtrum aliquod tenebant cum territorio ſeu provincia ad hoc ſpectante, a jurisdictione Comitis parochiani exemtum, atque ad hæredes transmittendum *b*), præter privilegium ſignandi cera rubra, quo ſaltem prius gaviſi ſunt aliis. Huic Comitum claſſi videntur illi etiam adſcribendi, qui *Comites perpetui* alicujus *loci* in antiquis diplomatibus appellantur *c*), nec non *Comes terræ* Scepuſienſis (*Landgraf*), qui anno demum 1465. *perpetuus* factus eſt. A Comitibus iſtis liberis & perpetuis, ſeu naturalibus, de quibus verba Decreti Matthiæ anni 1459. in PRAII *Annalibus R. H.* III. 125. „ ſunt „ plures nobiles, qui quodammodo ſtatum „ Baroniæ — ultra ceteros nobiles habent " intelligenda ſunt, originem ſuam trahunt Liberi Barones hodierni (§. 181.) nec non Comites, quos Hungari, non vetuſto & vernaculo nomine *Iſpányok*, ſed vocabulo germanico, originis perſpicuo indice, *Grofok* dicunt. Initia

novi

novi hujus axiomatis referri debent ad illos Reges Hung. qui ſimul Imperatores erant, neque enim ante Sæc. XV. quæquam ejus cernuntur veſtigia. Titulum autem Comites iſti iterum non ab officio, nec territorii alicujus poſſeſſione & dominio, ſed codicillis ſolummodo principis ad id conceſſis repetunt, eademque fere horum ad illos eſt ratio, quæ inter Nobiles quos *Donatarios* nuncupamus intercedit, & illos quos *Armaliſtas* dicimus *d*).

a) Anno 1487. Dominica poſt Feſt. B. Luciæ V. in S. Hippolyto, interventione Alberti Ducis Saxoniæ, Treugæ (induciæ) inter Frid. III. Imp. & Regem Hung. procuratæ ſunt, arbitro Romanor. Pontifice inter belligerantes hac lege conſtituto, ut ſi idem contra Matthiam Regem ſententiam pronunciaret, hujus ſubditi Prælati, Barones cet. omne auxilium ad bellum continuandum eidem ſubtraherent, quemadmodum idem denegare Friderico Imp. obligarentur Electores & Principes S. R. I. ſi Papa juſtam belli a Matthia Rege geſti cauſam agnoſceret. — „ Iſti „ autem (ſunt verba Diplomatis induciarum) no„ minatim ſe inſcribere & obligare debeant, inpri„ mis Reverendiſſimus D. Archiepiſcopus Strig. D. „ Arch. Raguſinus, D. Epiſcopus Agr. &c. — „ Item *Barones ex officio in Hungaria*: D. Palati„ nus Hung. D. Comes Curiæ Regiæ Majeſtatis, „ D. Magiſter Thavernicorum R. Maj. D. Theſau„ rarius R. Maj. D. Marſchalcus. — Item *Princi„ pes in Hungaria*: Dominus Banus Dalmatiæ Croatiæ „ Sclavoniæ, D. Deſpotus Serviæ, D. Banus Boz„ næ, D. Vajvoda Valachiæ, D. Vajvoda Auſtriæ, „ D. Banus Machovienſis, D. Banus Nándor Al„ benſis, D. Banus Zevrinienſis, D. Comes The„ meſienſis, D. Comes Poſonienſis. — Item *Ba„ rones naturales in Hungaria:* Dominus Dux Laur. „ de Ujlak, Domini Comites de Frangepanibus, „ D. Comes Scepuſienſis, Domini Comites de S. „ Georgio & de Bozin, Domini Comites de Cor„ bavia, Domini Comites de Zrinio, Domini de „ Loſoncz, Domini de Perin, Domini de Rozgon, „ Domi-

„ Domini de Báthor, Dni de Gara, Dni de Hedervara, Dni de Megyesallya, D. Orszag de Guth, Dni de Ellerbach, Dni de Pamkirchen, D. Joan. Ernusth, Dni de Lindva, Dni de Bakos. — Item Civitates in Hung. Buda, &c." Diploma prolixum non minus quam memorabile nullibi impressum inveni. Fragmentum quod hic interui, excerpsi e MSS. STEPH. KAPRINAI Tom. XIII. B. Nro. LX.

b) Ladislaus posth. an. 1453. fortissimum Joannem de Hunyad remuneraturus „ creavit illum, & filios, „ hæredesque eorum universos, super civitate Bistricensi & districtu, ac ejus pertinentiis in partibus Transsilvanicis habitis, in *perpetuos* (i. e. hæreditarios), *liberos* (exemtos a Vajvodæ & quorumlibet jurisdictione i. e. immediatos) *Comites majores*, dictum vero districtum, in *Comitatum perpetuum.* " Utrum hoc Ladislai Regis munere, familia Hunyadiana dominium etiam (terrestre) urbis & districtus Bistricensis acceperit? de eo, in alia omnia abiens, docte in utramque partem disputavit cel. JOS. CAR. EDER in *Appendice ad Schesæi ruinas Pannonicas* (Cibinii 1797. 4.) pag. 223. & seqq. conf. PALMA *Notitia rer. Hung.* edit. 3. p. 63. & seqq. KATONA l. c. XIII. p. 871.

c) Hoc titulo, nec eo inani, primus insignitus occurrit Archiepiscopus Strigoniensis sub Stephano V. Rege. Colocensis paulo serius illum adeptus est. Cavendum vero est sedulo, ne *Comites locorum perpetuos* confundamus cum *Comitibus Comitatuum* ejusdem nominis. Ita in diplomate 1480. Albertus Episcopus Vesprimiensis *loci ejusdem* Comes perpetuus, non item *Comitatus Vesprimiensis* dicitur.

d) In discrimen, quod inter Comites & Barones titulo tales intercedit, inquirant Doctores juris publici. Illos stylus curiæ *Spectabiles* & *Magnificos* (Nagyságos) salutat, ab aliis vero quibuslibet (ut diploma comitis an. 1696. Baroni *Stephano Apor* datum jubet) *Illustrissimorum* (Méltóságos) titulus iisdem attribuitur. In dipl. 1666. quo *Sigism. Petthö* de Gherse Comitis dignitate ornatus est, idem „ *ex ordine & numero — regni Hung. Magnatum* „ (Liberorum Baronum; Magnificentiarum) *benigne* „ *eximitur* " — Josephus I. 1707. „ *Stephanum Szirmai* ejusque hæredes — — Regni Hung. & partium

„ tium

„ tium eidem annexarum Comites „ germanice *Graf-* „ *fen* nuncupatos declaravit, — tituloque & honore, nec non dignitate Comitum, cum prædicato *Illuſtriſſimorum Spectabilium ac Magnificorum,* „ germanice *Hochgebornen* “. inſignivit.

*) Tantum de præcipuis vocabuli ſignificatibus, in Regum noſtrorum chartis obviis, dixiſſe ſufficiat. Non vacat longius ad antiquitatem Hungaricam digredi. Quæ DUFRESNE de ejus uſu collegit & adnotavit, rerum ſimilium ſtudioſus nemo negliget. Id ſolum adhuc dignum hic loci obſervatione cenſeo, *Comitis* titulum, quod officii eſſet, mature tralatum fuiſſe etiam ad officia minora denotanda, quemadmodum in caſtellis nobilium etiam nunc hungaricum *Iſpán*, nomen ſervientis & officialis domus eſſe, bene notum eſt. Ævi ſuperioris loquendi uſum e literis Belæ III. anni 1181. & Caroli Roberti Regis anni 1323. didiceris. In illis quædam Domina, nomine *Froa,* uxor Marcelli Præpoſiti, prædium Zeles F. Palatino coram Rege vendidiſſe narratur, cujus rei teſtis inter alios adducitur Elelis *Curialis Comes Froæ, qui terminum terræ in circuitu demonſtravit*; harum vero exordium ſequens eſt: — „ ad univerſorum — quod *Comite* Petro „ *Judice Curiæ* magnifici viri Demetrii, Magiſtri „ Tavernicorum noſtrorum ab una parte; item „ *Comite* Michaele filio Mark de Faw nobili de „ Comitatu Bekes ex altera, coram noſtræ Excellentiæ præſentia conſtitutis cet. — “

§. 184.

Cognitis ita jam una pluribusve perſonis, quas ſumma diplomatis dati reſpicit, ad rem attendendum erit, quæ ſub formula textus principe continetur, atque ad conditiones, cum quibus illa alicui promiſſa, data, tradita, ademta, cet. Primarium diplomatum argumentum perpetuo fere jura & obligationes attinet; jurisque ævi intermedii hiſtoria non aliunde purius, quam ex hoc fonte defluit. Quamvis autem ſat largus proventus hic videri poſſit debeat-

Res, quæ formulis primariis continentur.

debeatque: ubertate tamen ſua, ſpicilegium quod ordini Hiſtoricorum relinquitur, meſſem quam Jureconſulti ſibi vindicant, ſæpe quam longiſſime ſuperat. — Præcipuam & maxime copioſam diplomatum domeſticorum ſpeciem, *donationes* ſic dictæ noſtrorum Regum, & harum confirmationes conſtituunt. Mutatis nominibus perſonarum & prædiorum, donationis diploma unum ſæpe parum habet, quo ab alio differat, ſi formulas quæ ſerius acceſſerunt & quæ ad dijudicandum diploma omnino pertinent, (e. c. *ſalvo jure alieno a*); *de noſtra auctoritate Regia, certa ſcientia & gratia ſpeciali, certis cauſis ad hoc nos moventibus b*); *totum jus noſtrum Regium, ſi quod — nihil juris, nihilque proprietatis — reſervando c*); *cet*) & pertinentiarum recenſionem *d*), quæ eo ſimplicior obſervatur, quo antiquior eſt ipſa donatio *e*), excipias. Grande incrementum quod e privilegio aliquo ita ſingulariter inſpecto Jus patriæ univerſum hujusque hiſtoria capere poſſit, equidem haud perſpicio; inductione enim & multorum diplomatum inter ſe comparatione opus eſt, ut axioma aliquod juris antiqui inde elicias. Potior itaque prædæ pars, quam quodlibet diploma hujusmodi ſuggeret, ad alias diſciplinas pertinebit, quas illuſtrare non deſinet, diploma jam obſoletum etiam, & valore omni in foro deſtitutum. Ita ſi quis vel ob vulnus aliquod in oppugnatione caſtelli alicujus vel in prælio acceptum, vel ob mortem, quam propinquorum aliquis, propter Regis Regnique ſalutem obierat, vel ob ſumtus & pericula legationum ad vicinos principes, agros prædiaque accepiſſet; diligentiſſime horum in literis do-

natio-

nationis delineabantur metæ terminique, ſecundum fluvios, vias, arboresque, quibus ſepta erant. Obſervabatur adhæc ſæpe loci, de quo quæſtio erat, ab alio vicino atque celebriore diſtantia, addebatur caſtri ſeu Comitatus nomen, commemorantur deinde ſæpius ſilvarum quæ adjacebant denſitas, hominum, qui mancipi dabantur, vel multitudo vel inopia, & ſexcenta alia, quæ penitius inveſtiganti imaginem & conditionem Hungariæ illius ævi, magnopere proſunt, & ſine quorum uſu & cognitione, hodie Hiſtoriam alicujus Regni deſcripturus, placebit nemini. Literas certe, quas in Hungaria *ſtatutionis* appellamus, in primis Geographiæ medii ævi numerabis fontibus, quas ſæpiſſime ex aſſe inſertas invenies Regum privilegiis, & quarum in omni antiquitate Hungariæ cognoſcenda, dos eſt omnino varia & multiplex. Exemplum in appendice exquiras.

a) In diplomatibus eccleſiaſticis hæc formula jam ſæc. XII. celebratur alibi, *N. Lehrgeb. der Dipl. VIII.* §. 262. IX. §. 1011. in Hungaria ſæc. XIII. vix antiquior.

b) Formula ante ſæc. XIV. vix uſpiam adhibita. *N. Lehrg. der Dipl.* IX. §. 191.

c) Conf. (BÆRNKOPF) *De Dominio Nobilium*, Poſonii 1790. p. 39. & ſeqq.

d) In nova donatione prædii Nagypalugya incl. familiæ Platthianæ per Albertum Regem an. 1438. facta (Nagpoluga enim ſeu Magna Paludia, in diſtrictu de Lypthov, familiæ eidem per Carolum Robertum adhuc 1317. collata fuerat), contextus ſeries ita porro habet: *Item totum & omne jus noſtrum Regium, ſi quod in iisdem poſſeſſionibus haberemus, & noſtram quibuscunque modis, cauſſis, & rationibus concerneret Majeſtatem, ſimul cum cunctis ejusdem* (Nagy Palugyæ) *utilitatibus & pertinentiis, terris ſcili-*

ſcilicet arabilibus, cultis & incultis, agris, pratis, paſcuis, ſilvis, nemoribus, montibus, vallibus, aquis, fluviis, piſcinis, piſcaturis & decurſibus aquarum, molendinisque & locis molendinorum, ac generaliter quarumlibet utilitatum & pertinentiarum integritatibus, quovis nominis vocabulo vocitatis, ad prædictas poſſeſſiones, prædiumque prænotatum de jure ſpectantibus, & pertinere debentibus, ſub ſuis veris & antiquis limitibus, præmiſſis ſic uti ſuperius noſtræ expoſita ſunt Majeſtati ſtantibus & ſe habentibus, annotato Nicolao, Gregorio & Georgio filiis Petri — — eorumque hæredibus & poſteritatibus univerſis — — novæ noſtræ donationis titulo dedimus, donavimus, & contulimus, immo damus, donamus, & conferimus, jure perpetuo, & irrevocabiliter tenendum, poſſidendum pariter & habendum, ſaluo jure alieno. Harum —

e) Ut S. Stephani donationes prætermittam, in quibus prædiorum adjuncta paſſim copioſe recenſentur, ſufficiat ea attuliſſe, quæ in literis Andreæ I. Regis anni 1055. Abbatiæ S. Aniani de Tyhon adſcribuntur ſequenti ſerie: *Ne autem in proceſſu temporum, ſuper his, quæ in honorem Chriſti, & ibi degentium ſibique famulantium ſuſtentationem, ad præfatam Eccleſiam contulimus, aliquam patiantur calumniam, ſingillatim cuncta in præſenti cartula Notarii manu adſignata habentur. Sunt igitur aratra XII. cum XX. manſionibus, vinitores cum vineis XX. equites XX. piſcatores X. agazones V. bubulci tres, paſtores ovium tres, ſubulci duo, apiarii duo, coquinarii duo, ſutores duo, fabri duo, aurifaber unus, dolatores duo, molendinarii cum molendinis duo, tornator unus, veſtimentorum ablutor unus, cerdo unus, ancillæ decem. Præter hæc ſunt emiſſarii triginta quatuor, cum ſubditis equabus, vaccæ centum, oves ſeptingentæ, porci centum, apium vaſa quinquaginta. Præter hæc ad neceſſaria fratrum per ſingulos annos conſtituimus de armento regali quinquaginta poledros — —*

§. 185.

Formulæ Textus ſecundariæ.

Ad formulas textus ſecundarias ſeu accidentes pertinebit, quidquid, ſaluo ac integro diplomatis argumento, adeſſe & abeſſe poterit; quid-

quidquid amplificationis vel ornatus causa, vel ex ingenio notariorum, interdum otiose ac inepte etiam adjectum est. Judicio ceterum opus est, ne quod præcipue argumentum diplomatis attinet, ad accidentia thematis & parerga referas. Exile & sterile thema instrumenti, (quod unus quisque, qui diplomata aliquando tractavit, rebusque applicare studuit, expertus sit necesse est) si artes spectes, quæ a diplomatibus suppetias exspectant, cedere quam sæpissime debet formulis, quas vel casus diplomatibus intulit, vel ingenium scribarum sæpe male sanum intrusit *a*). Enimvero multa, eaque præclara sæpenumero sub formulis istis secundariis latent, quæ vel ab aliis nondum animadversa sunt, vel quæ, inventa jam, majorem in lucem collocant.

a) Innumeris id doceri potest exemplis. En duo, triave: Wladislaus I. an. 1441. ad debitum 1500. flor. (auri) tempore definito dispungendum solemnibus se literis obligavit, adjecta barbara, majestateque Regis prorsus indigna, clausula: „ Casu autem quo non solveremus, extunc eidem Jo. „ Hluzky damus plenum posse per præsentes, nos „ monendi, increpandi, diffamandi verbis & literis, „ ac aliis omnibus modis, tamdiu cet. " vel hoc uno exemplo mores discamus noi?? illorum temporum. — Quæ juris publici, disputandique de jure in regno succedendi ratio eotum fuerit, Elisabethæ Alberti Regis viduæ literæ produnt, in quibus an. 1440. Nobiles Transilvanarum partium, ad fidem Ladislao (posth.) filio exhibendam contra Uladislaum I. hortata est, hoc interjecto inermi ratiocinio: „ Sed pensate quæsumus fideles dilecti, & „ animadvertite. Si hæres iste & Dominus natu„ ralis, regni ejus debita successione exhæredari de„ beat & privari, quid de filiis & hæredibus ve„ stris evenire possit? Cum per hoc quasi pro lege „ introduci valeat, ut filii & hæredes paternis

 „ eorum

„ eorum rebus, possessionibus & bonis frustrentur „ & priventur. " Addam adhuc fragmentum literarum Wladislai II. ad Comitatum de Borsod, in quibus de intempestivo nunciorum hujus e regni Comitiis recessu questus, hæc talia subdidit: „ Nec „ pristinas solum & disjectas atque imminutas li„ bertates vestras restituimus, verum — plures — „ adjecimus, quæ nec quisquam Regum Hunga„ riæ unquam contulit ante nos, neque deinceps — „ collaturus " Exemplis pluribus supersedeo, quæ, diplomata legenti, nisi hoc iracunda Minerva faciat, succurrent facile, & sine numero.

CAPUT III.

FORMULÆ EPILOGI.

§. 186.

Momentum formularum Epilogi.

Epilogus, quoad ordinis seriem, orationis in diplomate postrema pars est, quoad solemnium vero, quæ diplomatis *sanctionem* constituunt, numerum, rerumque ibidem sæpe occurrentium varietatem usumque, interdum omni reliquo diplomatis textui longissime præferri debet. Enimvero ut formulæ epilogi ad roborandum atque confirmandum thema diplomatis primarium sunt dispositæ: ita vicissim ad fidem universi diplomatis, ex formulariæ legibus vel stabiliendam vel infringendam, valent plurimum. Qui illustrium adhæc familiarum indagant origines, cognationisque seriem continuam, nullisque hiatibus laborantem construere satagunt *a*), hac inprimis diplomatis parte gaudent; qui temporum rationes subducunt, hic loci campum sese exercendi habent latissimum. Utrisque, cum difficultatibus, quas hic offendunt, sæpe dimicandum est; vincit illas labor, & rerum inventarum pulchritudo & utilitas. Sin-

Singulas epilogi formulas, eodem quo in diplomatibus decurrunt ordine, jam perlustrabimus.

a) Prouti CAR. WAGNER in libro bonæ frugis: *Collectanea genealogico-historica illustr. Hung. Familiarum quæ jam interciderunt.* Decas I-IV. Pos. & Pest. 1802. 8.

§. 187.

A mulctis & imprecationibus, communiter in chartis vetustis, epilogi ducitur initium. Cum enim nullo tempore homines deessent malevoli, qui incurii voluntatum sanctiorum, cupidius alienis opibus & bonis inhiabant: remediis opus erat, quibus, ab impetendis pactis, donationibusque violandis, rapaces illorum manus cohiberi possent. Pœnarum, inprimis mulctæ pecuniariæ, & dolorum inferni, id fiebat minis, quibus chartæ præcipue vetustiores ævi intermedii armatæ sunt. Equidem mulctas, cum ævo antiquo romano, tum subsequente intermedio, ubivis gentium fere usurpatas fuisse, (*N. Lehrg. der Dipl.* T. VI. §. 709 — 11.) in utriusque ævi monumentis relatum legimus: id solum non ita pridem adhuc nostratium unus admiratus est *a*); aurum primorum Regum nostrorum diplomata exigere, tempore, quo legum aliarum transgressores, crimina certo juvencorum numero expiare jussi sunt. At levius hoc argumentum est, quam ut cujusquam diplomatis fidem reddat dubiam. Vicinorum enim more, & stylo suo tempore vulgari, S. Stephanus diplomati fundationis asceterii in monte Pannoniæ, sanctionis illam formulam addidit, quæ jura monasterio concessa infringentem jubet „ componere *centum* „ *libras auri optimi*, medium Cameræ, medium „ præ-

Mulctæ pecuniariæ.

„ præfato Monasterio suisque rectoribus " *b*). Huic similes, quantitate attamen non ubique pari *c*), mulctæ, in reliquis Protoregis fundationum piarum instrumentis, ab horum contemtoribus exiguntur, & idem diplomata corroborandi mos apud Reges successores quoque aliquamdiu viguit *d*); quin tamen vel æqualis ubique æqualibus delictis pœna statuta fuerit, vel mulctæ ob privilegii negligentiam expensæ ullum vestigium, vel apud Scriptores domesticos, vel in chartis ævi illius & sequioris, supersit. Est ergo formula illa, (ita MABILLONIUS l. c. p. 106. depositionis comminationem exponit) comminatoria, non vero sententia decretoria; aberatque S. Stephanus a persuasione illa quam longissime, id vel suo, vel successorum suorum ævo fieri posse, ut „ præ„ cepti paginam frangere tentans, *octo millia* „ *librarum auri cocti* (!) componat, medieta„ tem Cameræ, medietatem S. Michaelis Ve„ sprimiensi Ecclesiæ " *e*). Impune igitur privilegia & testamenta infringere licuit? Minime omnium; id solummodo statuo, nefarios testamentorum & privilegiorum infractores, eas potius pertulisse pœnas, quæ legibus regni in similes prævaricatores constitutæ fuerant, quam illas, quæ facultates hominum inprimis illius ævi excedere debuerunt, & quæ chartis etiam privatorum interdum adjectæ, (*N. Lehrgeb. der Dipl.* l. c.) profecto minarum duntaxat & formulæ vulgaris loco, neque majoris pensi habendæ sunt illis, quibus per notarios immites & crudeles, invadentibus fundationes sacras, spes omnis perveniendi olim ad sedem beatorum præscissa est.

a) Ano-

a) Anonymus (vid. §. 23.) fidem diplomatis S. Steph. an. 1001. impugnans.

b) „ Mulctæ pecuniariæ *frequentissime* sub pœna centum librarum auri statuuntur. " *Chron. Gottwic.* Tom. I. p. 334.

c) In privilegio Monasterii S. Adriani de Szala 50. libræ auri optimi, in privilegio autem Monast. S. Maur. de Bakonbél 20. marcæ auri purissimi dictantur. BATTHYANI *LL. eccles.* p. 366. & seqq.

d) Andreas I. in literis fundat. Abb. de Tyhon, a *decreti* hujus sui *transgressoribus* XII. libras auri poposcit; S. Ladislaus vero in diplom. 1082. quo dotem Vespr. ecclesiæ recenset & confirmat, illos, qui paginæ isti contradixerint, ad *centum aureos solidos* persolvendos condemnavit.

e) Librarum iste numerus 1280000. numos aureos efficit. (Viennensis enim libra 16. uncias, uncia vero 10. Ducatos hung. capit.) Immanis hæc summa etiam P. INNOCENTIO SIMONCHICZ V. Cl. disserenti *de Numismatica Hungariæ Diplomaticæ accommodata.* Vien 1794. 8. p. 53. visa est; (mulcta omnium maxima statuitur in privilegio Lotharii II. Imp. 1137. monachis Cassinensibus dato, videlicet 15000. librarum auri purissimi, *Chron. Gottw.* *I.* p. 334.) unde suspicio illi oborta, per singulas auri libras, singulos duntaxat aureos intelligi, quam hypothesim subinde etiam Cl. auctorem *Notitiæ Hungaricæ rei numariæ* p. 154. amplexum esse video. — Ego, ni mihi illa, quam in textu adoptavi, ratio pendendi mulctas istas pecuniarias ad veritatem videretur propior, facile induci me paterer ad credendum, immensas illas aureorum quantitates, ceu numerum aliquem definitum pro indefinito, seu omnibus delinquentis, quibus ut Majestatis reus exui debebat, facultatibus esse positas. Stephanus certe III. in literis donationis 1166. FF. Hierosolymitanis factæ, omissa mulcta pecuniaria omni, „ si quis inquit igitur prædictæ „ institutioni in posterum contradicere voluerit, „ anathematis sententia feriatur, & *regiæ Majestatis reus judicetur* " SCHMITTH in *Episc. Agr.* P. I. p. 91.

§. 188.

Exorcismus diplomaticus.

Cum mulctis pecuniariis quandoque majoris gravitatis causa conjungebantur imprecationes, ad modum illius, qua Apocalypsis S. Joannis terminata est. Est autem antiquissimus illarum usus, communis omnis ævi populis. Ut enim nihil de Græcis dicam, inscriptionibusque ævi antiqui sepulchralibus; horret animus humanus, revolvens legem horrendi carminis, seu veterem Romanorum fœdus sanciendi formulam: „ Si populus Romanus prior defe„ xit — — *tum illo die Jupiter populum Roma„ num sic ferito, ut ego hunc porcum hic hodie „ feriam: tantoque magis ferito, quanto magis „ potes pollesque* " (LIV. I. 24.) Istis tamen execrationibus, nec atrocitate neque varietate cedunt illæ, quæ ex libris sacris desumtæ, in diplomatibus & formulis jurisjurandi ætatis intermediæ recurrunt sæpius, & majori cum studio collectæ & ad numerum elaboratæ, quam vel putes optesque. Ab Italis & Germanis credo exorcismi istius diplomatici exempla, mature accipiebant Hungari, qui in donationum & privilegiorum infractoribus ad ignis infernalis cruciatus detrudendis, nihilo mitiores erant aliis Europæ nationibus. Genio proinde & moribus sæculi anathemata apte conveniunt, quæ S. Stephani clementissimi Regis fundationum literis adjecta sunt *a*); quorum similes sunt imprecationes illæ, quibus Andreæ I. S. Ladislai, & successorum Regum tabulas veteres munitas cernimus. Sæculo tandem XIII. immo fine XII. penitus fere abstinere cœperunt ab hujusmodi formulis imprecatoriis; vel quod

suffi-

ſufficere viderent regiæ indignationis metum ad privilegiorum auctoritatem conſervandam, vel quod eventu alio, quam precati erant, eſſent admoniti. Univerſe in donationibus hominibus laicis factis, terriculamenta illa rarius obſervantur, quam in literis, quibus Eccleſiarum integritati, & ſacerdotum ſuſtentationi proſpectum eſt. Inſolens ergo videri poteſt jusjurandum illud exſecratorium, quod MOSOCZIUS tanquam ſæc. XIV. in Hungaria ſolemne (decretale) Decreto Ludovici I. nullo adjecto teſte idoneo, ſubdidit; etiam illa, quæ literis Joannis ab Hunyad an. 1448. (quibus egregium Woyik de Chionok *fratrem* ſuum *condiviſionalem* adverſus Caſtellanos caſtrorum Hunyad & Hatzeg protegebat) adjecta eſt ſanctio, ſæculo, quo idem Hungariam gubernabat, non ſatis convenit. Ut vero conſtet vicinos in ſyrmate dirarum & execrationum perorando, quod ſuis diplomatibus appendebant, pari cum Hungaris fuiſſe eloquentia, ni ſuperiores dicere velis, adſcribam (e MEIBOMII *SS. rer. germ.* T. III. p. 199.) atrociſſimam exſecrandi formulam, ad cujus lectionem ni animus exhorreſcat, cautibus horrentis Caucaſi genitus ſis, neceſſe eſt *b*).

a) S. Stephanus fundationem Epiſcopatus Veſprimienſis an. 1008. ſic abſoluit: „ Si quis igitur hujus „ noſtri præcepti paginam frangere tentaverit, octo „ millia librarum auri ſciat ſe compoſiturum —— „ *trecentorum decem & octo Patrum anathemate feriendum* (videlicet Nicænorum Patrum, qui 318. numero, primam œcum. Synodum anno 325. celebrarunt; formula imprecationis Græcis familiaris. „ MONTFAUCON *Palæogr. græca*, p. 385.), *atque* „ *perpetuali ſupplicio tradendum*, *jugiterque barathri* „ *pœna perpetuo fore concremandum.* “ Non minus

 gra-

graves diræ ſunt, quas in reliquarum donationum clauſulis in transgreſſores vibrat. In tabula fundationis Abbatiæ ad radicem montis ferrei ait: „ Quod ſi fecerit, componat — & ut plus divinæ „ iræ occurſum paveat, ſciat ſe *a Patre, & Filio,* „ *& Spiritu S. & a Genitrice Dei, Sanctisque Apo-* „ *ſtolis Petro & Paulo, & a S. Benedicto* in cujus „ honorem prædictum conſtructum eſt monaſterium, „ *perpetuo anathemate damnandum, & ante tribunal* „ *Chriſti rationem redditurum.* " BATTHYANI *LL. eccles.* pag. 373. 80. 81.

b) Munitum eſt illa, diploma Henrici IV. Imp. an. 1075. quo Hirſaugienſis Cœnobii inſtaurationem, auſpiciis Adalberti Comitis Calbenſis inſtitutam, confirmat: „ Si forte quispiam Regum, vel poſte- „ rorum ejus, ſeu quarumcunque homo perſona- „ rum (quod abſit) teſtamentum hoc ullo inge- „ nio infirmare, vel infringere præſumpſerit: ſi „ id autem (quod abſit) a quolibet eorum inſti- „ gante diabolo fiet, obſecrat idem Comes, & „ omnino teſtificatur Apoſtolicum Pontificem, per „ Chriſtum, & per ſanctum Petrum Apoſtolum, „ & S. Aurelium Epiſcopum, & per omnes San- „ ctos Dei, & per tremendum judicii diem, ut „ illum Dei & ſanctorum ejus contemtorem, & „ teſtamentariæ hujus conſcriptionis deſtructorem, „ niſi reſipuerit, *tradat omnino Satanæ, & anathe-* „ *matizet eum, ac profanet a conſortibus & filiis* „ *eccleſiæ ſanctæ Dei, & hæredibus vitæ æternæ;* „ *ut & auferat Deus memoriam illius de terra vi-* „ *ventium, & deleat nomen ejus de libro vitæ æter-* „ *næ, & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto* „ *ore deglutivit, & vivos infernus abſorbuit, peren-* „ *nem incurrat damnationem, & ut Herodis & Pilati,* „ *& Judæ ſocius factus* in *æternum diſcrucietur: & cum* „ *Sodomitis & Gomorris, ignis & ſulphuris imbres hic* „ *experiatur, & Heliodori plagas & verbera hic* „ *perpetiatur, & Antiochi tormentis, vermibus ſcili-* „ *cet ſcaturiens, & cum fœtore computreſcens, miſer-* „ *rime conteratur, & niſi reſipiſcat, Petrum Regni* „ *cœlorum Archiclavigerum, cum S. Aurelio & tota* „ *cœleſti militia, portæ Paradiſi obſtitorem habeat in* „ *æternum.* " Conf. adhuc MABILLON de *re diplom.* „ pag. 96. & *ſeqq.*

§. 189.

§. 189.

De formula monogrammatica utraque, cum de *priore* seu *commemorationis*, tum de *posterio-re* seu *indicationis* jam supra §. 94. dictum est. Interjacet inter utramque formula *sphragistica* seu *subsignationis*, quæ majoris roboris ac firmitatis causa, instrumentum sigillo communitum esse pronunciat. Hæc in Hungariæ diplomatibus vulgo sola recurrit; monogrammatum enim usus in diplomatibus Regum nostrorum rarus, atque solo sæculo XI. circumscriptus est. Variant autem verba quibus conceptam legimus, primum quidem notariorum arbitrio, deinde quod plura & diversa sigilla fuerint, quibus Reges præcipue a sæc. XIII. usi sunt. S. Stephanus in privilegio an. 1001. præmissis quæ diplomatis argumentum constituunt, & formula imprecatoria „ quod ut verius credatur, ait, hanc paginam „ manu propria roborantes, *sigillari jussimus* " in Veszprimiensi: *annuli nostri impressione subter insigniri curavimus.* — Andreas I. „ *sigilli nostri impressione signavimus.*" Stephanus III. in dipl. an. 1166. „hoc privilegium scribi & *sigillo regali muniri feci;*" item in alio anni 1165. cujus originale MATTH. BELIUS aliquando vidit & exscripsit: *sigillo regali affirmare præcepi.* Idem Hemerici Regis diploma refert, cui inconcussum robur in hunc modum additur: „ Ut igi- „ tur nostra donatio, inconcussæ firmitatis ro- „ bur obtineat, scripto commendare, & *ima-* „ *ginis nostræ sigillo fecimus insigniri.* " Vid. BELII *Notit. Hung. Novæ* I. p. 114. 115. A Regis Andreæ II. tempore, qui primus Regum Hun-

Formula sphragistica.

Hungariæ duplici ſigillo uſus eſt, *duplicis ſigilli* frequentiſſima mentio in diplomatibus recurrit, quæ perpetuo fere hac clauſula continetur: „ Ut igitur — — præſentes conceſſimus literas „ *duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas* " — Si ſecretum, vel judiciale ſigillum eſſet appenſum, hoc plerumque expreſſe commemorarunt in formula ſphragiſtica, e. c. in literis Matthiæ anni 1474. „ harum literarum noſtrarum, qui„ bus *ſecretum ſigillum eſt appenſum*, vigore, & „ teſtimonio mediante; & alibi " harum qui„ bus *ſigillum, quo in judiciis utimur, appenſum* „ *eſt*; auctoritate " — Sigismundus cum plurium eſſet regnorum hæres & dominus, ſigilliſque uteretur, pro varietate provinciarum variis, formulæ auctioris a ſucceſſoribus quoque ſuis frequentatæ auctor eſt: „ præſentes con„ ceſſimus literas — pendentis duplicis ſigilli, „ *quo ut Rex Hungariæ utimur*, munimine ro„ boratas; — in quorum fidem — præſentes li„ teras fieri, noſtroque ſecreto ſigillo, *quo ut* „ *Rex Hungariæ utimur*, communiri juſſimus. " Si aurea bulla diploma fuit confirmatum, talem clauſula quoque commemorat, prouti in literis Belæ III. anni 1190. „ In memoriam omnium „ poſterorum *noſtre regalis aule bulla aurea* fe„ cimus perhempnari; " — in diplomate Belæ IV. anni 1244. Peſtanis civibus conceſſo: „ præ„ ſentem eis paginam duximus concedendam, „ *charactere bullæ noſtræ aureæ* perhemniter ro„ boratam. " In privilegio tandem per Matthiam anno 1464. Sopronienſibus collato: „ præſen„ tes conceſſimus literas noſtras privilegiales, „ *aureæ bullæ noſtræ munimine* roboratas. " — Reliquæ variationes hujus formulæ leves ſunt, cui-

cuique tenenti ea, quæ antea de ſigillis dicta ſunt, intellectu faciles. Id quilibet perſpicit, formulam iſtam quamvis active, ut Grammatici loquuntur, interdum conceptam (*ſignavimus*, *roboravimus*) paſſive tamen explicandam eſſe. Meminimus e præmiſſis quorum intererat Sigillum Regis cuſtodire; horum autem opera in exprimendis etiam ſigillis Reges uſi ſunt. Vidi diplomata Regum ſæc. XV. ſignata, & ſigillis etiam deſtituta, in quorum extremo margine, verba deſcripta obſervavi, forfice inter ſigillandum reſecanda: *Dignetur Reverendiſſima veſtra Dominatio præſentes ſigillare.* Inſtar omnium allegaſſe ſatis ſit finem literarum Belæ II. an. 1138. „ *Cancellarius, qui hoc privilegium regio* „ *conſignavit ſigillo*, filius Voth fuit, *ſcriptor* „ *autem privilegii hujus* Egydius Capellanus La„ dislai Ducis fuit " KOLLER l. c. Tom. I. p. 195.

§. 190.

Monogrammatibus, quæ loco ſubſcriptionis aliquando erant, mature admodum in Hungaria neglectis, ſigillo potiſſimum, quo munitum omnino eſſe debuit diploma quodvis, inſtrumentorum fides roburque nitebatur; ſubſcriptione nominum, hodie non minus vulgari quam ſolemni ſigillorumque auctoritati prævalente, nec in Regum noſtrorum, nec aliorum literis ad ſæculum usque XIV. obvia. Hoc tandem ſæculo, meliori vitæ morumque & conſuetudinum habitu e Græciæ majoris olim ſedibus ad nos traducto, Cancellarii & Secretarii primum formula brevi illa & ſolemni: *Commiſſio Domini Regis*, teſtari (recognoſcere) cœperunt, conſtructionem diplomatis, hujusque ſigil- *Subſcriptio Regia.*

lo

lo regio adjecto (unde formula illa ſub ipſo ſigillo ſæpenumero invenitur abſcondita) expeditionem, à Rege ſibi eſſe demandatam, idque jam nullo alio interveniente (immediate) ſive oretenus ſive ſcripto; quo formulæ: *Commiſſio propria Domini Regis; ad literatorium mandatum Domini Regis* reſpiciunt: jam intervenientibus Referendariis, (mediate) qui videlicet Regi erant a conſiliis, quorumque erat ſupplicum preces Regi exponere, hujusque reſponſa & mandata Cancellariis & Secretariis inſinuare, quo formulæ plerumque in ſupremo literarum margine dextro, rarius in calce, proſtantes pertinent, e. c. *relatio Stephani filii Lazk ex parte Domini Regis; relatio Leuſtachii Bani* per ſuas literas; *Commiſſio propria Domini Regis Domina Regina referente*, i. e. voluntatem Regis Regina declarante, cet. *a*). Subſcriptio ipſorum Regum, per literarum nimirum conſequentiam manuque propria facta, paulo ſerius acceſſit *b*). Quamvis enim Galliæ Reges jam ſæc. XIV. interdum placita ſua hoc modo communiverint *c*): non tamen quodpiam exemplum ſubſcriptionis hujusmodi regiæ apud nos adhuc inventum eſt, quod ſæculo XV. eſſet antiquius. „ *Vidimus*, inquit KAPRINAI in *Hiſt. dipl.* P. I. p. „ 65. complures Matthiæ in literis ac diploma„ tibus *ſubſcriptiones, quas Rex Matthias primum* „ *coepit uſurpare*, proſecutus eſt interdum rem „ ab eo cœptam Wladislaus II. crebrius uſur„ pavit Ludovicus II. donec a Joanne Zapolio „ & Ferdinando I. ceterisque Regibus Auſtria„ cis in morem ac legem verteretur. " Sæculo XV. ergo laudabilis hæc Regum Hungariæ conſuetudo, etſi haud eſt vetuſtior; vetuſtior

eſt

eſt tamen aliquanto Matthiæ I. Regis tempori-bus. Si divinare licet, ad Sigismundum Re-gem originem illius refero; quamvis nemo noſtrum in tanta diplomatum Imperatoris & Regis illius copia, chirographum ejus unquam ſe vidiſſe meminerit: ſi literarum teſtimonia flagitas (quin literas Alberti Regis huc trahere velis, in quarum margine ſupremo formulam: *Manus propria Domini Regis*, charactere atta-men ut mihi videbatur a reliqua diplomatis ſcriptura parum diverſo, me alicubi vidiſſe bene memor ſum) Ladislaum poſthumum ſolemnis iſtius moris auctorem ſtatuo; illius ego literas anni 1455. e protographo deſumtas *d*) præ ma-nibus habeo, quibus ſubſcriptus eſt *Ladislaus Rex manu propria.* Subſcriptionem, verba, quæ contextu continentur, reſpiciunt: „ Fidelitati „ veſtræ præſentibus literis noſtris, *quas etiam* „ *ſcripto propriæ manus noſtræ conſignavimus* (i. „ e. ſubſcripſimus) firmiter committimus, „ quatenus cet. “ Hoc autem facile quisque, ſpero, animadvertet, hunc ſubſcribendi ritum initio rarius, ſæpius progreſſu temporis fuiſſe adhi-bitum. Neque ergo falſi ſtatim poſtulabis diplo-ma, quod poſt annum 1455. ſubſcriptione Re-gis adhuc deſtituitur. Communem hanc ſequi-tur regulam Germaniæ Hungariæque res diplo-matica. HERGOTT & GUDENUS Fridericum III. primum inter Imperatores fuiſſe perhibuerunt, qui anno 1486. ſubſcribendi fecit initium: protractis e tabulariorum tenebris chartis plu-ribus, jam Carolum IV. idem interdum egiſſe apparuit *e*), quin iſtum ſucceſſores in Imperio ſtatim & perpetuo in hac re imitati ſint *f*).

Eodem

Eodem denique fere tempore, quo a Principibus diplomata, more hodie recepto, ſubſcribi cœpta ſunt, in epiſtolis etiam privatorum ſcribentis nomen, quod exemplo CICERONIS hactenus primas tenuerat, ad infimas epiſtolæ partes paſſim rejectum eſt. *N. Lehrg. der Dipl.* III. §. 122.

a) Harum formularum in Regum Hungariæ literis ſæc. XIV. & XV. uſus eſt longe frequentiſſimus; momentum in dijudicandis illis, cum inſtar ſubſcriptionis regiæ haberi debeant, maximum; ut notam negligentiæ ſupinæ effugere vix poſſint illi, qui ſecundis curis diploma regium aliquod divulgant, quin recognitionis Cancellariæ formulas recenſeant. — Ab illo vetere diverſus aliquantum hodiernus literas Principum *contraſignandi* modus eſt.

b) Omiſerunt illam Reges Hungariæ ceterique ſæculis quæ XIV. antecedunt, vel quod analphabeti eſſent; vel quod repetitionem nominis ſui, in principio diplomatum jam expoſiti, ſupervacaneam eſſe ducerent; vel quod a more, tunc ubivis gentium in re diplomatica recepto, ſibi non recedendum eſſe putarent. Si Ladislaum Neapolitanum Regis Caroli parvi filium (qui apud Dalmatas, *ferto*, ut Sigismundus ait, *fictitio* in Regem Hungariæ a factioſis coronatus erat, Regisque Hungariæ titulis uſus eſt etiam) Regibus noſtris adnumerare fas eſſet, fuiſſet hic inter iſtos primus qui nomen ſuum chartis & privilegiis ſubſcripſit. Hujus enim autographon, anni 1403. 19. mens Oct. quod adhuc ſupereſſe certo ſcio, propria ejusdem manu ſubſcriptum eſt. Vidit & vulgavit idem etiam LUCIUS *De Regno Dalm. & Croat.* Amſtel. 1668. pag. 261.

c) *N. Lehrgebäude der Diplomatik*, III. §. 121. VII. §. 103. Tab. 76.

d) Jubebatur illis Card. & Archiepiſcopus Strig. Dionyſius prædium Bana Joanni de Rozgon Vajvodæ Tranſ. & Rynoldo de eadem Comiti Siculorum reddere. Pro menſe & die, feriam 4. poſt Feſtum OO. SS. habet.

e) N.

e) *N. Lehrgeb. der Diplom.* T. III. §. 122.

f) Hæc quidem omnia post ritum subscriptionum in aliis Regnis ubi ante plura sæcula jam viguerat, sæc. XIV. & XV. restauratum, in aliis nunc demum primo introductum. Quæ ante istum, cum apud nos tum alibi gentium etiam, recepta fuerit subscribendi ratio, superius jam in doctrina de crucibus & monogrammatibus, ex parte declaratum est. Exstant etiam Stampillæ non modo in monogrammatibus apprimendis, verum in vulgari etiam nominum subscriptione vestigia. Unicum sed illustre illius exemplum domesticum, quamvis recentius, Decretum Caroli VI. 1715. art. 29. suppeditat, quo Comiti Steph. Koháry Judici Curiæ Regiæ, ob dextram bello Turcico mutilatam, usus argenteæ laminæ in nomine suo exprimendo concessus est.

§. 191.

Formulam quæ in diplomatibus regiis sigillum exspectare jubet, continuo excipit sequentium alterutra: 1.) *Datum per manus NN. Aulæ nostræ* (vel *aulæ regiæ* seu *regalis*) *Cancellarii*, (vel *Vice-Cancellarii*) *dilecti & fidelis nostri.* — 2.) Sine mentione Cancellarii: *Datum e. c. Budæ in Festo — — anno &c.* — *Et Datum* quidem tempus confecti & traditi instrumenti seu expeditionis proprie significat, cui in instrumentis domesticis rarissime *actum*, quod tempus rei transactæ denotat, adjectum est. Discrimen hoc inter utrumque post MABILLONIUM l. c. p. 193. diligenter demonstravit SPIESSIUS l. c. P. I. p. 108. Si eodem plane tempore, quo de re aliqua constitutum erat, diploma etiam, constitutionem continens, descriptum & expeditum esset, eadem fuit cum Acti, tum Dati notatio. Diploma, quo Oratores Regni

Actum & Datum.

Regni Hungariæ teſtati ſunt, Wladislaum I. in Regem Hung. electum eſſe, habet: „*Datum &* „*actum Cracoviæ*, die 9. Martii Anno Domini „1440." Hodie in Cancellaria Regis noſtri, Datum non expeditionis tempus, ſed conſtitutionis (reſolutionis) regiæ exprimit.

§. 192.

Cancellarii Sacerdotes.

Simplicitas in moribus & actionibus hominum ævi intermedii, habet, relate ad ævum quod vivimus, neſcio quid jucundi & grati, quod, poſtquam in operoſe eruderandis priſcorum temporum monumentis feſſus es, animum duplici aliquo levamine reficit. Ita (ut aliquot exempla attingam) conventus procerum ſeu comitia in pratis cogebantur late patentibus; obibant Reges ipſi ſuas provincias, (*Decr. Colom. Reg.* L. I. c. 37. conf. *Sigism. Decr. II.* an. 1405. art. 13.) atque ſub tentorio ſeu papilione (THUROCZIUS in vita Belæ II.) vel tegmine quercus fagique conſidentes, ſubditorum cauſas ad ſe deferri paſſi ſunt; cubili, quod Rex in caſtro cum Regina inhabitabant, contigua fuit Camera, in qua theſauri ſervabantur, Rexque cum cariſſima ſua conjuge, Regnique Baronibus & miniſtris, qui illi adſtabant, graviſſima agitabat conſilia; vicina cameræ Capella fuit, in qua Rex cum familia Deo & religioni litabant, & in qua, tamquam loco maxime ſecuro, tabulæ, inprimis publicæ, erant reconditæ. Cuſtodiendis iſtis, qui magis eſſe potuit idoneus Capellano? Qui alioquin Regi familiaris erat & ab epiſtolis, voluntatis regiæ, inprimis ſi ſcripto declaranda eſſet, perpetuus interpres, atque arcanorum, quæ cuſtodiebat, unus

unus omnium optime conſcius. Neque obſcure has muneris ejus partes diverſa nomina demonſtrant, quibus illum inſignitum invenimus in Principum vetuſtis literis & diplomatibus. Eundem enim, qui ibidem ad exitum fere ſæculi XII. *Notarius*, vel, quod ſubinde invaluit, *Cancellarius* appellatur, diplomata domeſtica antiquiora interdum *Capellanum*, & quod omnem Clerum palatinum regeret, (qui ſacris celebrandis & literis deſcribendis adhibebatur,) ſerius *Magiſtrum Capellæ Regiæ*, *Archicapellanum*, deinde *Comitem* etiam *Capellæ Regiæ* nuncupant. Equidem neſcio, Cancellarium ævi medii a *cancellisne*, quibus circumſeptus ad arcendum vulgus officio vacabat, vel *cancellando* (delendo præpoſtere ſcripta) derivare debeam; id certum eſt, ut in aliis Europæ regnis, ita in Hungaria etiam, Cancellarios fere continuo, ordinis ſacri fuiſſe viros, literarum peritia & dignitate etiam conſpicuos. Quamvis autem non ignorem fuiſſe ætate media, quibus Capellani palatini (ſaltem minores) inviſi erant, tanquam qui in Principum palatiis ab omni diſciplinæ eccleſiaſticæ rigore exemti, præcipue honorum & beneficiorum impetrandorum cauſa (e capella enim crebro electi a Regibus noſtris aliisque ad dignitates eccleſiaſticas) ſerviviſſent *a*): non ego tamen ambitus eapropter ſacerdotium ævi ſuperioris accuſavero, memor conditionis, quæ omnium quos ſæculares appellamus, ad ſæc. fere XVI. in omni Europa una eademque fuerat. Agricultura ſcilicet plebi relicta, armis nonniſi belloque intenti nobiles, neglectis pacis artibus, literarum arcana, ultro ac lubenter, ceu Marti inimica virtutique bel-

 licæ

licæ adverſa, (unde Germani virum inermem minusque fortem, per ludibrium hodieque equitem latinum i. e. literatum — *ein lateiniſcher Ritter* — dicunt,) non modo ignorarunt, ſed ignorantiam hanc ſuam, in literis, quas aliorum manu ſubſcribebant, læti etiam confeſſi ſunt. Erant in hoc numero analphabetorum, Imperatores Juſtinus ſenior, Carolus M. Otto M. (qui viduus, „cum antea neſciviſſet lite-„ras, in tantum didicit, ut pleniter libros „legere & intelligere noverit" WITICH. II.) aliique Reges & viri principes illis ſynchroni *b*). Nec Hungarorum ſcribendi peritia *c*) temporibus præteritis major erat; inter quos circiter annum MDL. adeo adhuc belli ſtudia viguerunt, ut vel inter juratos Comitatuum Nobiles inventi fuerint, quibus ne tantillum cum Muſis commercium intercesſerat, ut literas pingere potuiſſent. (§. 145. cf. BELII *Notitia* IV. 554.) Etiam arti ſaluberrimæ proinde non alii quam clerici addicere ſe commode poterant; nec mirum igitur inter medicos Hung. quorum memoriam clar. aliquando VESZPRÉMI ab oblivione vindicavit, Præpoſitos & Sacerdotes paſſim occurrere. Quid? Quod inter clericos adeo non pauci ſcribendi rudes fuerint. Nicolao ſaltem Præpoſito Tranſſilvano, circ. an. 1276-77. cum Epiſcopo Veſprim. de Archiepiſcopatu Strig. coram ſacra Sede romana contendenti, præter enormia delicta, objiciebatur intolerabilis etiam, *quem in literatura* (arte legendi & ſcribendi) patiebatur, defectus *d*); Tabulas vero anni 1323. (WAGNER *Analecta Scep.* I. p. 313.) ex undecim Canonicis, quatuor duntaxat manu propria ſubſcripſere, reliqui idem ſe alie-

na

na opera perfeciſſe, hac formula confeſſi ſunt: *Ego N.N. interfui — — & per ſcholaſticum noſtrum ſubſcribi feci, & ſigillum meum appoſui.* Sed, ut jam monui, nihilo melior fuit literarum conditio alibi gentium; quapropter S. Benedictus (Reg. c. 58.) in novitiis ordinis ſui tironibus ſcribendi peritiam non exegit, exemplaque plura Epiſcoporum, qui lætioribus adeo Eccleſiæ Chriſtianæ temporibus, prima literarum elementa ſcribere non valebant, a MABILLONIO p. 164. & Auctoribus novi operis dipl. T. III. §. 111. 112. indicata ſunt.

a) DU FRESNE voc. *Capellanus.* — Laudare hic inprimis illa adhuc debeo, quæ de Notariis & Capellanis Regum Hung. priſcis, operoſe congeſſit doctеque diſſeruit immortalis DAN. CORNIDESIUS in *Vindiciis Anonymi B. R. Notarii* p. 40. & 82-86. 149 — 52.

b) MABILLON. l. c. p. 163. *N. Lehrgeb. der Dipl.* III. §. 108 — 110. ROBERTSON *Geſchichte Kaiſer Karls V.* Tom. I. p. 317. Conf. illa, quæ ſuperius §. 86. not. a) jam a me dicta ſunt.

c) Fortiſſimum Joannem ab Hunyad Gubernatorem Regni Hungariæ, literarum & ſcripturæ fuiſſe expertem, ex imperitia ejus ſermonis latini colligo. Vid. GALEOTI MARTII *Commentarius de Matthiæ Regis egregie, ſapienter, & jocoſe dictis, & factis*, cap. XIII. & XXVIII. in SCHWANDTNERI *SS. rerum Hung.* Tom. I. — In fœdere ſignando, quod Wladisl. II. & Proceres Regni Hung. cum Frid. III. Imp. & Max. I. Rom. Rege anno 1491. percuſſerunt, argumenti longe graviſſimi, Steph. de Bathor Judex Curiæ Regiæ & Vaivoda Tranſilvaniæ; Ladislaus Orſzág de Guth Agazonum; & Ladislaus de Rozgon Cubiculariorum Regiorum Magiſtri, ignorantiam ſcribendi expreſſe faſſi, in ſubſcribendo fœdere, manu aliena uſi ſunt. KOLLÁR in *Auctario diplom. ad Hiſtoriam* CASP. VRSINI VELII *de bello Pannonico* p. 259-60. - Obſcure, nec ſcio an ſatis vere, KERCHELICHIUS in præfat. ad *Notitias præli-*

minares de *Regnis Dalm.* cet. de PAULO RITTER qui in Croatia sub Leopoldo I. vixit ſcripſitque hæcce: „ Sed quia ſæcularem ſcribere (libros) „ impietas cenſebatur tum, eratque æternæ veri- „ tatis regula: *tractet ſua templa ſacerdos, religio- „ ſus literas, frameas ſæcularis,* hinc — — gra- „ viſſimæ in RITTERUM injuriæ profluere crede- „ bantur.“

d) KAPRINAI in MSS. C. Tom. V. n. 134. - Bertholdum Præpoſitum Babenbergenſem, affinem Regis Andreæ II. ordinante Pontifice Rom. priusquam ad Archiepiſcopatum Colocenſem promoveretur examinatum, repertum fuiſſe legimus (in epiſtola Innocentii III. ad Andream II. an. 1207.) „ *textum expedite le- „ gentem, & interpretantem ejusdem verba ſuo idio- „ mate competenter, & apte præterea de conſtructione „ Grammatica reſpondentem* “ vid. CORNIDES l. c. p. 143. ubi exempla eruditionis ævi medii ſimilia plura in unum collecta ſunt.

*) Inter Hungaros priſcos legendi ſcribendique peritus, agnomine *literati* (*Deák*, e græco Diaconus) diſtinguebatur, quod interdum in nomen gentilitium abiit. Apud Gallos *chevalier clerç* olim audiebat, Angli vero *clericum* (Clerc) etiam nunc appellant, quem Secretarium vulgo dicimus. Inde vero, quod literarum ſtudioſi olim Clerici duntaxat fuerint, magna illa, quæ paſſim adhuc superſunt, ſtudioſorum privilegia & immunitates derivandæ ſunt; niſi iſtas Principum ſtudio, alliciendi profanos etiam majori numero ad literarum ſtudia, tribuere velis potius. Hodie incitamentis hujusmodi nec apud nos amplius opus eſt.

§. 193.

Vice - Cancellarii, Summique & Secretarii Cancellarii.

Cancellariorum intererat, de rebus, quæ ad Regum cognitionem pertinebant, referre, iſtorum Decreta & privilegia in formam diplomatis redigere, & regio ſigillo, quod illorum cuſtodiæ demandatum erat, munire. Antiquitus interdum ipſi etiam videntur omnem e. c. donationis alicujus deſcripſiſſe ſeriem, (DU FRESNE voc. *Cancellarius*) communiter tamen

hanc

hanc operam commiſerunt amanuenſibus & ſcribis, qui Cancellario ab obſequiis, itidem ad Capellam Regum priſcorum pertinuerant. Creviſſe autem continuo curarum & negotiorum, quibus Cancellarii diſtrahebantur, numerum neceſſe eſt; unde Cancellario vel ab aula Regis abſente, vel gravioribus reipublicæ curis occupato, vel etiam officio ejus vacante, mature, cum alibi tum etiam in Hungaria, conſtituebantur alii, qui *vice*, vel *ad vicem* Cancellarii ordinarii diplomata ſe edidiſſe teſtati ſunt. Subinde hinc *Vicecancellariorum* axioma ortum eſt, quod in diplomatibus Italiæ, Galliæ & Germaniæ ante finem ſæc. XI. haud obvium *a*), in literis S. Stephani 1001. & 1037. (quæ fundationem monaſt. S. Mauritii de Bakonbél complectuntur) & S. Ladislai an. 1082. ac proinde rarius, proſtat equidem, ante ſæc. XIII. tamen frequentatum non eſt. — Sub Carolo Roberto, initio ſæc. XIV. ſigillum, (cereum) quod *ſecretum* appellamus, Regum Hungariæ literis applicari cœpit, quod temporis progreſſu (in Hungaria non magis quam alibi) in Regium ſigillum, quod duplex nuncupatur, ita ſæviit, ut hoc continuo rarius adhibitum, tantum non penitus antiquatum fuerit. Cum novo autem ſigilli genere, novus etiam honor palatinus exſtitit, videlicet *Secretarii Cancellarii*, cui ſigilli ſecreti cuſtodia data erat, qui adhæc, more aliis etiam regnis communi, perpetuo jam Regis lateri adſtabat, admiſſionisque erat intimæ *b*). Idem ſub Carolo Roberto & Ludovico I. Capellæ regiæ erat præpoſitus, capellanosque regebat, qui ſibi in ſacris ſolemnibus miniſtrabant, quorumque opera in diplo-

matibus & chartis defcribendis ufus eft *c*). Tenenda hæc funt ad difcrimen intelligendum, quod inter Cancellariam Regiam *majorem* & *fecretam* olim diligenter obfervatum eft *d*); qui illi præfidebat, figillum Regis confervabat, quod *duplex* appellamus, atque a Sigismundo Rege *Summus* feu *Supremus Cancellarius* dictus eft *e*): qui huic præerat, figillum Regis fecretum fibi habebat concreditum, & *Secretarii Cancellarii* titulo diftinctus eft *f*). Pofterior in Legibus regni (Matth. Decr. VI. art. 68. Wlad. II. Decr. 1492. art. 42.) poft Comitem Palatinum & Judicem Curiæ Regiæ, cenfetur inter Judices Regni, quos ftylo Decretorum ordinarios dicimus; utriusque autem honor ambulatorius erat, nulli certæ dignitati adftrictus *g*), conjunctus identidem in una eademque perfona, unde *Summi & Secretarii Cancellarii titulus* compofitus & enatus eft *h*), qui inde a fæc. XVI. & XVII. Archiepifcopis Strigonienfibus, quod figillum Regis duplex, (non item fecretum) quamvis ab aula ejus abfentes, adhucusque retineant, proprius & perpetuus factus eft.

a) N. *L. G. der Diplom.* VII. §. 336. 670.

b) Non poffum non, & ad hæc accuratius intelligenda, & ad genium fæculi XIV. univerfe propius cognofcendum, maximopere laudare Jacobi II. Regis Maioricarum *Leges palatinas* (*Hoffstaats-Ordnung*) an. 1337. editas, quas ingenti literarum commodo vulgavit DAN. PAPEBROCHIUS in *Actis SS.* menf. Jun. Tom. III. tractatu præliminari. Conftitutiones illas inter præcipuos & prorfus inæftimabiles ævi intermedii thefauros refero.

c) Hinc in literis Caroli I. frequentius autem multo in Ludovici I. Regis *N. Comes Capellæ & Secretarius Cancellarius* recurrit, figillumque, cujus cuftos erat, fecretum, interdum *figillum Regium* dicebatur, quo *prætextu Honoris* fcilicet *Comitatus* Capel-

Capellæ usus est. WAGNER *Dipl. Saros.* p. 467. cf. KATONA X. 249.

d) Sigismundus causam Petri Grof de Zenthgyurg 1409. dijudicavit „ Præsentibus Prælatis & Baronibus, „ videlicet Reverendissimis cet. nec non venerabi- „ libus viris, Dominis Clemente Præposito de Po- „ sega *majoris*, Nicolaoque Gubernatore Præposi- turæ de Lelesz *secretæ Cancellariarum* nostrarum Vice-Cancellariis; item Magnificis viris cet. KA- PRINAI MSS. B. IV. nro. 54.

e) Primus hoc titulo gavisus est Joannes de Kanisa Ar- chiepiscopus Strig. cui subinde summi Cancellarii munus ademtum, atque in Eberhardum Episcopum Zagrabiensem translatum est. Notissima sub Sigis- mundo occurrit formula: „ Datum per manus R. in Christo P. D. Eberhardi Episcopi — aulæ nostræ Regiæ *supremi Cancellarii.* "

f) Matthiæ Corvini Decr. II. an. 1464. quod *dupli- cis sigilli munimine fuerit roboratum*, datum est per manus *NN. Aulæ nostræ summi Cancellarii*; ejus- dem contra Regis Decr. VI. an. 1486. quod *secre- ti* sigilli appensione communitum fuerit, datum est per manus *NN. aulæ nostræ Secretarii Cancellarii.* Etiam post tempora Decreti 1536. art. 15. in lite- ris Ferdinandi I. an. 1549. discrimen illud inter Summum & Secretarium Cancellarium rite obser- vatur verbis: Fidelibus nostris RR. in Christo PP. Dominis Paulo de Warda Archiep. Strig. Primati Hung. Legato nato, *Summo Cancellario* ac Locum- tenenti; Nicolao Olaho Episcopo Agriensi, Con- siliario, ac in regno nostro Hung. *Secretario Can- cellario* nostro, cet. KAPRINAI MSS. B. LI. Nro. 11.

g) Diplomata, ad hoc demonstrandum, sunt ubivis obvia. cf. PALMA *Specimen Heraldicæ R. H.* p. 62.

h) Wladisl. II. Decr. II. an. 1495. datum est per manus R. in Christo Patris Domini Thomæ postula- ti Agriensis, aulæ — *Summi* & *Secretarii Cancellarii.* Exemplis pluribus opus non est.

§. 194.

Complexus observationum aliquot de Cancellariis.

Quæ adhuc de Cancellariis Hungariæ commemoranda ſunt, ſequentibus complectar obſervationibus:

1.) Cancellariam Regiam ad initium usque ſæc. XVIII. immo ad annum usque 1731. quo Adamus Acsády Epiſcopus Veſprimienſis (non multo poſt Comitia Regni 1729.) provincia Secretarii Cancellarii deceſſit, viri obierunt eccleſiaſtici, Regibus *fideles & dilecti.* Præter morem ergo ſuperiorum temporum Emericus de Perén tabulis an. 1412. quibus Sigismundus XIII. oppida Scepuſienſia Wladislao Jagelloni Regi Poloniæ pignore reliquerat, inter plures Regni Hungariæ Barones civilis ordinis, cum axiomate *Secretarii Cancellarii* Reg. Majeſt. ſubſcriptus eſt. Idem munus ſub Ferdinando I. iterum laico quem vocant, Petro Perénio (ISTVÁNFI *Hiſt. Lib. XIII.* ad an. 1539.) obtigit; quibus addi fortaſſe poſſet Steph. de Werbewz, quem Joannes de Zapolya *Summi* & *Secretarii Cancellarii* honore exornaverat. Hodie ex ordine civili, Secretarii Cancellarii & Vice-Cancellarii per Regem deliguntur, viri meritis juxta ac natalibus clariſſimi. Solum ſummi Cancellarii munus nomenque, nunquam non fuit apud viros Eccleſiaſticos primi ordinis, quod, cum Archiepiſcopis Strigonienſibus (adjecto etiam Secretarii Cancellarii axiomate) perpetuo jam adſcriptum ſit, perpetuo etiam poſthæc in illorum titulis recenſebitur.

2.) Ab illo fere tempore, a quo Reges Hung. manu propria literis nomen ſubſcribunt, Cancellariis quoque ſolemne eſt, modo qui ho-

hodie obſervatur, nomina ſua illis ſubjicere *a*). Utrumque initio fiebat rarius. Sub Matthia Corvino, & proximis duobus ejus ſucceſſoribus rara proinde ritus iſtius exempla ſunt, qui ſub Auſtriacis demum Regibus perpetuus & conſtans factus eſt. Si autem formulam: *Datum per manus, vel per manum N. aulæ noſtræ Cancellarii*, quæ in Regum noſtrorum diplomatibus continue poſt contextum exponitur, cum MABILLONIO pro Cancellarii ſubſcriptione habeas, vulgaris fuit iſte Cancellariorum Hungariæ ſubſcribendi ritus, quamvis alterius i. e. ſcriptoris manu, a ſæculo inde XII. immo, mutatis verbis, a Regni exordio. Id mirum eſt, quandoque non in brevibus tantum Regum reſcriptis, ſed regni adeo Decretis (conf. Decreta Ferd. I.) poſt *Datum* nullius Cancellarii vel Vice-Cancellarii nomen comparere. Utrum verba ad alterum monogrammatis S. Stephani latus in lit. 1001. longioribus literis deſcripta: *Dominicus Vicecancerarius fecit*; diploma univerſum, vel monogrammatis duntaxat picturam reſpiciant, quæri poteſt; ſubſcriptionis ea vim habere non eſt dubium.

3.) Habebant etiam Reginæ tam viduæ (*ſeniores*, *majores*) quam Regum conjuges (*juniores*) periodis, quæ Auſtriacam præceſſerunt, ſuos Cancellarios, quos ſubſcriptos invenimus præceptis, immo & privilegiis Reginarum, quæ illis edebant diſtrictibus, oppidis, villis & hominibus, qui proxime jurisdictioni & dominio Reginarum ſuberant, & de quibus ipſi etiam Reges nihil ſtatuere, niſi cum *conſenſu* & beneplacito ſuarum conjugum. Perpetuus harum Cancellarius, cum ſtipendio 500. marcarum (*de*

regi-

reginalibus reditibus ſolvendo) teſtimonio Belæ IV. Regis 1269. *b*) & Ladislai Cuni an. 1276. Epiſcopus Veſprimienſis erat; etſi quandoque alios etiam honorem hunc tuliſſe certum eſt. Magiſter Akus Albenſis Cuſtos, quem Bela IV. in lit. 1249. (WAGNER *Analect. Scep.* I. 244.) *Cancellarium cariſſimæ conſortis* ſuæ nuncupat, primus eſt, qui mihi hoc inſignitus titulo innotuit.

4.) A Cancellariis iſtis & Vicecancellariis, quos hactenus enarravi, differunt *Notarii* & *Secretarii ſpeciales*, qui Regibus erant ab epiſtolis, quas horum ſigillo annulari muniebant *c*), quorumque rem privatam quodammodo procurabant. Contigit autem ſæpiuſcule ut mora locum non habente, ſigilloque publico & authentico, ob quamcunque demum cauſam abſente, literæ, quæ iſto communiri debuiſſent, tantiſper annulari, quale illud quoque fuerit, quo Carolus I. & Ludov. I. inter venandum utebantur *d*), firmatæ ſint.

5.) Ad rite explorandam veterum inſtrumentorum veritatem, utinam ſuppeteret nobis Cancellariorum Regni Hungariæ plenior & accuratior hiſtoria & catalogus illo, quem P. MART. SZENTIVÁNYI ſuo tempore contexere potuit *e*). Ad leges ſeverioris Criticæ idem concinnatus, prodire deberet, & multo plenior illo, & longe emendatior. Nec Vice-Cancellariorum ſyllabus negligendus eſſet, e quorum numero Albenſis Eccleſiæ tot erant Præpoſiti, ut fuerint, qui Cancellariam Regis ad Albenſem Eccleſiam pertinuiſſe rati ſunt *f*).

a) Vidi attamen literas anno 1417. ad *commiſſionem propriam* Barbaræ *Reginæ* ſcriptas, quibus Johannes Vice-

Vicecancellarius ſubſcriptus eſt, quin Barbaræ Reginæ nomen ſubſcriptum ſit. — In medio tergo aureæ bullæ Matthiæ I. Regis Sopronienſibus datæ, Secretarii editoris nomen monogrammate inſcriptum eſt, quemadmodum id in tergo bullarum pontificiarum ævi medii me ſæpius obſervaſſe memini. Deſideratur autem Matthiæ Regis manus propria.

b) (BAERNKOPF) *de Jure coronand. Reginar.* p. 4.

c) Eliſabetha conjux Ladislai Cumani in literis 1284. quibus Thomæ Epiſcopo Vacienſi, & ejus fratribus duas villas Comitatus Simegienſis, *ubi reginales Tavarnici morabantur*, contulit, ejusdem merita recenſens inquit: „ tempore — Belæ Regis — in „ aula regia *aprocryſiarii & ſpecialis notarii* meruit „ officium exercere, ſub *ſigillo & miniſterio annulari* „ *Regis & Regni negotiis* — inſudando. — Poſtquam vero — incl. Rex Ladislaus conſors noſter chariſſ. regalis faſtigii thronum conſcendit „ & arcem, idem — *Vicecancellariæ officio ante* „ *alios regalis Excellentiæ Clericos* — meruit inſigniri — conſequenter meruit conſcendere ad *apicem paſtoralem.* Licet autem divino eſſet adſcriptus obſequio in officio paſtorali; Moſis tamen „ exemplo — — demum vero — per conniventiam „ & inſtantiam Regiæ Maj. in *noſtræ Cancellariæ* „ officium ſublimatus, ſic ſe cet." Privileg. exſtat „ in MSS. HEVENESSI Tom. VV. p. 221.

d) PRAY *de vet. Regin. Hung. coronandi more* p. 37. WAGNER *Analect.* I. p. 132. 33.

e) In *Differt. paralipomenonica rerum memorab. Hungariæ*, quæ proſtat in ejus *Miſcellaneis curioſis & ſelect.* Dec. III. P. I. pag. 228. 29.

f) Epiſtola querula Capituli Alb. ad PP. Gregor. IX. in MSS. ST. KAPRINAI C. Tom. V. Nro. CX. conf. KATONA VIII. p. 566.

*) Sub Matthia Corvino in literis an. 1464. & 1466. duo eodem tempore celebrantur *Summi & Secretarii Cancellarii.* (KATONA XIV. 720. XV. 158.) Hoc quamvis factum præter omne exemplum non ſit, (MABILLON. p. 121. *N. Lehrgeb.* Tom. VII. §. 330.) attamen conjectura nonniſi rationem utriusque ad ſe invicem definire eſſet poſſibile, niſi BONFINIUS (Dec. IV. L. I. p. 429. edit. Poſon. 1744.) referret, quid gemini iſti Cancellarii potuerint. „ *Re-*

„ *gale*

„ *gale sigillum*, ait ille, *ex compacto senis mensibus*
„ *vicissim ab utroque gestatum: scribendi munus* sine
„ controversia *hoc modo — ambo gessere* " cet.

§. 195.

De loco, quo diplomata data sunt.

De loco, quo diplomata data esse scribuntur, & de testibus, qui in diplomatibus Regiis recensentur, prius dicendum aliquid esse putavi, quam ad temporum rationes explicandas progrediar. — Sedes Regum Hungariæ primæ stirpis, more sæculi & exemplo aliorum Regum *a*), nulli certo fixoque loco erat adstricta, aulaque illorum mobilis fuit atque ambulatoria. Hujusmodi vitam fere desultoriam cum Reges quoque Francorum agerent, plures usibus suis addixerunt *Villas* & *Palatia*, (castra) quo ex itinere commode divertebant, & ubi, dum opus erat, mox reipublicæ, mox animi recreandi causa, interdum longius etiam morati sunt. Sicubi deerant hujusmodi villæ & palatia, earum vicem supplebant *procurationes*, quas pendere tenebantur hospiti Regio personæ sacri profanique ordinis. Nec Germaniæ Reges ad sæc. XIV. sedem habebant stabilem, qui itidem provincias imperio suo obnoxias peragrando, palatiis & castris regiis pro hospitio usi sunt, solemniores anni dies in urbibus majoribus celebrantes, in magno procerum & nobilium ad se confluxu, quibus, sacris rite peractis, jus dicebant, quorumque consilio, & consensu in rebus definiendis, quæ ad publica civitatis commoda pertinebant, usi sunt. Diplomatum cujusvis generis, tali tempore & loco, magnum confectum fuisse numerum, me non monente quisque suspicabitur. Hoc ergo etiam respe-

reſpectu præclare de rei diplomaticæ ſtudio meriti ſunt, & MABILLONIUS (vel cui caput hoc elucubrandum dederat P. MICH. GERMANUS) & auctor Chronici Gottwicenſis, qui loca, quibus diplomata aliquando a Regibus & Imperatoribus data ſunt, notarunt, atque de villis, palatiis, curtibusque regiis cum cura commentati ſunt. — Eadem vero prorſus Regnum obeundi, ſedesque & caſtra (quæ ſæpe locis amœnioribus erant poſita, & ob contiguas prægrandes ſilvas venationi commoda) commutandi ratio, eademque dies feſtos majores recolendi conſuetudo, Hungariæ quoque Regibus familiaris fuerat, domicilio illorum non uni & ſingulari loco ad Carolum usque I. adſtricto. Nonnihil perſpicuitatis hinc articulus I. Decreti 1222. accipit, ubi „ *ſtatuimus,* inquit Rex Andreas II. *ut annuatim in Feſto S. Regis, niſi arduo negotio ingruente, vel infirmitate fuerimus prohibiti, Albæ teneamur ſolemniſare b). Et ſi nos intereſſe non poterimus, Palatinus procul dubio ibi erit pro nobis, & vice noſtra cauſas audiet, & omnes Servientes, qui voluerint, libere illic conveniant.*" Nec *deſcenſus* Regum in prædiis & villis Servientium (nobilium), quem art. 3. ejusd. Decr. prohibet *c*), & cujus memoria in ſexcentis privilegiis recurrit, porro obſcuri quid habere poteſt *d*). Initio tandem ſæc. XIV. Viſſegradum, quod Carolus Rob. delegit, perpetuum eſſe cœpit Auguſtorum Hungariæ Palatium. — Hinc Ludovicus I. imperii ſedem ſubinde Budam tranſtulit, quæ ad flebilem usque interitum Ludovici II. perpetuo fere Regum & Reginarum Hungariæ hoſpitio claruit. Budæ Vindobona ſucceſſit; unde Vien-

na

na Auſtriæ pleraque diplomata a Ferdinando I. ad hoc usque tempus data videas. Sigismundi Regis proſtant literæ & privilegia, Pariſiis, Ferrariæ, Conſtantiæ, cet. Hungaris conceſſa, cujus filia Eliſabetha vidua, Comaromio plerasque dabat literas. Rationem horum in Hiſtoria quæſiveris, quam viciſſim permultum illuſtrare deberent itineraria Regum antiquorum, diplomatum præcipue ductu digeſta & delineata. — Proſtant chartæ omni notatione loci deſtitutæ, quæ mox negligentiam Notariorum prodere videntur, mox loci nimiam obſcuritatem, quo ſcriptæ ſunt.

a) Non poſſum mihi temperare quin inſignem LUCII (*de Regno Dalmatiæ* cet. Lib. II. cap. XV.) de vetere iſta Regum conſuetudine locum huc tranſcribam „ Curiam Ducum & Regum (veterum „ Dalmatinorum & Croatorum) mobilem non ſi„ xam, fuiſſe ex Archidiacono & Datis privile„ giorum conſtat, quamvis — — Nonam reſiden„ tiam Ducum & Regum fuiſſe dici deberet — — „ tamen cum pauca privilegia Nonæ data reperian„ tur, multa autem in Sibenico, Civitate nova, „ Teneno, Belgrado ceterisque locis Croatiæ, vel „ penes eccleſias, prope flumina fontesque in lo„ cis campeſtribus; pro Aulæ commoditate Curias „ celebratas comprobatur, ſolemnioribus autem „ Curiis Regum, Epiſcopi Dalmatiæ & Croatiæ in„ terveniebant. "

b) Non adſentior illis, qui hoc loco Comitia Regni (Diætam) quotannis habenda decerni exiſtimant. Solemnisare enim hoc loco, cum formula juris ævi intermedii *ſolemnem Curiam celebrare*, idem eſt. Erant autem e. c. apud Gallos plures hujusmodi Curiæ ſolemnes, videlicet *curia ſolemnis Epiphaniæ, c. ſ. Paſchæ, c. ſ. Pentecoſtes*, quæ ſolemnem conventum in feſtis iſtis ſolemnioribus ſignificant, in quo Rex cum Majeſtate regia & hujus inſignibus (unde etiam *curiæ coronatæ* dictæ) coram Proceribus apparebat (MABILLON. p. 203.), qualis illa quo-

quoque eſt, quam aurea bulla Caroli IV. Imp. celebrandam præcipit. Quid in ſolemnioribus hujusmodi Conventibus, ſacris cum pompa peractis, regnique Baronibus officiis ſuis erga perſonam Regiam defunctis, agendum adhuc reſtiterit, id diploma Belæ IV. an. 1267. plane declarat, videlicet „ ut — de omnibus damnis & injuriis per quos„ cunque datis & illatis omnibus querulantibus ſa„ tisfiat. "

c) „ Nec in domos nec villas (Servientium) deſcen„ demus, niſi vocati. "

d) Stephanus V. in privilegio an. 1271. Scepuſienſibus conceſſo: „ cum nos Provinciam intrare acciderit — „ ipſi hoſpites (ita cives vocabantur, Slavi, Hunga„ ri, utplurimum autem Germani) noſtri nobis in in„ troitu dare tenebuntur diſceſſum (deſcenſum?) „ opulentum, & ſimiliter in egreſſu deſcenſum, „ (diſceſſum?) delicatum, noſtræ Celſitudini com„ petentem. " Levavit illos hoc onere Carolus I. 1328. ita tamen, ut illos ad 1400. marcas argenti ratione terragii dependendas adſtringeret, quos Privil. Stephani V. non niſi 300. ſolvere juſſerat. Sed nec ineunte jam ſæc. XV. civitates liberæ moleſta non minus quam honorifica obligatione iſta ſolutæ erant; quibus Sigismundus adhuc Decr. II. 1405. art. 13. præſcripſit, quam laute ipſe, reginalisque Claritas, & reliqui itineris regii comites, a civibus — ni privilegio eſſent exemti — haberi vellent.

*) Privilegium Andreæ II. Regis in monte Thabor confectum, quod WERBOECZIUS in *Tripart.* Part. II. Tit. 14. §. 13. commemorat, & quod ſuo adhuc tempore in Comitatu Honthenſi conſervatum fuiſſe narrat, ut quondam e doctiſſimo viro P. CAROLO KOPPI († 1801,) qui illud ſe inſpexiſſe dicebat, didici, adhucdum in Tabulario vetuſtiſſimæ gentis Palaſthianæ ſupereſt. Quod, ſiquidem uni e majoribus hujus in præmium rei bene geſtæ datum, eundem Jobagyonibus Caſtri Hunthenſis adſcriptum fuiſſe neceſſe eſt; etenim legi aliquando diploma Regis Ladislai Cumani an. 1281. quo Almum & Fabianum filios Guze de Paláſt ab onere Jobbagyionatus Caſtri ſui Hunthenſis exemit; nec non Caroli Roberti an. 1327. quo Georgius filius Lipthow de Paláſt cum fratribus ſuis itidem e Jobbagyionatu

tu Caſtri Hunthenſis exemti, atque nobilibus (ſervientibus) Regni aggregati ſunt.

§. 196.

Teſtes in Diplomatibus Regiis.

In Diplomatibus Regum Hungariæ poſt Regum nomina & titulos, qui in prologo fulgent, ſine dubio vel maxime ſolemnis (ſæc. XI. XII. interdum eidem prologo inſerta) pars illa epilogi eſt, quæ Epiſcoporum, Regnique Baronum, ceu teſtium voluntatis Regiæ, nomina & honores, nullo crucis aliove ſigno præmiſſo, recitat. Non recenſentur autem illi promiſcue in omnibus Regum literis, verum, prouti Romanor. Pontificum bullæ, quas *conſiſtoriales* vocamus tantum, a Cardinalibus ſubſcriptæ ſunt: ita Epiſcopi & Barones Regni Hungariæ non niſi in Decretis & privilegiis, ad omnem ſolemnitatem compoſitis, ſunt obvii. Huc porro nunquam ipſi manuque propria ſua intulerunt nomina, quæ ſive *præſentes* eſſent, ſive *abſentes*, Notarius potius idem inſeruit, cujus manu contextus inſtrumenti reliquus deſcriptus eſt. Equidem primis regni temporibus præſentes illos conſilio Regis, (e. c. in curiis ſolennibus) cum argumentum hujusmodi diplomatum diſcutiebatur & definiebatur, interfuiſſe non eſt dubium *a*); poſtmodum vero *abſentes* etiam *b*), ſi Comitiorum Decreta eximas, honoris, memoriæ veteris, temporis notandi, majorisque omnino ſolemnitatis cauſa privilegiis ſubſcripti occurrunt, ſubſcribunturque adhucusque, ita quidem, ut ſeriem continuam, qua ſe excipiunt, aperiant Archiepiſcopi & Epiſcopi, (etiam vacantibus ſedibus interjectis) ſequantur demum Regni Palatinus cum reliquis

Regni

Regni Baronibus, (ordine in vetustis membranis sæpe variante, neglecto si quodpiam vacabat Baronatus officio) recensionem demum testium claudant unus alterque (Supremorum) Comitum, utplurimum Posoniensis, subjecta formula: *& aliis quam plurimis*, (vel *aliisque compluribus*) *Comitatus Regni nostri tenentibus & honores.* Exemplum in appendice inspicias. Hoc unusquisque videt, e simili testium elencho, nova quotidie erui debere, quæ ad Historiam Hierarchiæ Hungaricæ, familiarumque antiquissimarum decus demonstrandum pertinent; estque, vel hoc respectu, magnopere omnino dolendum, quod Episcopi, (etiam Abbates & Præpositi) Hungariæ sæc. XI. & XII. more tunc etiam alibi recepto (*N. Lehrg. der Diplom.* T. IX. §. 1026.) sedes suas rarius expresserint, Barones vero sæculares multo adhuc longius cognomina sua reticuerint.

Omnes, quæ in Capitulis & Conventibus fiunt expeditiones, a *Capitularibus* & *Conventualibus* (*fratribus*) subscribi debent. Id exigit lex novella 1723. art. 10. Fiebat id olim, ut vel e Decreto Regni 1492. art. 44. apparet, negligentius; in literis statutoriis attamen, præcipue si traditionem castrorum & dynastiarum referebant, nec non literis majori pendenti sigillo munitis (privilegialibus) diligentius, quam in aliis literarum generibus. Opus hoc iterum Notariorum erat, qui in Capitulis *Lectores* dicti sunt. Honoris causa addebant isti Capitularium & Conventualium syllabo, interdum memoriam etiam regnantis Principis, Archiepiscoporum, suique Prælati (*Ecclesiæ currum aurigante N. reverendissimo Abbate*; vid.

N. Lehrgeb. der Dipl. T. VIII. §. 265. not. D.) vel Episcopi, sed hoc rarius. Sæculo XV. vulgaris hæc fere erat Capitulorum formula: *Datum per manus venerab. viri Domini T. Lectoris & Canonici — Præsentibus N. Cantore &c.* vel: *præsentibus honorabilibus Dominis, N. Cantore, N. Custode, nec non Magistris N. N. N. ceterisque Canonicis fratribus nostris, in Dei Ecclesia jugiter Regi famulantibus sempiterno* „ vel: *Deo in Ecclesia prædicta jugiter famulantibus* " In antiquioribus chartis simplicior fuit illa aliquantum, atque brevior: e. c. *Datum per manus Magistri Petri Lectoris Quinqueecclesiensis, anno gratiæ* 1191. *mense Martio, Jurcone Cantore, Teodoro Custode, Wenczlao Decano, ceterisque quam pluribus ibidem existentibus.* SPIESZ l. c. P. I. p. 142.

a) Ut subscriptiones proprie tales in privilegiis antiquissimis prætermittam, testantur hoc formulæ: *Datum præsentibus — — in præsentia Episcoporum & Comitum quorum nomina hæc sunt* — vel, ut Steph. III. literæ quas autographas inspexi habent: *coram quibusdam Primatibus, videlicet:* — Sed quod præsentes tantum subscripserint, perpaucos in antiquis privilegiis interdum expressos videas. —

b) Magna ubique in Europæ archivis superest instrumentorum etiam privatorum copia, in quibus testes ut præsentes nonnisi adducuntur, quin manu propria sua nomina subscripserint. Origo moris e lege romana repetenda est, quæ *nullam esse differentiam statuit, utrum subscripsissent testes, an præsentibus eis instrumentum compositum esset.* Vid. *N. Lehr Geb. der Diplom. VII.* §. 183. „ Adscribebantur „ vero in notitiis privatis testium nomina — in- „ quit MABILL. p. 232. — ut emergente contro- „ versia consuli potuissent in annos triginta, quo „ temporis spatio legitimæ possessionis titulus præ- „ scriptione inducebatur. " Commemorantur adhæc ibidem interdum testes per *aurem tracti*, per *aurem conducti* (testes auriti), immo & pueri, quos memoriæ causa plagis cædere moris erat. „ Qui

„ (puer)

„ (puer) cum requireret, cur ſibi permaximum „ colaphum dediſſet? Reſpondit: quia tu junior me „ es, & forte multo vives tempore, eriſque te- „ ſtis hujus rationis, cum res popoſcerit" MABILLON *Ann. Bened.* T. IV. ad an. 1134. p. 393.

§. 197.

Ad notas chronologicas, ſeu data quæ vocant diplomatum (ſunt qui *datum loci* a *dato temporis* diſtinguunt) explicanda jam progredior, materiam ſcitu omnino neceſſariam illis, qui monumenta ſcripta ſuperiorum temporum qualiacunque intelligere, atque explicare cupiunt. De loco & tempore, quo quid actum eſt, prima eſſe debet inquirentis in rei veritatem quæſtio. Accedit, in temporum notis adſcribendis, ſæpius quam alibi, ſe prodidiſſe falſariorum imprudentiam & nefariam aliis imponendi libidinem; quod ceu mendaces, ubi ad tempus diplomatis confingendum jam perventum erat, mendacii parum memores, ab eo, quod prius ſtatuerant, turpiter deflexerint. Quo difficilius autem caput hoc videri pluribus poteſt, eo plura nobis ſubſidia ad illius intelligentiam ſuppetunt; præter illos enim, qui vel in Matheſi, quam applicatam dicimus, de temporum aſtrorumque ratione diſputarunt, vel ſingularibus etiam operibus in temporum decurſus commentati ſunt, e. c. PETAVIUS alii; — fuerunt etiam, qui magno labore & diligentia faſtos inprimis ævi medii, accommodate ad artem diplomaticam interpretati ſunt. Hos ergo conſulet, qui plura, quam hic daturus ſum, deſideraverit.

Chronologia diplomatica.

*) Auctores, qui omnem Diplomaticam complectuntur, non poſſunt non rem chronologicam ævi medii attin-

 ge-

gere etiam. Illorum autem, qui libros singulares de Calendariis potissimum medii ævi emiserunt, præcipui sequentes sunt:

CHR. GOTTL. HALTAUSII *Calendarium medii ævi, præcipue Germanicum, in quo obscuriora mensium, dierum festorum ac temporum nomina, ex antiquis monumentis illustrantur — in usum Historiæ, ac rei diplomaticæ.* Lips. 1729. & 1772. 8.

J. JAC. RABE (✝ 1798.) *Calendarium festorum, dierumque mobilium perpetuum, in usum Chronologiæ historicæ.* Onoldi 1735. 4.

L'Art de verifier les Dates des Faits historiques, des Chartes, des Chroniques, & autres anciens monumens; nouvelle edition, revue, corrigée, & augmentée par un religeux Benedictin de la Congregation de S. Maur. a Paris 1770. 2. Voll. in Fol. Editio tertia eximii hujus operis, Parisiis 1783. volumine tertio auctior prodiit. Pro compendio hujus haberi quodammodo potest:

ANT. PILGRAM *Calendarium chronologicum, medii potissimum ævi monumentis accommodatum.* Vien. 1781. 4

JOS. HELWIG'S *Zeitrechnung zu Erörterung der Daten in Urkunden für Deutschland. Wien* 1787. Fol.

Quibus addi possunt insignes duo libelli rem chronologicam etiam medii ævi illustrantes:

JOS. CHRISTOPH. GATTERER'S *Abriss der Chronologie. Götting.* 1777. 8. &

Anleitung zur Zeitkunde; herausgegeben von GEORG *Freyh. v.* VEGA. *Wien* 1801. 8.

§. 198.

Calendarium Julianum & Gregorianum.

Calendarium emendatum, quo hodie utimur, *Gregorianum* appellamus, *Julianum* (a Julio Cæsare, ad quem cum simul Pontifex esset maximus, fastorum cura pertinuerat) vocatur illud, quo veteres per decursum ævi intermedii ad annum usque 1582. usi sunt. Utriusque a se invicem discrimen nosse nostra interest. Absolvebatur autem annus Julianus diebus 365 + 6. horis, fuitque anno vere solari (cum Astronomia celeberr. LA LANDII edit. 1792 dies

dies 365 + 5. horis + 48′ + 48″ tribuit) 11′ + 12″ longior. Hæc differentia quamvis ad speciem levis esse videatur, major attamen post plurium sæculorum decursum, atque molesta existere debuit. Enimvero summa illius excrementi ab anno post C. N. 325. quo Patres Concilii Nicæni id, quod hactenus redundabat, resecasse creduntur, ad annum usque 1582. summæ 10. dierum par, æquinoctium vernale verum, quod dicti Patres semper 21ma Martii fore rati sunt, ab hoc suo limite ad 11mam usque Martii jam retraxerat; ut metuendum adeo fuerit, ne excremento illo continuo adolescente, Pascha, quod e decreto Concilii Nicæni celebrari debet die dominico, sequente plenilunium ab æquinoctio verno proximum, progressu temporis in Januarium Februariumque, & longius adhuc recidat. Hinc tolli prius insignis illa differentia debuit, caveri deinde, ne unquam amplius eadem temporum rediret confusio. Utrumque præstare conati sunt Astronomi, (inprimis ALOYSIUS e gente LILIA) quorum opus Pontifex Gregorius XIII. bulla (*Inter gravissimas*) an. 1581. sexta Kal. Martii hanc in rem edita, (vid. *Bullarium roman.* edit. COCQUELINES Tom. IV. P. IV.) abrogato veteri seu Juliano Calendario, in omnibus christianis civitatibus substitui voluit. Fuerunt, qui mandato huic obtemperantes, modo in bulla præscripto, ejectis mense Octobri anni 1582. (qui annus correctionis dictus est,) decem diebus („ inclusive a tertia Nonarum usque ad pridie Idus“) Octobris 4to, continuo 15tum succedere passi sunt; fuerunt, qui id facere distulerunt longius *a*). Hungaria ad annum 1588. usque cunctata est,

nec nisi Comitiorum auctoritate ad dimittendum Calendarium priscum moveri potuit. Hoc modo æquinoctium vernum ad sedem suam pristinam (21. Martii) reductum est: unde, ne unquam ab excessu anni Juliani supra solarem dimoveri possit iterum, (excessus ille intra annos 400 est = 3 d. 2 h. 40′) decretum est, ut inter annos sæculares quartus tantum quisque bissextilis esse debeat *b*). Hinc vero factum est, ut e. c. a Russis, quibus Calendarium vetus adhuc placet, hoc sæculo jam diebus 12. dissideamus *c*); cum anni 1700. 1800. illis intercalares, nobis communes fuerint: anno 1900. unitate crescet ista eadem differentia iterum, non item anno 2000. quippe qui utrisque bissextilis erit.

a) Evangelici in Germania, Britannia, Suecia, cet. Calendarium Gregorianum ad sæc. usque XVIII. non admiserunt. Græci vero cum uniti, quos dicimus, tum disuniti in Hungaria, ad hoc usque tempus Calendarium vetus e privilegio retinent.

b) Superabit ergo annus Gregorianus solarem post 400. annos h 2. 40′ post annos 3600. vero die 1. Ad hoc discrimen tollendum, conservandamque utriusque anni concordiam, annus 5200. e lege Greg. Calendarii bissextilis, communibus accensendus erit. Conf. *Anleitung zur Zeitkunde* §. 26.

c) Est autem operæ pretium hanc *styli veteris* a novo notare differentiam, quam in fœderum tabulis & annalibus, hac formula vulgo expressam videris: Elisabetha Ruff. Imp. mortua est : $\frac{1761.\ 25.\ Dec.}{1762.\ 5.\ Jan.}$

§. 199.

Anni exordium.

Non omnibus ætatis intermediæ populis christianis idem erat anni principium; statuebantur potius plures, ab aliis alii, anni communis

munis termini, qui in temporum rationes inquirentibus persæpe crucem figunt. Sed neque mirum est Christianos a diversis diebus festis anni cepisse auspicia, cum aliis dies incarnationis Dominicæ, seu Festum annunciationis B. V. aliis dies Domini natalis, aliis resurrectionis illius, (e. c. Gallis sæc. XIV.) aliis iterum circumcisionis, seu vetus annum exordiendi ratio, per Jul. Cæs. a Calendis Januariis ducta, videri poterat solemnior atque commodior. Senatus Venetus ad novissima usque tempora Calendas Martii pro anni ineuntis termino habuit. DIONYSIUS equidem EXIGUUS, Abbas Romanus, qui sæc. VI. primus æram christianam vulgarem eruderavit, per BEDAM VENERABILEM subinde in libros annales introductam, postea in Regum & Imperatorum diplomata etiam admissam, initium anni ab incarnatione Domini, seu 25ta Martii repetiit: ejus attamen auctoritas nihil obstitit, quominus alii alios anni terminos constituerent. MABILLON *de Re dipl.* Libr. II. cap. XXIII — XXVIII. "

*) Bullæ Pontificum, quæ materias graviores spectant, annos computant ab incarnatione; ita tamen, ut in bullis vetustis non item recentioribus, sæpius annus incarnationis a nativitate Domini desumatur. Poterat ergo Concilium Tridentinum absolvi 4. Dec. 1563. confirmari autem die 26. Januarii ejusdem anni 1563. nec anni posterioris emendatione vel potius corruptione opus erat, cujus sereos fecerunt, stylum romanum ignorantes editores Concilii dicti Colonienses anno 1587. — FONTANINI *Vindiciæ antiquor. Diplomatum* p. 248.

§. 200.

Apud Hungaros prioribus post S. Stephanum sæculis, Natalis Domini, vel huic proxi- Anni exordium apud Hungaros.

 mus

mus primus Januarii dies annum aperuit. Equidem antiquiſſima Regum Hungariæ diplomata ad Belam IV. usque conſtanter in tempore notando annum incarnationis J. C. commemorant, ut ultra formulam vulgarem illam: *Datum anno ab incarnatione Domini* nihil inquirens, principium anni apud veteres Hungaros cum HELWIGIO a die 25. Martii facile repetat, idemque non niſi indice formula, a fine ſæc. XIII. iterum vulgari, *anno Domini* cet. in die 25. Dec. vel 1ma Januarii defigat *a*). At mihi rem longius ſcrutanti, in inſtrumentis domeſticis vetus formula incarnationem Domini referens, cum abbreviata illa annum Domini exhibente, ejusdem poteſtatis eſſe videtur, utraque vero nativitatem Salvatoris ſeu 25. Decembr. cui progreſſu temporis in anno auſpicando Calendæ Januariæ ſubſtitutæ ſunt, reſpicere. Obtinuiſſe vero hanc normam loquendi, annosque computandi in Hungaria, ROGERIUS teſtis eſt; qui in *miſerabili Carmine* cap. XIV. inquit. „ Anno igi„ tur Domini (paulo antea eundem annum „ 1242. ab incarnatione Domini nuncupaverat) „ *evoluto*, — *circa nativitatem Domini*, fama „ fuit cet. " — THUROCZIUS fatalem Carolo parvo diem indicturus ait: „ Erant tunc rigi„ di menſis Februarii dies — *dominicæque in*„ *carnationis* mille trecentos octoginta poſt an„ nos quintus *novo volumine* currebat " cet. Utrum hoc loco 25. Dec. vel potius I. Jan. anni initium ſtatuatur, dubitari poteſt, quod tempore coronationis Alberti Regis 1438. a Calendis Januariis Hungaros duxiſſe, ex eodem THUROCZIO certum eſt: „ Albertus, inquit ille, „ *prima novi tunc ſubſequentis die anni, domi-*

„ *nicæ*

„ *nicæ ſcilicet circumciſionis* celebri *in feſto* — —
„ exſtitit coronatus.“ Neque vero hic uſus loquendi Hungaris tantum erat proprius; proſtant enim ævi illius inſtrumenta cum e curia Romana, tum in Germania edita *b*), quæ quamvis annis incarnationis inſignita ſint, a Natali Dominico tamen annum paſſim incipiunt. Diplomata ſæc. XI. & XII. plura apographa, hac chronotaxi ſervata, feliciter, ubi opus erat, emendarunt RR. VV. PRAY, inprimis KATONA *c*). Huc adhuc pertinet illud, in antiquiſſimis Feſtorum Hungariæ recenſionibus, non a 25. Martii, ſed 25. Decembris vel 1ma Januarii fieri exordium *d*). Non obſtare poteſt igitur diverſitas formularum anno ab *incarnatione Domini*, & *anno Domini*, quæ poſterior compendioſe priorem exprimit, quarum utraque antiquiſſimi annales domeſtici apud THUROCZIUM promiſcue utuntur, & quæ in chartis etiam & diplomatibus ſæculi XIII. (a Belæ IV. tempore) & XIV. nullo diſcrimine habito ſunt adhibitæ *e*).

a) HELWIGIUS l. c. p. 67. 68. inter utramque annos conſignandi rationem, annum 1259. terminum normalem intermedium conſtituit; ad aſſertum autem comprobandum, nihil præter diverſitatem verborum in utraque formula attulit.

b) MABILLON l. c. p. 173. 186. DUFRESNE voc. *annus*. MURATORIUS in *Antiqq. Ital.* Tom. III. p. 779.

c) Id mirum eſt, RR. KATONA, e cujus Hiſtoria critica me multa didiciſſe ultro lubensque fateor, in tempore definiendo, collatis Scriptorum inter ſe teſtimoniis, diverſam apud diverſas nationes annum auſpicandi conſuetudinem, interdum minus, quam lector exſpectaſſet, urſiſſe: e. c. Tom. XI. p. 433.

d) In Synodo Szabolchenſi ſub S. Ladislao Rege anno 1092. habita, Canone 38. dies feſti per Hungariam celebrandi enumerantur, quorum primus eſt *Nati-*

vitas

— *vitas Domini.* Vid. Decr. S. Ladisl. in *Corp. Jur. Hung.* & apud PETERFI in *Conciliis R. H.* P. I, p. 34. Gertrudianum porro Calendarium, quo S. Elisabetham Andreæ II. filiam usam esse dicunt, (exstat in Com. FRID. ALTHAN libro *de Calendariis*, Venet. 1753. 8.) a circumcisione Domini anni & festorum desumit exordium. PILGRAMUS l. c. pro diœcesi aliqua Germaniæ illud concinnatum esse censet; Germaniæ certe provinciæ pleræque, juxta cum Hungaris annum 25. Dec. orsæ sunt. ECKHARD *Introd. in rem diplom.* p. 178.

e) Vide diplomata Caroli Rob. anni 1310. apud NIC. SCHMITTH in *Episc. Agr. I.* p. 220. & anni 1312. in CAR. WAGNER *Analectis Scepusii I.* 120. Ab eodem WAGNERO p. 313. diploma recitatur Scepusiensis Capituli, editum *anno incarnationis Domini* 1323. Vidi ipsemet aliquando literas, quarum introitus erat: *Nos Thomas Waivoda Transilvanus significamus — quod cum anno incarnationis Dominicæ MCCCXL secundo, in quindenis festi B. Georgii* cet. Quid? Quod Ludovici I. Regis literæ annos incarnationis interdum commemorent, e. c. Datum *anno verbi incarnati* 1346. in die cœnæ Domini. KAPRINAI MSS. C. Tom. V. Nro. 18.

§. 201.

Indictio. Ante annos incarnationis, Latinis Romano imperio subjectis, in usu erant *Consulatus* inprimis & *Indictio.* Et a ratione quidem secundum Consules, annos suos computandi, difficulter desueuerunt Romani; indictio vero jam æra christiana recepta, diutissime adhuc cum inter reliquos Europæ populos, tum Hungaros etiam, saltem prioribus sæculis viguit *a*). Est autem *Indictio* cyclus seu spatium quindecim annorum Julianorum perpetuo in se rediens, cujus initium reductum ad æram christianam, hanc tribus annis antevertit. Ad annum ergo Christi in diplomate expressum tribus additis, summaque per quindecim divisa, residuus

duus numerus indicabit, quotus annus Chriſti reſpondeat indictioni, quam diploma habet. Idem memorialium verſuum ſenſus eſt:

Si per quindenos Domini diviſeris annos,
His tribus adjunctis, indictio certa patebit.
Si nihil excedit, quindena indictio currit.

Triplicem autem vulgo diſtinguunt, *conſtantinopolitanam* ſeu *graecam*, Imperatoribus Orientis & Scriptoribus Hiſtoriæ Byzantinæ propriam, quæ a Calendis Septembris conſurgit; *conſtantinianam* (a Conſtantino M. procul dubio ita dictam, cujus imperio indictionum omnium uſus vix eſt antiquior) ſeu *cæſaream*, Germaniæ Auguſtis aliquando familiarem, quæ ab VIII. Calend. Octobris (24. Sept.) & *pontificiam* ſeu *romanam*, quæ a calendis Januarii proficiſcitur, a Pontificibus rom. ſaltem pleriſque frequentata. Variant autem in actis & diplomatibus ævi medii indictionum genera varie, tam in Gallia & Romæ, *b*) quam in Hungaria. In diplomate S. Stephani 1001. indictio vel græca, vel quam cæſaream dicunt, intelligenda eſt; in aliis inſtrumentis domeſticis communiter pontificia obtinet. Inſcripta eſt adhæc multis literis ævi illius, (e. c. quibusdam quas LUCIUS vulgavit,) præcipue apographis, falſa indictio *c*). Singulare vero indictionis vitium eſt illud, quod non paucas irrepſit literas, quæ anno X. Pontificatus Innocentii III. ſcriptæ ſunt. Cum hoc enim anno certum eſt indictionem decimam convenire, & tamen in pluribus anni dicti, nimirum Pontificatus decimi, epiſtolis, pro decima indictione, errore ſcribæ nona ponitur. MABILLON l. c. p. 623.

c) S.

a) S. Stephani & Regum subsequentium sæc. XI. & XII. diplomata complura indictionem habent pro nota temporis: e. c. Datum anno Domin. incarn. MI. *indictione* XV. — Datum (dipl. fund. Episc. Quinqueeccl.) X. Kalendas Sept. *Indictione* VII. anno Domini MIX. In publicorum Notariorum instrumentis hæc tempus notandi ratio longissime obtinuit, e. c. „ Omnibus — pateat evidenter, quod „ anno a nativ. Domini 1387. *Indictione decima*, die „ vero 7. mensis Nov. hora tertiarum, Pontifica- „ tus " &c.

b) MABILLON. l. c. p. 179. conf. DUFRESNE voc. *Indictio.*

c) Vid. passim Tomulos *Hist. Crit.* ST. KATONA. Conf. PILGRAM l. c. p. VII.

§. 202.

Alii characteres chronologici.

Præter indictionem exstant in chartis ævi intermedii, præcipue illis, quæ res ecclesiæ respiciunt, varii adhuc characteres chronologici, videlicet *Epactæ*, *Concurrentes*, *Terminus paschalis*, alii. Inductionem istorum characterum MABILLONIUS putat duabus ex causis accidisse. Prima, ne facili negotio notæ chronologicæ falsis diplomatibus ab imperitis supponerentur; secunda, ut Notarii peritiam suam ostentarent in arte computi, quæ ars magnopere tum venditabatur, & a Clericis ordinandis exigebatur a). Quamvis igitur diploma quod temporis nota caret, repudiandum statim esse non existimem, præ aliis tamen severiori censuræ obnoxium sit, necesse est. KOLLERUS (*In Hist. Ep. Q.* T. II. p. 93.) domestica instrumenta sine die & consule edita plura commemorat, quorum aliqua nec mihi ignota sunt.— Ceterum primorum non nisi Hungariæ Regum temporibus consuetudo notas illas coacervandi viguit, quæ subinde sæculo XII. ad finem vergen-

gente & initio XIII. e diplomatibus regiis majori ex parte extrusæ, aliis locum fecerunt notis temporum, quas jam summatim attingere hujus loci est. Cum vero vetustissima diplomata, juxta cum nationibus aliis, pleraque secundis tantum curis descripta habeamus, cavendum erit omnino, ne ob leve Indictionis, Epactarum, aut Concurrentium vitium diplomati falsitatis notam affingas. Nullibi quam in numeris describendis facilius labimur.

a) Placitum S. Ladislai Regis an. 1093. (KATONA l. c. II. p. 628.) his notis chronicis a Capellano Regio destinctum est: *Anno Dominicæ incarn. millesimo nonagesimo tertio, Epacta XX. Concurrentibus V. Indictione I. Dominica resurrectionis, quindecima Kalendas Maii.* Aliud Colomanni Regis diploma (LUCIUS l. c. p. 114.) datum est: *anno Dom. incarn. MCXI. Indict. IV. Epacta IX. Concurrentibus* (6.) Originale diploma Belæ cœci, (Tab. II. Nro. 2.) ita terminatur „ *Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis* MCXXXVII. epacta XXVI. concurr. IIII. celebrato pascha III. idus April.

§. 203.

Dierum subscribendorum in chartis & libris ævi medii non una ratio observata fuit; in illis enim adnotandis, cancellarii & auctores, primum quidem calendarium Romanum, subinde ecclesiasticum, tandem nostrum dies exprimendi morem secuti sunt. Sed nec illa menses partiendi, diesque computandi consuetudo omittenda est, quæ non Italis modo & Gallis, verum provinciis etiam Hungaris Italiam respicientibus aliquando placuit; qua nimirum menses in duas distinxerunt sectiones, sumto primæ mensium partis initio, a primo mensis die, alterius vero a decimo sexto. Prior men-

De mensibus, & diebus.

menſis ita diviſi pars dicebatur *menſis intrans*, poſterior *menſis exiens*, *ſtans*, vel *ceſſans*. Diverſus autem fuit utriusque partis numerandæ & computandæ modus. Nam prima menſis pars ordine conſueto dinumerabatur, ſumto a primo ejusdem die principio usque decimum quintum: altera autem, ſumto ab ultimo menſis die initio, ordine retrogrado, non a calendis & a primo ſuccedentis menſis, ut apud Latinos; ita ut decimus ſextus fuerit ultimus ſecundæ partis. Vid. DUFRESNE *Gloſſarium* voc. *menſis exiens*. Ex LUCII l. c. hæc duo exempla adfero: *In Chriſti nomine amen. Anno incarn. ejusdem* 1284. *Indict.* 13. *die* 11. *intrante menſe Decembris.* — *Anno Dominicæ incarnationis* 1243. *Indict.* 2. *menſe Novembr. die* 3. *exeunte.* — Nec exempla deſunt, in quibus ſolius menſis, neglecto dierum numero, fit mentio: e. c. „ Ego „ Stephanus (II.) — anno Dominicæ Incarn. „ 1124. indict. 2. *menſe Julio*, *nono anno regni* „ *mei* “ vel diei tantum, e. c. „ Ladislaus (Cum.) „ cet. datum in Zolum, *quinto die S. Regis Ste-* „ *phani.* “ — Sed hæc rarius.

§. 204.

Calendarium Romanum.

E ſcholis Calendarium Romanum mature in diplomata, & annales medii ævi traductum eſt. Et in illis quidem, a Caroli M. tempore, fere dominatum eſt ita, ut uſus ejus in aliis regnis maturius, in aliis ſerius intermiſſus fuerit. In Hungaria ſæc. XIII. uſus Calendarii Sanctorum inolevit quidem, attamen ſæc. XIV. & XV. etiam, non pauca exſtant diplomata, in quibus more Romanorum priſco menſes diesque adhuc connotatos cernimus. In libris grammati-

maticis, nec non lexicis quibusvis expositum illud videas, cujus constructioni hic longius immorando, vix operæ pretium facerem. Nemo non meminit, duodecim illud complecti menses, quorum si mensuram vel e versibus hisce tibi cognitam habeas:

Junius, Aprilis, September, itemque November
Ter denos numerant, uno plus quilibet alter
Mensis; vicenos tantum Februarius octo.
At si bissextus fuerit, superadditur unus,
Et nunc bissexto MartI conscribe Calendas.

ex sequentibus reliquum structuræ Calendarii Romani patebit artificium:

Prima dies mensis cujusque est dicta Calendæ;
Majus sex Nonas, October, Julius, & Mars;
Quatuor at reliqui. Dabit Idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnes dic esse Calendas,
Quas retro numerans, dices a mense sequente.

Experientia vero docti, quam impeditus sit usus Calendarii latini, ignoscamus Notariis & librariis medii ævi, qui in illius usu sæpe lapsi sunt *a*). TROMBELLI (*La Diplomatica*, p. 80.) putat, in chartis genuinis loco formulæ *pridie Calendas* sive *Calendarum*, intra annos 1000 — 1400. constanter *secunda Calendas*, *secunda Nonas* cet. scriptum esse. Mihi vero ad manus est originale diploma Caroli Rob. ab omni fraudis suspicione liberum, datum anno Domini M. CCC. decimo quinto, *pridie Nonas Januarii b*).

a) Legi Ludovici I. literas scriptas *octava Nonas Novembris* 1369.

b) Idem Carolus patrimonium Feliciani regicidæ, donavit Joanni filio Alexandri filii Cselén vices gerenti Magistri Dapifer. Dominæ Reginæ, *pridie Calendarum Martii* 1336. Vidi & tertium adhuc instrumentum datum *pridie Idus* Maii 1324.

§. 205.

§. 205.

Calendarium ecclesiasticum.

Jam sæculo XII. quamquam, ut communiter fere fit, initio rariuscule, in diplomatibus cum publicis tum privatis, tempora nominibus Sanctorum & dierum dominicorum distingui cœpta sunt; subinde vero sæc. XIV. XV. XVI. vulgaris fuit ista, dies a festis Sanctorum & Dominicis computandi ratio. Erat nempe hæc sacerdotibus, e quorum classe Cancellarii desumebantur, familiaris; eademque Regibus etiam, qui inter anniversaria festorum solemnia, plurima elargiebantur privilegia, se non quæsita offerre debuit. Id mirum videri potest, Pontifices Romanos in suis bullis abstinuisse hoc dies computandi more, quippe qui in illis constanter fastis Romanis usi sunt. Est vero Calendarium ecclesiasticum alterum *festorum mobilium*; alterum *immobilium* seu *fixorum*. Festa *immobilia* seu *fixa* sunt, quæ quotannis in eosdem mensium dies cadunt. Huc pertinent omnia illa, quæ Sanctis & Martyribus sacra sunt, dies item nativitatis Christi, circumcisionis, alii. *Mobilia* contra appellantur, quæ non eodem mensis die semper recurrunt, verum una cum die paschatos porro retroque moventur. Ejusmodi sunt omnes dies dominici, Bachanalia item, dies Cinerum, Viridium, Parasceves, Ascensionis, Corporis Christi, *cet.* Intelligi hæc cum ratione nequeunt, nisi cycli solaris & lunaris veterum brevis præmittatur notitia.

§. 206.

Cyclus literarum Dominicalium.

A longissimo inde tempore, potissimum in Occidente, singuli hebdomadis dies primis alpha-

phabeti characteribus A. B. C. D. E. F. G. designabantur, litera A. diei cujuslibet anni primo propria. Quæ ita diei dominico anni primo obtingebat, *Litera* vocabatur *dominicalis*, distinguens omnes etiam reliquas anni dominicas. Fuit autem, hac semel constituta, facilis ceterarum literarum dispositio, quæ serie continua per dies hebdomadis decurrebant reliquos, dominicalibus literis retrogrado ordine *a*), se excipientibus. Utræque e mente Dionysii, qui illas in Calendarium Julianum introduxit, post annos 28. in eosdem dies reciderunt iterum, idemque literarum ordo procerto rediit. Hinc *Cyclus Solis* natus est, vel *Cyclus* potius *literarum dominicalium* hodieque usitatus, definitus 28. annorum numero, cujus retroacti initium, in nonum ante æram christianam annum, eumque bissextilem incidit. Literæ scilicet eædem in eosdem hebdomadis dies quotannis restituerentur, si annus solaris 364. diebus absolueretur, seu rotunde 52. septimanas caperet. At quia annus communis 365. dies censet, ideo anno quolibet exacto, litera quævis in sequentem diem promoveri debet; hocque modo literæ dominicales post annos septem ad primas suas sedes redirent iterum. Cum autem quilibet annus bissextilis sit 366. dierum, qui 52. hebdomadas & duos dies complectitur; hinc fit, ut anno quovis quarto literarum dominicalium ordo denuo perturbetur; qui non nisi post 7. 4 = 28 annos restituitur. In anno communi, una eademque litera dominicalis per totum annum valet; sed in anno bissextili duæ literæ dom. requiruntur, quarum altera dies dominicos ante 24. Febr. signat, al-

tera vero ſequentes indigitat. Tabella hæc omnia demonſtrat clarius.

1.	GF.	8.	E.	15.	C.	22.	A.
2.	E.	9.	DC.	16.	B.	23.	G.
3.	D.	10.	B.	17.	AG.	24.	F.
4.	C.	11.	A.	18.	F.	25.	ED.
5.	BA.	12.	G.	19.	E.	26.	C.
6.	G.	13.	FE.	20.	D.	27.	B.
7.	F.	14.	D.	21.	CB.	28.	A.

Vix opus eſt, ut modum, quo invenitur, quotum in cyclo ſolis locum annus Chriſti datus teneat, oſtendam; qui, ut ex paulo ante dictis intelligitur, 9. additis & 28. diviſus, reſiduum relinquit, quod anni dati cyclum ſolarem, huicque in tabella appoſitam dominicalem literam indigitat. Si nihil ſit poſt diviſionem reliqui, 28. cyclus ſolis eſt. — Cyclus hic ſolis in annis Julianis perpetuus, anno 1582. diebus decem ejectis, reformatus eſt, ſubſtituta litera dominicali C. in locum dominicalis G. quæ tunc in 7. Octobris inciderat; ut proinde 4. Oct. dies Jovis fuerit cum lit. D; 15. Oct. dies Veneris cum A; quam Saturni cum B, Dominica vero cum C. ſequutæ fuerant. Cum porro tres anni ſæculares, qui biſſextiles eſſe deberent, communes ſint, una eademque litera dominicali contenti; mutatione cycli iterum opus eſt, quotiescunque annus communis loco biſſextilis decurrit. — Brevius ita: an. 1582. exemtis ex Octobri 10. die-

diebus, litera dominicalis Juliana G, ſedes literarum 10, vel potius 3. non niſi, (abjectis 7. ſeu hebdomade intercalari) præteriit, ſaliendo a ſuo loco ad C. — Diſtantia ergo lit. Dom. Julianæ a Gregoriana erat = 3. manſitque eadem ad annum usque 1700. quo facta eſt = 4. ab anno 1800 = 5. Ut adeo cum anno 1802. lit. dom. Jul. ſit E. hæc in quintam ſedem promota (exemtis intermediis F. G. A. B.) Gregorianam C. cedat neceſſe eſt.

a) Cum enim annus communis ex 52. ſeptimanis + 1. die componitur, idem, ſi e. c. incepit die Veneris, die Veneris etiam terminabitur; & cum 1. Januarii ſit ſemper A, eodem anno communi etiam 31. Decembris ſit A, neceſſe eſt. Fuit porro eodem anno Juliano litera dominicalis C, cui ſequente (retrogrado proinde ordine) ſucceſſit B; ſi vero biſſextilis erat A. Et ſic reliquæ.

§. 207.

Poſt undeviginti annorum orbem (cyclum) novilunia & plenilunia in eosdem anni dies denuo cadere, vulgaris fuit veterum opinio *a*). Hoc ſpatium annorum XIX. *Cyclum lunæ* appellabant, qui æram chriſtianam vulgarem anno ſimplici prægreſſus eſt; numerum vero cuique cycli iſtius anno reſpondentem, *numerum* vocabant *aureum*, qui ſi annus Chriſti datus unitate auctus per XIX. dividatur, e reſiduo manifeſtus fit. Aureum autem dixere veteres, vel quod in Calendariis auro depictus fuerit, vel ob uſum, quem illis in Paſchate anni cujuslibet Juliani inveniendo præſtiterat maximum. Indicabat enim idem dies, in quos totius anni cadebant novilunia, quibus cognitis, plenilunia, ipſumque plenilunium ab æquinoctio vernali

Numerus aureus.

proximum jam patebant, atque adeo Paſcha etiam determinatum erat (§. 198.). Si annus, quo DIONYSIUS PARVUS forte *cyclum* hunc *metonicum* uſibus chriſtianorum accommodavit, (532.) in eodem iſto cyclo primus repertus eſt, ac proinde 1, (aureus quippe numerus) 23. Januarii in Calendario adſcribebatur, quo primum anni in cyclo primi novilunium exſtitit; a 24. Jan. dies 29. collecti (in anno lunari enim 354. dierum, menſes alternatim nunc 30. nunc 29. dies accipiunt) indicarunt novilunium alterum, 21. Febr. nempe, iterum numero aureo 1. diſtinctam; a 22. Februarii 30. diebus computatis novilunium tertium 23. Martii (iterum 1. notanda; numerus aureus enim omnibus anni menſibus communis eſt) prodiit. Huic, cum 14ta lunæ redeuntis die ſemper plenilunium exſpectarent, addebantur dies 13. apparuitque 5. Aprilis, quæ tunc dies lunæ erat, plenilunium fore, quod cum eſſet primum poſt æquinoctium vernale, diem, in quam inciderat, *Terminum paſchalem* vocavere, dieque dominica proxima ſeu 11. Aprilis Paſcha actum eſt, cujus celebratio ad evitandum cum Judæis concurſum, differri in alteram Dominicam Decreto Concilii Nicæni debuit, quotiescunque fere plenilunium paſchale incidiſſet in diem Domini ita, ut paſchalis dies ſimul cum Judæis tranſigendus eſſet.

a) METON Aſtrologus Athenienſis (circ. an. 432. ante C. N.) cycli iſtius 19. annorum, quo ſolis lunæque motus conciliare conabatur, auctor eſt, quem DIONYSIUS PARVUS poſtea adoptavit in ordinandis temporum rationibus, pro chriſtianorum uſibus. A Calendarii Juliani reformatoribus hic cyclus in paſchate exquirendo derelictus

eſt,

eſt, quod idem elapſis annis 308. (aliis: 312.) non amplius reſtituit novilunia & plenilunia ad eosdem anni Juliani dies, verum die 1. anticipat; a tempore ergo Concilii Nicæni ad annum usque 1582. diebus 4. lunam reduxerit.

§. 208.

Abbreviavit laborem, paſcha anni Juliani ratione præſcripta exquirendi, quicunque *Laterculi paſchalis*, quem hic ſubjiciam, auctor fuerit, in quo cuique cycli lunaris anno, *terminus paſchalis* adſcriptus eſt, adjecta *litera characteriſtica*, quæ diem hebdomadis, in quem plenilunium iſtud cadit, indicat, & quæ, inventa jam litera dominicali, negotio facili eruitur. — Illius ſchema ſequens eſt: Laterculus Paſchalis.

Num. aureus	*Termin. Paſchal.*	*Litera charact.*	*Num. aureus*	*Termin. Paſchal.*	*Litera charact.*
1.	5. Apr.	D.	11.	15. Apr.	G.
2.	25. Mart.	G.	12.	4. Apr.	C.
3.	13. Apr.	E.	13.	24. Mart.	F.
4.	2. Apr.	A.	14.	12. Apr.	D.
5.	22. Mart.	D.	15.	1. Apr.	G.
6.	10. Apr.	B.	16.	21. Mart.	C.
7.	30. Mart.	E.	17.	9. Apr.	A.
8.	18. Apr.	C.	18.	29. Mart.	D.
9.	7. Apr.	F.	19.	17. Apr.	B.
10.	27. Mart.	B.			

*) Cum 21. Martii, & 18. Aprilis (quæ menſe lunari, ſeu 29. diebus a ſe invicem diſtant) ſint extremi paſchales termini; apparet ratio, ob quam paſcha diem 22. Martii nunquam prægredi, 25tam Aprilis nunquam ſequi poſſit.

§. 209.

Pafcha. *Problema :* Feftum Pafchatis anni Juliani invenire.

Refolutio : 1.) Quæratur anni dati litera dominicalis, & numerus aureus.

2.) Quæratur in tabella defcripta terminus pafchalis, numero aureo invento refpondens.

3.) Conferatur litera dominicalis quæfita, cum litera characteriftica; ab hac ad literam dominicalem progrediendo in diem Pafchatis incides.

4.) Si vero ipfa litera characteriftica anni dati fit litera dominicalis etiam, Pafcha octiduo poft celebratum eft. — Anno 1411. numerus aureus fuit = 6. Terminus pafchalis = 10. Aprilis; litera characteriftica = B, litera dominicalis = D. Cum igitur plenilunium pafchale in 10. Apr. qui dies Veneris erat, inciderit; Pafcha 12. Aprilis celebratum fuit, Dominica nimirum proxime excipiente plenilunium.

*) Erronea eft hæc Pafchatis inveniendi ratio; erroneum enim eft tempus æquinoctii (§. 198.); erroneus etiam eft cyclus numeri aurei (§. 207. a).

§. 210.

Epactæ. Cum in chartis noftris domefticis, quamvis antiquiffimis tantum, Epactarum exftet mentio, commemorentur eædem præterea in Breviariis quæ dicimus, & Calendariis etiam vulgaribus, paucis illarum indolem declarare operæ pretium fore putavi, idque vel eo majus, quo major Epactarum, verum ab ALOYSIO LILIO emendatarum (Gregorianarum), rejecto cyclo

lunæ,

lunæ, in paſchatis tempore definiendo uſus eſt atque neceſſitas. Decurrebant autem illæ cum numero aureo intra eandem XIX. annorum ſeriem, ad indicandam differentiam quæ eſt inter annum ſolarem communem 365. dierum, & lunarem dierum 354. vel potius ad declarandam ætatem lunæ die ingredientis anni ſolaris primo adhibitæ. Fuit ergo Epacta anni I. in cyclo lunæ dierum XI; anni 2 = XXII. anni 3 = XXXIII. vel potius reſecto menſe intercalari ſeu 30. diebus = III; anni 4 = XIV. & ſic porro, adjectis quotannis diebus XI. — Epacta anni 19. hoc modo erit = XXIX, hunc ſubſequentis anni in cyclo lunæ 1. (ob addendos hac vice cauſa compenſationis quantæcunque, quod *ſaltum lunæ* dicunt, dies 12) = XI. priorque Epactarum ordo recurret iterum. Facile jam erit Epactam Julianam pro quocunque anno dato detegere:

1.) quærendo anni numerum aureum;

2.) inventum multiplicando per XI. (differentia anni ſolaris a lunari) ubi ſi productum minus fuerit 30, erit illud Epacta diplomatica; ſi majus, dividatur per triginta, numerus qui ſupererit, *Epactas Julianas* dabit. — En cyclum illarum 19. annis Jul. circumſcriptum:

1.	XI.	8.	XXVIII.	15.	XV.
2.	XXII.	9.	IX.	16.	XXVI.
3.	III.	10.	XX.	17.	VII.
4.	XIV.	11.	I.	18.	XVIII.
5.	XXV.	12.	XII.	19.	XXIX.
6.	VI.	13.	XXIII.	1.	XI.
7.	XVII.	14.	IV.		

Si *Epactam Gregorianam* e. c. anni 1790. quærat aliquis, is Julianam XXV. imminuat 10. (ob ejectos anno 1582. dies 10.) + 1. (ob annum 1700. communem) = 11; habebit Epactam Gregorianam quæsitam XIV. Si subtrahi tantum non possit, Epactæ Julianæ 30. dies (mensis intercalaris) addi prius debent. — Aliquanto magis impeditum est sæculi novitii seu XIX. Epactas Gregorianas cum ratione indagare. Neque enim ab anni nunc currentis 1802. epacta Juliana VII. utut annus 1800. communis tantum fuerit, ad eruendam Gregorianam 12. verum 11. tantum, & non amplius subtrahere integrum est; dies enim, qua, juxta Systema Calendarii Gregoriani, Epactæ anni 1800. communis, ob *æquationem* quam *solarem* dicunt, imminui debuissent iterum, relicta illis est, epactisque annorum subsequentium ad an. 1900. usque, quod anno dicto *æquatio lunaris* locum habuerit, quæ quoties ingruit, Epactas, quod eædem novilunia & plenilunia intra 308. annos integra die antevertant, unitate auget, ut adeo Epacta Greg. anni 1802. sit 37 — 12 = 25 + 1 = XXVI. — Longius in hanc materiam excurrere, usumque harum Epactarum præcipue in Paschate Gregoriano exquirendo operosius demonstrare, inprimis cum idem Epactarum cyclus sæculis omnibus haud conveniat, huc non pertinet. Conf. præter libros initio capitis recensitos CHR. WOLFII *Chronologiam* in *Elementis Matheseos universæ* Tomo IV.

*) Veteres utebantur epactis pro Paschate determinando, demonstrabatur enim illis ætas lunæ 22. Martii. Epactas porro Notarii medii ævi inceperunt mox a Calendis Septembris, mox secundum Roma-

Romanos a Calendis Januarii. Diploma, quod Bela II. Præpositturæ Demesiensi largitus est, has notas refert: Anno incarn. 1138. Indict. I. *epacta XVIII.* tertia Septembris. Conf. KATONA l. c. III. p. 517. 19. — Vulgo annus dictus Epactam VII. adsciscit.

§. 211.

Reliquis temporum notis recensendis, in quibus cumulandis scholasticorum subtile ingenium sibi mirum quantum placuit, supersedeo; *Concurrentes* solummodo, qui interdum in chartis nostris antiquioribus recurrunt, attingere visum est. Consignabantur hi per numeros priores septem, itidem ad dies hebdomadis (ferias) inter se cognoscendas, in Oriente præprimis olim adhibiti. Dierum adhæc quasi custodes erant, qui quolibet anno 52. hebdomadas excedebant, donec septimum numerum adsecuti, septimanam efficerent. *Concurrebant* iidem cum cyclo solis *a*), & quoties hic finiebatur, novum pariter cum illo cyclum inceperunt, unde concurrentium illis adhæsit appellatio. Inter hos, & literas dominicales sequens observata fuit ratio: A = 6; B = 5; C = 4; D = 3; E = 2; F = 1; G = 7. Cum itaque anni 1143. litera dominicalis C fuerit, concurrentem fuisse = 4 necesse est. Etenim 1143 + 9 : 28 = 41 + 4 = C = 4 concurrenti. De Concurrentibus.

a) Unde interdum *Epactæ solares*, etiam *majores* dicti sunt; *Epactarum minorum* etiam *lunarium* nomine illis relicto, de quibus §. 209. actum est.

§. 212.

Nunc tandem, præmissa primum dilucidatione qualicunque cycli veterum solaris luna- Feriæ secundum festa immobilia.

ris-

risque, notæ chronicæ ævi medii, desumtæ a Festis anni mobilibus & immobilibus, intelligi, & explicari poterunt. — Colligitur autem negotio facili e Martyrologiis, Actis Sanctorum, immo Calendariis vulgaribus, in quem mensis diem *immobile* aliquod *festum* inciderit & adhuc incidat: quamquam, ne quid dissimulem, Festorum nonnullorum non eadem apud omnes populos sedes fuerit, neque eadem omnium festorum, quæ apud alios, solemnitas *a*). At multo difficilius est, datum ad nostras revocare calculos, si in diplomate hebdomadis dies designetur, qui fixum aliquod festum vel antecessit, vel secutus est, e. c. *Datum feria quinta proxima post festum B. Catharinæ Virg. & Mart. anno MCCCLXXXVIII.* item: *Datum feria quarta proxima ante festum B. Joannis Baptistæ anno MCCLXXVI. Datum Dominico proximo ante festum Philippi & Jacobi Apostolorum, anno Dom. MDIX.* Ad hæc enim, & similia exempla intelligenda, & cum nostro computandi more comparanda, necesse est, ut sciamus in quem hebdomadis diem festum illud immobile dato anno inciderit. Hoc neminem observare pigeat, Hebræorum loquendi usu factum esse, ut hebdomadis dies, *feriarum* distinguerentur nomine, quibus, ut vel ex novi fœderis tabulis constat, dies Domini feria fuit prima; dies Lunæ feria secunda; & sic porro reliqui.

a) Jucundum & utile simul est etiam in nomina festorum & dominicorum inquirere, quibus iidem in vernacula distinguuntur a se invicem. Et a Germanis quidem hac in re multa præclare præstita, neque dubito brevi futuros esse eruditos Hungaros Croatasque, qui nobis Etymologicum *dominicale festivaleque* Hungaricum Croaticumque procurent.

Utrius-

Utriusque adornandi nuper *initium qualecunque* fecit FR. CARL ALTER, in libro: *Beitrag zur slavischen Diplomatik für Slaven, Wien* 1801. 8.

§. 213.

Invenies vero hebdomadis diem (feriam), in quem Sancti alicujus anniversarium incidit, hac operandi methodo: Quomodo inveniuntur.

1.) Quæratur litera dominicalis, qua inventa, hebdomadis quoque dies, in quem primus anni dies perpetuo litera A. notatus incidit, inventus est.

2.) Computa dies a prima anni Dominica ad festum Sancti datum (hoc etiam addito) attendendo, num annus datus communis, vel bissextilis sit.

3.) Divides tandem summam, unius hebdomadis dierum numero (7.) residuum dabit feriam quæsitam.

*) E. gr. Feria quarta post festum S. Elisabethæ anni 1444. respondet 25. Novembris. Istius enim anni litera Dom. fuit ED. initiumque anni in diem Mercurii incidit = A. Summa dierum a prima anni dominica ad festum S. Elisabethæ, quod 19. Novembris recolitur = 319 + 1 (quia annus bissextilis) = 320 : 7 = 45 + 5 = diei Jovis, seu feriæ quintæ; si igitur diploma, feria quarta, seu die Mercurii post festum S. Elisab. datum sit, illa 25. Novembris fuerit necesse est. Eadem methodus ostendit, memoriam decollationis S. Joannis Baptistæ, quæ 29. Augusti recurrit, Hungaris 1526. ad Mohachium fatali, eodem hoc anno incidisse in feriam 4. i. e. diem Mercurii. — Legi literas, ibique: „ Datum sub anno Domini 1372. in die divisionis „ Apostolorum (15. Jul.) *proxime præterito.* "

**) Vulgaris nostra & commoda dies mensium exprimendi ratio, a Scriptoribus & Notariis ævi intermedii, sine dubio quod facilem nimium animadverterint, rarissime est adhibita. Antiquissimum illius vesti-

vestigium apud Hungaros observavi in dipl. Belæ II. an. 1138. cui tertia Septembris subscripta est: extraneum nullum antiquius novi illo, quod in *Monumentis Boic.* Tom. V. p. 362. notavi, ubi 15. Aprilis diserte Actis 1199. adjecta est.

§. 214.

Data festorum mobilium.

Aliquanto operosius exquiritur *festum mobile*, feriaque quæ illud vel præcessit, vel secuta est. Recurrit autem necessitas illius exquirendi sæpius, nam festis mobilibus Dominicæ etiam accensentur, quas cum vulgari nostro putandi more comparare interdum difficilius est, quam vulgo creditur. Universe autem festorum mobilium sedem ambulatoriam pro quocunque anno definire, a tempore dependet, in quod anno quolibet Pascha incidit; cum hoc enim, ut jam §. 205. dictum est, mobilia festa omnia mox maturius mox serius redeunt. Digesserunt illa pro resurrectionis Dominicæ tempore vario, RABE, inprimis PILGRAM, alii, adjectis nominibus Dominicorum, quæ eis adhæserunt a primo verbo, vel etiam commate cantus, quem in illis ad exordium missæ ecclesia usurpaverat, e. c. *Circumdederunt me*, *Reminiscere*, *Exaudi* &c. quod hodieque bullis summorum Pontificum fieri nemo ignorat. Paschatos igitur die invento, basis inventa est & fundamentum totius Calendarii, quod pro anno dato construes, defigendo diligenter in eodem sedem dierum Festorum & Dominicorum, quorum perpetuo eadem est a die paschali distantia, adhibitis in auxilium Tabulis, quas nunc laudavi, quibusque adjutus sedem festi mobilis, quam indagas, facile deteges.

*) Exem-

*) Exempla, quæ ita tractari ac resolui debent, e *Codice diplomatico Regni Poloniæ* sunto sequentia: Fœdus inter Ludovicum I. Hung. & Carolum IV. Bohemiæ Reges anno 1369. initum, datum est *feria quarta cinerum*; aliud Elisabethæ Reginæ diploma, in *Vigilia* (pridie) *Pentecostes* anno Domini 1386. — Aliud Regis Poloniæ, Datum *feria secunda in crastino* (i. e. postridie) *Sanctæ & individuæ Trinitatis*, anno Domini 1462. Instrumentum Capituli Scepusiensis apud CAR. WAGNER l. c. p. 113. datum est anno incarnationis dominicæ 1223. *in dominica, in qua cantatur officium: Invocavit.* ibidem p. 115. *datum in octavis Paschæ* anno Dom. 1300. — *in quindenis Pentecostes*, cet.

§. 215.

Omnibus, quos hactenus enucleavi, annos diesque in chartis exprimendi modis, antiquior est temporis, secundum *annos regiminis* definitio; neque quæquam alia nota temporis in Pontificum & Regum literis, ad nostrum usque ævum constantius retenta est. Etiam Hungariæ Reges consuetudinem istam, nimirum annis incarnationis Dominicæ subjungendi annos sui regiminis, mature adoptarunt *a*); qui, si præter Hungariæ & Regnorum ad Hungariam pertinentium, aliorum adhuc Regnorum sceptra tenebant, diserte adnotare obliti non sunt, quo quodvis Regnum anno adiverint. E multis unum exemplum adfero. Solemne diploma Sigismundi Regis apud DOGIEL I. 53. quo famosissimas Tabulas fœderis anno 1412. cum Wladislao Rege Poloniæ initi, in curia oppidi Kiersmark cum eodem agens, renovavit atque confirmavit, has temporis notas refert: *actum anno Domini MCCCCXXIII. feria tertia post dominicam Ramis Palmarum, Regnorum nostrorum anno Hungariæ trigesimo septimo, Romanorum*

Anni Regiminis.

norum tredecimo, Bohemiæ vero tertio. Eſt autem res multis perſæpe difficultatibus obnoxia ſimiles notas temporis inter ſe, & cum chartis & annalibus ſynchronis rite componere; quod Cancellarii interdum ab obitu anteceſſoris Regis *b*), interdum ab electione regnantis *c*), ſæpius ab inauguratione *d*) iſtius, annos regni ejus duxerint; quod annum vulgarem, cujus parte aliqua Rex regnum adierat, regiminis, ut debebant, primum, at mox initium anni vulgaris proximi, jam etiam Regni *ſecundum* interdum dictaverint *e*); & quod in tempore regiminis priſcorum Regum accurate definiendo, diplomatum & annalium haud raro deſtituamur teſtimoniis. In bullis Pontificum illis, quas nunc brevia vocant, ad ſæc. XVI. fere, rariſſime anni ab æra vulgari, plerumque ſemper potius ab *annis Pontificatus* deſumti ſunt. Ad facilitandum tandem diplomatum hujusmodi examen, & juvandam intelligentiam, digeſſerunt viri harum rerum periti, tabulas annorum regiminis, tam Pontificum romanorum, quam aliorum etiam Europæ Principum, ad quas tamen, ſine omni formidine falſi, ſemper & ubique nemo prudens appellare poterit.

a) „ Anno — verba ſunt diplomatis S. Stephani Re„ gis — domin. incarn. MI. Indict. XV. *anno* Ste„ phani primi Regis Ungarorum *ſecundo*, hoc privi„ legium ſcriptum & traditum eſt. "

b) Andreas II. in annis Regni ſui indicandis, mox obitum Ladislai Regis pueri, mox obitum fratris ſui Emerici, interdum fortaſſis etiam pacem cum hoc initam reſpexerit. KATONA V. 746. Etiam Bela IV. duplicem epocham ad denotandos annos regiminis ſui adhibuiſſe videtur: alteram a morte patris, cui ſucceſſit; alteram a tempore quo ſecundum in Regem Hungariæ inauguratus eſt. KATONA V. 760. VI. 55.

c) In

c) In Matthiæ Corvini literis, poſt ejus inaugurationem editis, electionis & coronationis tempus rite diſtinguuntur; ita Decretum ejus primum „ datum „ eſt anno Domini 1464. octavo Idus Aprilis; *Regni* „ *noſtri anno ſeptimo*, *Coronationis vero primo.*"

d) Ludovicus VII. junior Rex Galliæ († 1180.) quater coronatus eſt; inde quadruplex commemoratur Regni ejus exordium. *N. Lehrgeb. der Diplom.* IX. p. 86. Hungariæ Rex Carolus Rob. itidem ter corona incinctus, mortuus eſt anno 1342. 16. Julii, qui a prima coronatione erat 42dus, ab altera 33tius, anno a tertia coronatione 32do nondum expleto. KATONA IX. 249. In diplomatibus coronatio prima, terminus eſt, a quo regiminis ſui annos Carolus repetit.

e) Ita Ludovicus I. qui 16. Julii 1342. patri ſucceſſit, quod reliquum ad anni 1343. initium usque erat, interdum pro anno integro reputat. KATONA X, 140. — Sed adſunt exempla viciſſim, ut annus Regni præcedens (completus) pro decurrente non pridem incepto exponatur. THUROCZIUS Matthiam I. coronatum eſſe ait anno regni ſexto (ſcil. completo) cum ſeptimus jam verteretur. Conf. WAGNERI *Analecta Scep.* I. 54. Not. a.



Speci-

* Specimina ſcripturarum Tab. II. & III. æri inciſa, ſiquidem interprete opus habent, ſic leguntor.

Tab. II. Nro. 1. IN NOMINE SANCTAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS ANDREAS DEI ANNUENTE CLEMENTIA PANNONIORUM INVICTUS REX. Anno &c.

2. Specimen hoc e Belæ cœci Regis diplomate deſumtum prælectione haud eget.

3. Deſumtum eſt e diplomate Andreæ II. Regis, quod in Diplomatario quod jam ſequitur Nro. IV. ex aſſe expreſſum eſt.

4. Etiam huic privilegio Ladislai Cum. Regis inter Formas var. dipl. Nro. VIII. locum tribui.

5. „ *Omodeus Palatinus filius Comitis David, de genere Aba, Comes Scepuſienſis. Omnibus Chriſti fidelibus, tam præſentibus quam futuris, præſens ſeriptum inſpecturis, ſalutem in eo qui eſt vera ſalus. Humana adinvenit ſollercia, utquod memoria dignum creditur, teſtimonio literarum commendetur. Eapropter ad univerſorum notitiam harum ſerie volumus pervenire, quod quandam poſſeſſionem noſtram aquiſitam Fellebès nuncupatam, in diſtrictu de Sarus ſituatam, de conſenſu & permiſſione ac benivolentia omnium filiorum noſtrorum, cum univerſis utilitatibus, ſpecialiter cum ſilvis & aliis ſuis pertinenciis, ſub antiquis metis & terminis* —— anno Domini MCCC. ſeptimo. “

Tab. III. Nro. 1. Inter diplomata quæ ſequuntur XVII eſt.

2. In Bibliotheca R. Univerſ. Peſt. ſpecimen ſcripturæ Hung. hoc antiquiſſimum eſt, quod inveni „ *Mykoron Laʒlo Kyralne Anna Aʒʒon eʒ velagbol ky mult Germök agyaba ʒenth Maria Magdolna Aʒʒon napya tayaba eʒör ötʒaʒ hatod eʒtentöbe.* “

3. „ *Cum itaque perpetuum ſimplex beneficium eccleſiaſticum Abbatia nuncupatum in parochiali ſeu alia Eccleſia Sancti Salvatoris Strigonienſis Diœceſis, quod ſicut accepimus de Jure Patronatus Laicorum ex fundatione vel dotatione exiſtit, & quod dictus Johannes Epiſcopus tempore promotionis de ejus perſona ad Eccleſiam Varadinenſem certo tunc expreſſo modo paſtoris ſolatio deſtitutam per Nos apoſtolica auctoritate facto obtinebat, ex eo quod Nos illud per ſolam promotionem prædictam vacare decreverimus, juxta decretum hujusmodi vacaverit & vacet ad præſens; Nos eidem* “ cet.

DIPLO-

DIPLOMATARIUM MISCELLANEUM
CONTINENS
EXEMPLA VARIORUM DIPLOMATUM.

Nro. I.

Stephanus III. R. H. Farcaſſium quemdam libertate pratisque ac molendinis donat. anno 1162. — Ex autographo, quod ipſemet aliquando vidi, anonymus.

Notum ſit omnibus hominibus ſub dicione Regis Hungarie exiſtentibus, tam preſentibus quam futuris, quod ego Stephanus Dei gratia ſublimis ac triumphator Rex Ungarie, beate memorie Geyſe Regis filius, paterni Regni gubernacula Deo auxiliante obtinens, hunc hominem in Suprunienſis caſtri manentem, nomine Forcos, a civili jugo ſubtraxi, tantaque dote libertatis ſublimavi, ut ubicunque vellet libere ac ſecure famulari poſſet; cauſa videlicet quod fidelis mihi extitit in omnibus, et contra infideles illos, qui caſtrum illud, quod vulgariter Copuu *a*) dicitur, opugnare volebant, fideliter me inſtuit, et inſuper veniens infidelitatem illorum in ſerie manifeſtavit. Que cauſa ut rata permanere poſſet, coram quibusdam Primatibus mihi aſiſtentibus, videlicet Luca Strigonienſi archiepiſcopo, Micone Colochenſi archiepiſcopo, Machario Epiſcopo, Beloslao prepoſito; Heidrico Palatino Comite, Gabriele Curiale Comite, Ampudino Comite, Laurencio Comite, Rubeno Comite, F — Comite, Dionifio Comite, Vidone priſtaldo. Preterea predicto fideli meo dedi in villa K — unum pratum cum uno molendino, et in villa V — ſimiliter, in villa etiam V — unum bratum cum duobus molendinis; et per Notarium Bricenum ſcribi, ac per Sudam capelle mee magiſtrum ſigillo regali muniri I. p. precepimus. Si quis igitur hoc inſtitutum regale infringere tentaverit, omnipotentis Dei iram, et Regie Majeſtatis anatema incurrat. Scripta eſt autem hæc cartula anno dominice incarnacionis M. C. LX. II.

a) Hodie Kapuvár.

II.

Joannes Archiep. Strig. libertinos quosdam servituti pincernariæ adscribit. 1209. Prostat inter MSS. GABR. HEVENESSI Tom. CC. seu X. pag. 107 — 109.

Joannes Dei Gratia Sanctæ Strig. Ecclesiæ Archiepiscopus. Omnibus in Christo fidelibus præsentem paginam inspecturis in vero salutari salutem et benedictionem. Ne rerum gestarum series diuturnitate temporum contingat obliterari, institutionis in præsentiarum factæ processum, ad memoriam scriptis præsentium duximus revocari. Nouerint quod tam præsens ætas quam secutura posteritas, nos emisse quindecim capita libertinorum de villa Szonok, a venerabili Fratre nostro C. Agriensi Episcopo, quibus cum liberum dedissemus arbitrium posse eligendi, in quo servitio Ecclesiæ B. Adalberti velint esse obligati, pincernariæ servitutis sibi elegerunt officium; quibus nos annuentes instituimus, ut inscriptum sibi Bachariorum de generatione in generationem exequantur officium, nec ad aliquod aliud compelli possint seruitium. Quorum nomina sunt hæc: Unuca, Vitalis, Thobias, Nicolaus, Rosend, Bud, Burla, Nichodemus, Leba, Marcel, Jonbos. Verum ne cujusquam machinatione, dolo, vel calumnia huic nostræ institutioni processu temporis possit derogari, seriem scriptis jussimus annotari. Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo ducentesimo nono. Regnante glorioso Hungariæ Rege Andrea, me licet indigno sanctæ Strig. Ecclesiæ sedi præsidente, Boleslao Vaciensi, Petro Geuriensi Episcopis, Pocone Palatino et Comite Musunensi, Mocone Posoniensi, Thoma Nitriensi Comitibus. Petro Præposito Strigoniensi, Ubaldo Præposito Posoniensi, Benedicto Praepofito Sancti Thomæ, Jacobo Lectore, Dominico Cantore, Michaele Custode, & ceteris quam pluribus Ecclesiæ loci Canonicis existentibus.

III.

Exemplum ritus explorandi veritatem per ferrum candens, anni 1211. — Ex autographo.

Quum que ad tempus fiunt labente temporis curriculo ab hominis memoria recedunt, pulcherrime usus

consuetudinis inolevit, ea sub litterarum privilegio memoriter retinere. Verbi gratia regnante glorioso Rege A. tercii Belæ Regis filio, anno ab incarnatione Domini M. CC. XImo, Abbas beati Martini Vros nomine, cum Comite Camere tunc temporis Gatk nomine causam iniens, terram Sala, cum silva que in insula Vag continetur, ad X. aratra pertinentem, justitiam ecclesie beati Martini fuisse, injusteque ab ea ablatam asserens requirebat. E contra ille a Rege sibi traditam, et minime ad ius ecclesie prædicte pertinere referebat. Abbati autem misericordiam Regis pro causa prefata obnixe deprecanti, utriusque tam Abbatis videlicet & Comitis prenominati causam, Archielectus Cholocensis Bertholdus N. Rege admonente suscepit discutiendam. Disscussa vero utrorum causa uti justitia exigebat, hominem ecclesie prefate ad candens ferrum in loco Budensi, mediante eis pristaldo Both nomine Bachiensi c nonico dijudicavit. In quem locum advenientes, & omnia secundum ritum ecclesiasticum celebrantes, per merita beati Petri principis apostolorum, ut iusticia beati Martini demonstraretur, homo ecclesie predicte ab omni penitus ferri rubigine atque combustione extitit liberrimus. Hujus autem rei testes Jacobus Budensis ecclesie Prepositus, Paulus Cantor, Johannes Custos, Decanus Moyses, Leo sacerdos, Teka sacerdos, Gervasius sacerdos, & alii quam plures ejusdem loci Canonici extiterunt.

IV.

Exemplum donationis Regiae, e SPIESSII *Collectaneis: Archivische Nebenarbeiten. P. I. p.* 144. *desumtum,* collatum cum protographo.

In nomine sancte Trinitatis, et indiuidue unitatis. *Andreas* Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Servie, Galicie, Lodomirieque rex in perpetuum. Commendanda regie nobilitatis liberalitas, licet precibus omnium iuste pentencium subuenire teneatur, illius maxime peticionem incunctanter debet admittere, quam in idem amoris consorcium, et in unum regie potestatis participium, matrimonii copulavit sacra-

cramentum. Cum itaque noſtra conjux Kariſſima, Regina *Yoles*, quandam puellam nomine Ahalyz, ex ingenui ſanguinis parentibus oriundam, *de remotis francie partibus* ſecum in ſuis ſerviciis in Hungariam adduxiſſet, cuidam ex regni noſtri nobilibus *Botez* nomine, tradidit in uxorem, cujus innumerabilia tam in mari quam in terra uxori noſtre, ante quam ad nos de *Grecia* adduceretur, cum indeſinenti fidelitate exhibita ſervicia, de ſue munificentie bonis digne remunerare ſatageret, pro ipſa terram quandam, que *Widhor* dicitur, ad ſexaginta aratra in comitatu de *Wolkou* conſtitutam, a nobis humiliter poſtulavit. Cujus juſtam et idoneam eſſe conſiderantes peticionem, predicte etiam *Ahalyz* pre oculis noſtris habentes indefeſſam circa *filium noſtrum Andream* ſedulitatem, pro tot et tantis ſerviciorum ſuorum meritis, eidem jam dicte *Ahalyz*, ad preces dilecte uxoris noſtre Regine, terram illam in perpetuum contulimus, ita videlicet, quod maritus ejus nullam jurisdictionem in terra illa habere debeat, eandem A. cuicunque voluerit, ſive ſuo marito, ſive pro remedio anime ſue plenam conferendi habeat poteſtatem. In poſſeſſionem igitur terre illius eam per *Ochiuz* tunc temporis *Sclavonie banum* precepimus introduci, cujus terre mete ſic ordinantur. Prima meta progreditur de aqua *Boza*, ſcilicet de orto *Wrathusla*, et habet ibidem foris metam apud *ilicem*. Item aliam metam habet in exitu ſilue, et habet communem metam cum comite *Michaele* ſuper arborem populi, et inde tendit ad arborem piri, *ubi fit congregacio puerorum in octavis paſce*, et ibi incipit *meta Cruciferorum*, et poſtea *meta Luder*, poſtmodum ſub arbore tilie jungitur terre *Holmos*, et ducitur uſque ad terram *Georgii*, que tendit ad magnam viam, ubi jungitur ad terram *Jardan*, et inde redit ad eandem ſilvam, & in medio ſilve jungitur terre *Micha*, que vadit ad *Mlaka*, et inde pervenit ad predium *Georgii*, que tendit uſque ad *Boza* apud ortum *Miloia*, & ſic metis circumdata terminatur. Vt autem hec a regie liberalitatis circumſpecta deliberacione facta donacio, nullis

vnquam

vnquam temporibus alicuiuscunque cauillationis in posterum ſubrepente verſucia poſſit retractari, ad maiorem huius facti prouidenciam, vt noſtra donacio ſit perhennior, & longioris temporis ſpacio viuacior, preſentem conceſſimus paginam priuilegii noſtri munimine in perpetuum confirmatam. Datum per manus Cleti aule regie Cancellarii, et agrienſis prepoſiti. Anno dominice incarnationis M. CC. XX. Venerabili Johanne Strigonienſi, Reuerendo Ugrino Colocenſi, archiepiſcopis exiſtentibus. Deſiderio Chenadienſem, Willelmo Ultraſiluanenſem, Roberto Wezprimenſem, Jacobo Wachienſem, Stephano Zagrabienſem, Bartholomeo Quinque eccleſienſem, Coſma Geurienſem, Alexandro Waradienſem, eccleſias feliciter gubernantibus. Nicholao filio Borz palatino & comite Suprunenſi, Ochiuz curiali comite Regine bano et comite Woroſtienſi, Neuka Woiauoda, Iula fratre Ratolth curiali comite Regis, comite keweienſi exiſtentibus, Dioniſio magiſtro thauarnicorum & Bachienſem, Iula maiore Budruguienſem et Zounukienſem, Mika Bichorienſem, Benedicto filio Samud noui caſtri, Demetrio Seneſcalco Woſwarienſem, Smaragdo Poſonienſem, Gregorio filio Bera Albenſem, Paulo Chenadienſem, Iohanne Nitrienſem, Botez Muſunienſem, Comitatus tenentibus. Regni noſtri anno ſeptimo decimo.

V.

Exemplum Diplomatis Confirmationis regiæ. — Ex autographo.

Ladizlaus Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Omnibus Chriſti fidelibus ſalutem in omnium Saluatore. Ad uniuerſorum notitiam harum ſerie volumus peruenire, quod dilectus et fidelis noſter Stephanus Magiſter Agaſonum domine regine kariſſime matris noſtre, Comes Trinchinienſis, ad noſtram accedens preſentiam, optulit nobis priuilegium Domini Regis Stephani, bone memorie kariſſimi Patris noſtri, ſuper collatione Caſtri Agas, et trium villarum Kuta-

ſou, Barkan, et Thor vocatarum ad idem Caſtrum pertinentium, et ſuper collatione Iuris patronatus Monaſterii de Paztuh, tempore Ducatus prefati Patris noſtri confectum, petens cum inſtantia, vt idem priuilegium ſuper premiſſis collationibus ratificare, et noſtro dignaremur Priuilegio confirmare. Cujus talis eſt tenor:

Stephanus Dei gratia junior Rex Hungarie, Dux Tranſiluanus, et Dominus Cumanorum, omnibus Chriſti fidelibus preſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in omnium Saluatore. Regie liberalitatis immenſitas recto penſans libramine merita ſubjectorum, dum bene meritos dextre ſue munifice conſolatoriis confouet donatiuis, fidem et deuotionem inſignibus quibusdam cumulis adauget, et ad potiora ſeruitiorum ſtudia mentes incitat eorundem. Ad uniuerſorum igitur notitiam tenore preſentium volumus peruenire, quod attendentes eximie fidelitatis obſequia, que nobis Stephanus filius condam magiſtri Dominici, magiſter Agaſonum Domine Regine junioris, kariſſime conſortis noſtre, in pluribus articulis, nobis & regno noſtro neceſſariis exhibuit indefeſſe, variis et arduis, pro perſona noſtra et regno noſtro, fortune caſibus ſe exponens; qui propter fidelitatem nobis obſeruandam Magiſtratum Agaſonum et Comitatum Tawarnicorum Domine Regine maioris, kariſſime matris noſtre, quingentas marcas, quas ab eadem domina kariſſima matre noſtra annuatim ratione ſtipendii ſui percipere debebat, et omnes poſſeſſiones ſuas quamplures, quas in terminis kariſſimi patris noſtri habebat relinquendo, nos fideliter eſt ſecutus. Dampna etiam, ubi Chak Banus, dilectus et fidelis noſter fuit captus, quam plurima pertulit et eſt paſſus, et omnia illa bene adſcendunt ad ſummam tria millia marcarum que idem pro nobis reliquit et amiſit; qui etiam declinantibus a nobis quam pluribus baronibus noſtris, perfida prevaricatione et prevaricatrice perfidia, non ſine manifeſto proditionis vitio, in expeditione paulo ante habita contra kariſſimum patrem noſtrum deſerentibus caſtra noſtra; cum feruore ſumme deuotionis, et fidei inſeparabiliter no-

noſtris adheſit obſequiis, paratus pro nobis bellicos ſi oportuiſſet perferre ſudores, et dubia Martis ſubire certamina, & poſtmodum inimicicias perpetuas tocius generaciohis Aba obtinuit et incurrit, pro eo videlicet, quod propter fidelitatem nobis obſeruandam, Ladizlaum filium Watha de genere Aba, noſtrum et regni noſtri infidelem captiuauit et captum nobis duxit, qui, propter ſuam infidelitatem ſicut diximus, fuit decollatus. Nos in aliqualem recompenſationem ſeruitiorum ſuorum, licet longe ſuis inferiorem meritis, caſtrum Agas, quod propter infidelitatem, et infidelem negligentiam venerabilis patris Job Epiſcopi Quinqueeccleſienſis captum, in enorme et grauiſſimum noſtrum et regni noſtri diſpendium, et amiſſum, et per noſtram diligentiam non ſine ſumptuoſis laboribus recuperatum, ad noſtram collationem exſtitit devolutum, cum tribus villis Kutaſou, Barkan, et Thor vocatis, et cum omnibus aliis utilitatibus et pertinentiis ſuis, eidem magiſtro Stephano, et per eum ſuis heredibus heredumque ſucceſſoribus perpetualiter duximus conferendum. Quarum quidem terrarum mete, ſicut per literas Capituli Agrienſis nobis conſtitit euidenter, hoc ordine diſtinguuntur. — — Item patronatum monaſterii de Paztuh ad nos ſimiliter pertinentem, ipſi magiſtro Stephano, et ſuis heredibus contulimus pleno iure. Vt igitur noſtre collationis ſeu donationis ſeries, robur optineat perpetue firmitatis, nec in aliquo curſu temporum per quempiam poſſit retractari, vel in irritum reuocari, preſentes literas conceſſimus duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus Magiſtri Lodomerii aule noſtre Vicecancellarii, dilecti et fidelis noſtri, anno domini milleſimo ducenteſimo ſexageſimo quinto. — Supplicauit etiam nobis idem Magiſter Stephanus, vt patentes literas iam dicti Patris noſtri, quas ſibi ſuper eo, quod nullus Iudicum populos ſuos, et populos Monaſterii de Paztuh, preter perſonam ipſius Magiſtri Stephani valeat iudicare conceſſerat, ac preſentibus inſeri faceremus, easdem quippe literas exhibuit in hec verba: Nos Stephanus

Dei gratia Rex Hungarie, ſignificamus uniuerſis, quibus expedit, preſentium per tenorem, quod nos Magiſtro Stephano filio Magiſtri Dominici conceſſimus ex noſtra gratia ſpeciali, quod populos ſuos, et populos Eccleſie de Paztuh, cuius patronus eſt, praeter perſonam ipſius Magiſtri Stephani, nec Palatinus, nec Iudex Curie noſtre, nec Comes Noui Caſtri aut Neugradienſis, nec etiam aliquis Iudicum ſeu Comitum poſſit vel debeat aliquatenus iudicare; ſed ipſe idem predictos populos in omnibus cauſſis ſuis iudicabit. Datum apud magnam Inſulam, Feria quinta poſt feſtum beati Mauritii. Nos igitur petitionibus ipſius Magiſtri Stephani favorabiliter inclinati, conſideratis ſeruitiis et fidelitatibus ſuis, regno et Corone Regie exhibitis et impenſis, preſcriptum priuilegium ratum habentes et acceptum, et de verbo ad verbum preſentibus inſertum, una cum predictis patentibus literis ſimiliter preſentibus inſertis, de benivolencia Domine Regine kariſſime matris noſtre duximus confirmandum, duplicis Sigilli noſtri munimine roborando. Datum per manus Mag. Nicolai Prepoſiti Albenſis Eccleſie Tranſiluane, Aule noſtre Vicecancellarii, dilecti et fidelis noſtri. An. Dni. 1272. indicione quintadecima Kalendas Decembris, Regni autem noſtri anno primo. Venerabilibus Patribus Philypo Strigonien. perpetuo Comite loci eiusdem Stephano Colocen. et Iohanne Spalaten. Archi-Epiſcopis; Lamperto Agrien. Job Quinqueeccleſien. Comite Muſunien. Philippo Vacien. Domine Regine kariſſime Matris noſtre Cancellario, Paulo Veſprimien. Aule noſtre Cancellario, Briccio Chanadien. Timotheo Zagrabien. Lodomerio Waradien. Dionyſio Jaurinen. & aliis Epiſcopis Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Rolando Palatino, Joachino Bano tocius Sclavonie, Nicolao Woyawada Tranſiluano Comite de Zonuk; Ladizlao Comite Poſonien. Erney Magiſtro Tawarnicorum noſtrorum Comite Worosdien. Alexandro Judice Curie noſtre, Emirico Comite Simigien. Paulo Bano de Zeurino, Ponith Bano Comite Zaladien. Omodeo Comite Caſtriferrei, Renoldo Magiſtro Dapiferorum noſtrorum, Vgurino

filio

filio Pous Magiſtro Agaſonum noſtrorum, Michaële Comite Nitrien. et aliis quam plurimis Comitatus Regni tenentibus et honores.

VI.

Formula donationis regiae breuiſſimis verbis concepta. — Ex autographo.

Nos Lad. Dei gratia Rex Hungarie ſignificamus tenore preſentium univerſis, quod ob notam infidelitatis, quam Symon filius Salamonis incurrit contra noſtram Majeſtatem manifeſte in eo, quod erecto vexillo, una cum Magiſtro Moys, contra nos procedere preſumſit; quasdam poſſeſſiones ipſius Magiſtri Moys, et Symon praenotati, Predynmyh, Iuretina, & Muſuna vocatas, ab eisdem auferendo, Comiti Belus filio Belus duximus conferendas. Ergo volumus, quod nullus eundem ratione dictarum poſſeſſionum preſumat moleſtare. Datum in Zolum, quinto die S. regis Stephani. (ſine anno.)

VII.

Exemplum literarum inueſtiturae, quas Statutorias appellamus. — Ex apographo.

Ladislaus Dei gratia Hungarie, Dalmatie, Croatie, Rame, Seruie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Bulgarieque Rex. Omnibus Chriſti fidelibus, tam preſentibus quam futuris, preſens ſcriptum inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam Ad univerſorum notitiam tenore pre entium volumus peruenire. Quod Elias Comes Saxonum de Scepus ad noſtram accedens preſentiam, quandam terram noſtram adiacentem terre Doman, et propinquam terre eiusdem, poſtulauit a nobis ſibi dari: verum quia de qualitate & quantitate ipſius terræ veritas nobis non conſtat; Fidelibus noſtris Capitulo Sancti Martini de Scepus dedimus in mandatis, vt vnum ex iis mitterent pro teſtimonio fide dignum, coram quo Ladislaus Comes de Scepus homo noſter, reambularet ipſam terram, & ſtatueret ipſi Comiti Elias, ſi non fuerit contradictum, contradictores autem, ſi qui forent,

rent, ad noſtram preſentiam euocarent; quod quidem Capitulum nobis poſtmodum reſcripſit in hunc modum:

Excellentiſſimo Domino ſuo Ladislao Dei gratia illuſtri Regi Hungarie, Capitulum Eccleſie S. Martini de Scepus, orationes in Domino debitas & deuotas. Percepimus literas Serenitatis Veſtre, in quibus precipiebatur, quod cum Ladislao de Scepus homine veſtro, hominem noſtrum transmitteremus pro teſtimonio fide dignum, coram quo idem homo veſter reambularet quandam terram Elie comitis Saxonum de Scepus, adiacentem terre Doman, & propinquam terre eiusdem Comitis Elie. Nos itaque preceptis veſtris fideliter obedientes vt tenemur, Decanum Eccleſie noſtre cum homine veſtro transmiſimus: qui quidem homo veſter preſentibus commetaneis & vicinis, ſub teſtimonio Decani noſtri prediƈti, acceſſit ſuper faciem prediƈte terre, ſufficientem ſcilicet vſui dimidii aratri, vel parum amplius, & reambulauit eandem, & ſtatuit Elie Comiti ſupradiƈto, nullo contradiƈtore penitus exiſtente. Cuius quidem terre mete ſeu termini, hoc ordine diſtinguuntur. Prima incipit a parte orientali circa pratum, et tranſit per pratum, et in prato eſt meta terrea, et ſic tendit verſus Occidentem per aliud pratum, et tranſit riuulum per pratum, & ibi circa arabilem terram prope riuulum eſt meta vsque viam, quae vadit in Leucham, et circa viam eſt meta terrea, et de via aſcendit direƈte ſuper montem vsque ad antiquas metas, et ſic terminatur. Datum Sabbatho poſt Feſtum Apoſtolorum Petri et Pauli.

Nos igitur conſideratis fidelitatibus, et ſeruitiis meritoriis ipſius Comitis Elie, que nobis in illis partibus ſemper fideliter exhibuit et devote, diƈtam Terram dedimus, donauimus, et contulimus ipſi Comiti Elie, et per eum ſuis heredibus heredumque ſucceſſoribus iure perpetuo poſſidendam. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem, preſentes conceſſimus literas duplicis Sigilli noſtri munimine roboratas. Datum per manus Magiſtri Bartholomei Aule noſtre Vice-Cancellarii, dileƈti et fidelis noſtri. Anno domini Milleſimo,

ducen-

ducenteſimo octuageſimo ſecundo. Regni autem noſtri anno undecimo.

VIII.

Ladislai Cum. R. H. Priuilegium fori et nundinarum, an. 1283. — Ex autographo.

Ladizlaus Dei gratia Hungarie, Dalmacie, Croacie, Rame, Servie, Gallicie, Lodomerie, Cumanie, Wulgarieque Rex. Omnibus Chriſti fidelibus tam preſentibus quam futuris preſens ſcriptum inſpecturis ſalutem in ſalutis largitore. Cum benemeritis favor debitus inpenditur, et ſinus dilectionis panditur, fideliterque obſequentibus digna merces redditur, Deus placari creditur, et ſubditi ad fidelitatis ſtudia exercenda provocantur, accenduntur que ſpe et deſiderio retributionis amplioris. Ad univerſorum igitur notitiam harum ſerie volumus pervenire. Quod nos conſideratis fidelitatibus, et fidelium ſervitiorum preclaris meritis Dominici et Ladislai filiorum Stephani, Rorandi et Deſeu filiorum Leuſtachii, Reynoldi et Nicolai filiorum Oliveri, magiſtrorum de genere Ratholth, dilectorum & fidelium noſtrorum, nobis in diverſis expeditionibus Regni noſtri laudabiliter ac devote exhibitis et impenſis, ſpecialiter autem tunc, cum Comani temeraria et veſana preſumpcione inducti, contra noſtram Majeſtatem ſurrexerant, et nos levato exercitu noſtro ad expugnandos, debellandos, & compeſcendos eosdem Comanos perſonaliter acceſſeramus, iidem Comani hoſtiliter contra nos et exercitum noſtrum irruentes, nobiſcum bellum inierunt: in quo bello ſeu pugna, iidem Dominicus, Ladislaus, Rorandus, Deſeu, Reynoldus et Nicolaus magiſtri, tamquam leones intrepidi cum ipſis Comanis pugnaverunt, occidentes et vulnerantes quam plures de eisdem; ubi Laurentius frater eorundem, filius eiusdem Stephani laudabiliter debellando, vitam ſuam, pro fidelitate ſacre corone regie debita, terminavit. Nos igitur quem jus admonet, equitas inducit, benignitas interpellit, et dignitatis officium exortatur, merita ſerviciorum cunctorum nobis fideliter famulan-

tium

tium oculo pietatis intueri, et unicuique iuxta meritum remunerationis premio reſpondere: conſiderantes et in memoriam noſtre Maieſtatis revocantes fideles famulatus, quos memorati Dominicus, Ladislaus, Rorandus, Deſeu, Reynoldus, & Nicolaus Magiſtri, in expeditionibus regni noſtri cum fervore ſumpme fidelitatis nobis et regno noſtro fideliter inpenderunt, et ſpecialiter pro morte eiusdem Laurentii fratris eorundem, qui in exercitu noſtro, ut premiſimus, quem contra eosdem Comanos moueramus extitit interemtus, hanc graciam ſpecialem de benignitate regia eisdem duximus faciendam: ut populi ſeu Jobagiones ipſorum in poſſeſſionibus eorum Patha & Szenthgurg vocatis, in Comitatu Symigienſi exiſtentibus, a iudicio et iurisdictione quorumlibet Comitum Symigienſium et regni Palatini, exempti penitus et excepti habeantur, noſtro judicio ſolummodo eosdem reſervantes. Item conceſſimus eisdem, *ut deinceps et a modo, nullus Nobilis ex vicinis eorundem, ſeu de dicto Comitatu Symigienſi, usque ſpatium quod a mane incipiens ad horam prandii per equitem ambulando & trotando fieri poſſit, forum in poſſeſſione ſua contra forum predictorum fidelium noſtrorum, quod ſingulis ebdomadis in die Sabbati in prenominata poſſeſſione ipſorum Patha vocata, celebrari conſuevit, poſſit ſeu valeat celebrare et proclamare.* In cujus rei memoriam perpetuamque firmitatem, preſentes conceſſimus litteras noſtras privilegiales, duplicis ſigilli noſtri munimine roboratas. Datum in Peeſth, per manus diſcreti viri Magiſtri Bartholomei aule noſtre vicecancellarii, dilecti et fidelis noſtri. Anno Domini M. C. C. LXXX. tertio.

IX.

Teſtimonium loci credibilis de emtione et venditione ancillae pro ſex marcis, an. 1290. KAPRINAI MSS. B. XVIII. Nro. 119. — Ex autographo SAM. SZEKELY.

Nos Benedictus Prepoſitus et Conuentus de Leleſz ſignificamus uniuerſis quibus expedit, preſentium per teno-

tenorem, quod conſtituti coram nobis Henricus et Nycolaus filii Johannis de Comitatu de Ungh, qui etiam pro Petro fratre ipſorum reſponderunt, *quandam ancillam* eorundem Fata vocatam, quam in noſtri preſentia perſonaliter ſtatuentes hereditariam eſſe dicebant, venderent Jacobo de Pank Comiti videlicet de Ungh, *pro ſex marcis* perpetuo poſſidendam, quam pecuniam Jacobus ſupra dictus eisdem perſoluit plenarie coram nobis. In cujus rei teſtimonium noſtras literas conceſſimus, noſtri ſigilli munimine roboratas. Datum anno Domini M. CC. nonageſimo.

X.

Formula inſtrumenti confecti per Notarium auctoritate apoſtolica et imperiali publicum. — E KOLLERI *Hiſt. Epiſc. Quinqueeccl.* T. II. pag. 293. et ſeqq.

In nomine Domini amen. anno eiusdem a natiuitate 1309. die 15. menſis Iunii, Pontificatus Domini Clementis PP. V. anno quarto. In majori Eccleſia Sancte Marie de Caſtro Buden. Veſprimien. dioec. Reuerendo in Chriſto Patre & Domino, Domino Fratre Gentili tituli S. Martini in montibus presbitero Cardinali, Apoſtolice Sedis Legato, iuxta maius Altare ipſius eccleſiae Sancte Marie ſedente, ac Venerabilibus in Chriſto patribus dominis T. Strigonien. archiepiſcopo ad coronationis magnifici Principis Domini Caroli Ungarie Regis Illuſtris, et miſſarum ſolennia celebranda ante ipſum altare ſtante parato, et V. Colocen. archiepiſcopo, E. Varadien, & I. Nitrien. Epiſcopis eidem Strigonien. Archiepiſcopo aſſiſtentibus, Serafino Prepoſito Poſonien. in Diaconatus, et Michaele Canonico Strigonien. in Subdiaconatus ordinibus prefato Strigonien. archiepiſcopo adminiſtrantibus, ac Iohanne Prepoſito, Iohanne Cantore, Colino Cuſtode, Petro, Stephano, Paulo, Iacobo, Iohanne et Nicolao Canonicis Eccleſiae Alben. dicte Veſprimien. dioec. regalia paramenta, vt moris eſt, ſupra altare ipſum preparantibus; nec non magnificis ac nobilibus viris Ungarie Regni Baronibus, videlicet Homo-

Homodeo Palatin. pro ſe et filiis ſuis, Dominico Magiſtro pro ſe et fratribus ſuis Cocos & Lozcho, Demitrio Magiſtro filio Nicolai et Philippo de S. Geroldo pro ſe et pro Matheo Palatin. de genere Chaak, Stephano filio Bagim de Poſega, Aladaro de Forro, Petro & Marco filiis Stephani de genere Chaak, Becca Magiſtro pro ſe et pro fratribus ſuis, Magiſtro Dionyſio Aynardi, et Magro Benedicto pro ſe et pro Magro Ugrino, Magro Tauarnicorum Domini Regis Ungarie predicti, Ladislao Vernerii Comite Buden. ac Ven. in Chriſto Patre Fratre P. Archieppo Spalat. pro Paulo Bano Croatorum et Bosne, Domino Nicolao poſtulato ad Eccleſiam Iaurien. pro Magro Henrico Bano Sclauonie, et pro Magro Nicolao eiusdem Magri Henrici nepote, et Petro Archidiacono de Chasma in eccleſia Zagrabien. pro Stephano, Yuano, et Radislao filiis Bobonich magnis Comitibus Sclauonie, ante altare predictum aſtantibus. In prefata quoque eccleſia Sancte Marie Venerabilibus in Chriſto Patribus M. Agrien. Abba Vacien. P. Quinqueeccleſien. B. Veſprimien. A. Zagrabien. B. Cenadien. L. Sirmien. et G. Boſnen. epiſcopis, ac P. Scepucen. Prepoſito, aliisque Prelatis et Clericis, religioſis et ſecularibus, Miniſtro Minorum, et Prioribus Predicatorum et Heremitarum Sancti Auguſtini Prouincialibus, et eorum ac S. Benedicti, et aliorum ordinum fratribus; Nobilibus inſuper, Ciuibus et popularibus Ciuitatum, Caſtrorum, et villarum atque locorum Regni Ungarie, in multitudine copioſa preſentibus, prefatus Dominus C. Ungarie Rex in manibus prefati Strigonien. archiepiſcopi, et mei Notarii infraſcripti librum tenentium, flexis genibus ante altare predictum, et coram eodem Strigonien. Archiepiſcopo, tactis et obſculatis Sacroſanctis Evangeliis, infraſcripta primo literaliter lecta, deinde in Ungarico expoſita per ſepedictum Strigonien. Archiepiſcopum, inuiolabiliter ſeruare iurauit; videlicet Deo ſubdi, legi eius obſequi, fidem Catholicam, quam uniuerſalis Romana Mater Eccleſia predicat et docet tenere, eandem eccleſiam Romanam, et

et prefatam Sancte Marie, et Sancti Adalberti, ceterasque Ecclesias in ditione sibi credita constitutas, et earum Episcopos & Praelatos cum omnibus illis legitime subiectis, et ex Deo sibi creditis, secundum Deum commendare, honorare, et defendere; Papam Romanum et Legatos ipsius Ecclesie Romane non impugnare, sed potius defendere, eiusque Ecclesie Romane iura non ledere, nec terras ad ipsam pertinentes, vel statuta seu ordinamenta ipsius in eisdem terris scienter violare; Regnum sibi commissum, & iura Regalia non minuere, nec alienare, sed potius augere, et male alienata hactenus, secundum datam sibi gratiam, ad ius pristinum reuocare. Nobiles Regni sui Ungarie in approbato et antiquo iure seruare, atque a Tirampnorum oppressione eripere; legitimo coniugio tantum uti et contentum esse, dicente scriptura: relinquet vir patrem et matrem suam, et adherebit uxori sue, et erunt duo in carne una, et quod Deus coniunxit, homo non separet; Populo Dei sibi ex Dei prouidentia commendato prodesse et non obesse, & neminem ex eis sine justi legitimique judicii examinatione condempnare et de terra delere, delectatus Psalmiste voce dicentis: beati, qui custodiunt iudicium, et faciunt iustitiam in omni tempore; promittens, spondens, atque pollicens coram Deo, Beata et gloriosa semperque Virgine Dei genitrice Maria, beato Adalberto martire atque Pontifice, et omnibus Sanctis, Prelatis, Baronibus, Nobilibus, Religiosis, et aliis supradictis, omnia predicta et singula firmiter et inuiolabiliter observare, in quantum divino fultus adjutorio fuerit, secundum scire suum et posse. Super quibus tam Barones predicti presentes ibidem, quam alii prenominati, nomine et pro parte absentium predictorum, a sepefato Strigonien. Archiepiscopo singulariter requisiti, tactis eisdem Sacrosanctis Euangeliis, eadem omnia et singula suo iuramento firmantes, ipsumque Dominum C. recognoscentes in verum et legitimum Regem Ungarie, ac suum et dicti Regni Dominum naturalem, ipsi Regi, in sepedicti Strigonien. Ar-

chie-

chiepiſcopi et mei prediĉti Notarii manibus vt predicitur librum tenentium, preſtiterunt debite fidelitatis homagium, et ſolitum Ungarie Regi ab eiusdem Regni Baronibus iuramentum.

Et ego Guillelmus de Sangineto apoſtolica et imperiali auĉtoritate Notarius publicus, prediĉtis omnibus preſens interfui, ipſaque de mandato ac auĉtoritate prefati Domini Legati ſcripſi et publicaui, meoque ſigno conſueto ſignaui, et ad maiorem prediĉtorum roboris firmitatem ac memoriam futurorum, ſupradiĉtus Dominus Legatus preſens Inſtrumentum publicum fecit Sigillo proprio roborari.

XI.

Comitatus de Szatthmar Duellum pedeſtre inter litigantes decernit. KAPRINAI MSS. B. XVIII. Nro. 63. — Ex autogr. SAM. SZÉKEL..

Nos Mark Comes de Zotmar vice magiſtri Mikaelis, et alii quatuor iudices de eodem. Damus pro memoria, quod cum Iohannes filius Zacharie ſuper ſubtraĉtione rerum de eccleſia ſua, contra Stephanum diĉtum Chyba, in Feſto exaltationis S. Crucis, teſtes euidentiores coram nobis produxiſſet; idem vero Stephanus legitime interrogatus, idem iuramento teſtimonium noluiſſet; nos itaque partibus volentibus et ſponte aſſumentibus, *Duellum pedeſtre iudicauimus inter partes*, ita, quod idem Stephanus propria in perſona dimicabit, Iohannes vero producet pugilem quemcunque poterit meliorem. Duellum vero feria ſecunda proxima poſt Feſtum Galli confeſſoris coram nobis. Datum in Zothmar, ſecunda feria in Feſto prenotato.

XII.

Idem Comitatus duello viĉtum laqueo ſuffocare iuſſit, anno 1321. KAPRINAI l. c. Nro. 64.

Nos Martinus (Mark?) Comes de Zothmar, et alii quatuor iudices de eodem damus pro memoria, quod

quod secunda feria proxima Ioachimus filius Abraam contra Stephanum Chyba peditem duellum inhyendo, eundem Stephanum in area Duelli dimicando deuicit, et eundem pro poena patibulo suspendi ut furem manifestum eundem praecepimus, per eandem mortem merito est suffocatus. Datum in termino praenotato, anno Domini MCCCXX primo.

XIII.

Duellum equestre inter litigantes indicitur, an. 1329. KAPRINAI XXXIX. B. Nro 28. — Ex autogr. SAM. SZÉKELY.

Nos Comes Nicolaus Vice iudex Magistri Wyllermi damus pro memoria, quod Dominicus filius Iacobi de Halagus, contra Iohannem, Petrum et Lukacium filios Fertes (ex quibus idem Iohannes personaliter comparuit in figura iudicii) egit proponendo in hunc modum: quod feria sexta proxima post diem cinerum, cuius vigesima reuolutio praeteriit annualis, praedictus Fertes pater ipsorum, Bauaz fratrem suum, in possessione sua Halagus vocata occidisset. E converso vero praedictus Iohannes patrem suum memoratum penitus haec fecisse denegauit, et in instanti, porrecto signo duelli, idem Iohannes pro se absque fratribus suis memoratis, videlicet producto testimonio, se super duello submisit, praedicto Dominico signo duelli in eodem instanti acceptante. Unde nos partibus volentibus & assignantibus, *duellum equestre adiudicauimus inter partes* tali modo: quod sexagesimo secundo die datarum præsentium, videlicet secundo die b. Luciæ Virginis nunc venturo, praedictus Dominicus pugile congresso, et Iohannes pugile incongresso secum adductis, aut propria in persona, in area duelli coram Domino nostro (scil. dimicabunt) in Wyssul. — (Datum) secundo die quindenarum Beati Michaelis Archangeli, Anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo nono.

Epigraphe: Pro Iohanne filio Fertes, contra Dominicum filium Iacobi, super duello equestri ad villam Wyssul; ad praesentiam Domini nostri, memoriale.

XIV.

Vir nobilis furti accusatus, jurejurando se coram sede sacra excusat, adjutus juramento alterius conditione sibi paris, an. 1333. (KAPRINAI MSS. B. Tom. XVIII. Nro. 31. — Ex autographo SAM. SZÉKELY.)

Nos Magister Ioannes Praepositus Ecclesiae S. Georgii Martyris de Strigonio Canonicusque Ecclesiæ Agriensis, Generalis Vicarius Venerab. in Christo Patris Domini Nicolai Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopi Agriensis; damus pro memoria. Quod cum iuxta continentiam priorum literarum nostrarum, comes Petrus filius Iohannis de Panyila, *secundo se ac Nobili sibi simili* in Octavis S. Mychaelis Archangeli, contra Dominicam uxorem Georgii Clerici de Harsan, in capella eiusdem Domini nostri Episcopi, sacramentum praestare debuisset: adueniente ipso termino, dictus Comes Petrus cum praefato *coniuratore suo, videlicet nobili sibi simili*, contra dictam Dominicam praestitit Sacramentum super eo, quod ipse duo pecora, scilicet *unam vaccam et unum bouem, unam marcam valentes*, eiusdem Dominicae, ab ipsa Dominica non abstulisset, et in his contra eandem Dominicam penitus innoxius esset et immunis. Datum Agriæ in crastino ipsius diei iuramenti, Anno Domini 1333.

XV.

Palatinus iudicium prorogat. — Ex apographo.

Nos Wylhelmus Drugeth Palatinus et Iudex Cumanorum damus pro memoria, quod causam, quam Gregorius filius Iohannis, et Petrus filius Pauli, ex quibus idem Gregorius pro se personaliter, pro ipso vero Petro, cum procuratoriis literis Capituli Ecclesie Scep-

Scepſienſis adſtitit, contra Gregorium filium Itemer, pro quo Iohannes filius Uz cum procuratoriis li:eris Prepoſiti & Conuentus de Jazow, in facto quorundam iugerum terrarum pro ſex groſſis eſtimatarum, in octauis Feſti Natiuitatis S. Iohannis Baptiſte mouere habebant coram nobis: de pártium voluntate ad octavas feſti Sancti Michaelis Archangeli nunc venturas, ſtatu in eodem peremptorie duximus prorogandam; ſi partes medio tempore non potuerint concordare. Datum in Wiſſegrad, duodecimo die termini prenotati. Anno Domini M. CCC. XXXX. ſecundo.

XVI.

Ludovicus I. R. H. Comitatui Temeſienſi Comitem et Caſtellanum nouum indicit, an. 1371. (KAPRINAI MSS. B. III. Nro. 28. a.)

Nos Ludovicus Dei Gratia Rex Hungariae, Poloniae, Dalmatiae &c. vobis Magiſtro Ladislao Filio Andreae Vice Caſtellano de Themesvár; item uniuerſis officialibus et tributariis Domini Ladislai Ducis Opuliae et Palatini, in dicto Comitatu et eius partibus inferioribus conſtitutis, nec non Nobilibus et alterius ſtatus hominibus, ac etiam villicis et jobbagyionibus noſtris uniuerſis, praeſentibus declaramus, quod nos ipſum Comitatum, cum Caſtellanatu dicti Caſtri, ab eodem Domino Ladislao Duce Opuliae, proximo et Palatino noſtro, ſalua dilectione noſtra auferentes, ipſos Magiſtro Benedicto Filio Pauli Filii Heem, duximus pro honore conferendos. Quocirca veſtrae Fidelitati firmis damus in mandatis, quatenus mox viſis præſentibus, vos Vicecaſtellanus, item Officiales tributarii dicti Domini Ladislai Ducis, exeatis de honoribus praenotatis, et ipſos honores eidem dicto Benedicto vel hominibus ſuis reſignetis pleno iure. Vos vero villici, populi, et jobbagyiones noſtri, eidem Benedicto Bano obediatis, et collectas veſtras ſibi adminiſtretis et extra-

 detis,

detis, temporibus oportunis. Aliud non facturi gratiæ nostrae sub obtentu. Datum Visegrad, in festo Beati Martini Episcopi & Confessoris. Anno Domini 1371.

XVII.

Literæ metales Conuentus S. Crucis de Lelesz, anni 1379. — Ex autographo quod cupro incisum est Tab. III. Nro. 1.

Omnibus Christi fidelibus presentibus et futuris presens scriptum inspecturis, Dominicus Prepositus et Conuentus Sancte Crucis de Lelesz, salutem in salutis largitore. Ad vniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire, quod Emerico filio Iohannis, Petro filio Stephani, Iacobo Andree, et Iohanne filiis Petri filii Iohannis Nobilibus de Tyuadarfalua ab vna; parte vero ex altera, Iohanne filio Pauli, Valentino, Benedicto, & Akus filiis Stephani pro se personaliter, pro Iohanne vero filio eiusdem Stephani, idem Iohannes filius Pauli totum factum expediendum sicut presentibus continetur, ad onus suum assumpmendo; Bartha et Thoma filiis Egidii pro se personaliter, pro Iacobo vero idem Bartha frater suus modo premisso factum ad onus suum expediendum assumpmendo, Nobilibus de Chatouhaza, coram nobis constitutis, confessum extitit per easdem partes unanimi voto pariter et relatum, qualiter pretextu iustificationis et metarum erectionibus inter ipsos sepe sepius discordie et lites seminate et orte fuissent. Tandem tamen ad ultimum, propter melius et utilius commodum possessionum predictarum, habita matura inter se deliberatione, ipsas possessiones Tyuadarfalua et Chatouhaza vocatas, his metis ab inuicem sequestrassent et distinxissent: quod primo incepissent a parte orientali, iuxta unam viam quae ducit de villa Fraglanfalva in villam Tyuadarfalua, iuxta quam versus meridiem erexissent duas metas terreas, a quibus, vt refertur, ten-

 dit

dit versus occiduam plagam per medium campum Fyzkusmezeu appellati, et cadit ad locum Zathvelge dictum; abinde transit ulterius per modicum spatium infra in eodem Zathvelge, et tandem salit de ipso ad terras arabiles versus meridiem, et veniet ad siluam Lusuk dictam, in cuius latere a parte septemtrionali existenti erexissent duas metas terreas; deinde currit in latere eiusdem silue ab eadem plaga adiacenti ad unam arborem ilicis, signo crucis consignatam, a qua transit per medium ipsam siluam ad unum locum scilicet voluptabrum porcorum Fertes dictum; deinde exit ad campum directe versus meridiem, et in exteriori latere eiusdem silue, ab ipsa plaga adiacenti dirigitur versus occidens, et veniet ad finem ipsius silue Lusuk, ubi exit unum er Sassas vocatum, et currit in eodem versus meridiem, ad aquam Told nominatam, et in eadem aqua transit paululum superius, et salit de ipsa aqua ad latus unius campi Belsemezey a parte orientali adiacens veniet ad vnam arborem piri, sub qua sunt due mete terre erecte, ab istis transit in eodem campo per modicum spatium ad unam metam terream, a qua declinatur paululum ad plagam inter meridiem et occidens, et anectit alteram arborem piri cruce consignatam, a qua tandem cadit ad unum Telgefer, et de ipso er dirigitur paululum ad occidens, inde ad Belsemathara et inde in latere eiusdem a parte meridionali adiacenti, et salit de ipso latere ad fluxum aquæ Huzylazpataka vocatum, et in eodem transit paruum infra, et salit extra ad siluam Zarazerdeu, et in eadem silua currit ad vnam arborem Gyartansa cruce signatam, et de ipsa arbore currit in eadem silua ad vnum lutosum locum, ubi dumi viminis et arbores Egursa habentur, inde currit ad aquam Asouan vocatam, in quarum coniunctione sunt duæ mete terre, inde in meatu ipsius aque currendo coniungitur cum alia aqua Bater vocata, et ibi metalis cursus dicitur terminari. Quarum quidem metarum a parte orientali terre adiacentes, cum omnibus earum utilitatibus et quibuslibet pertinenciis ad easdem spectantibus, pre-

 dicte

dicte possessioni Chatouhaza deuenissent, residuis omnibus terris, similiter cum earum quibusuis utilitatibus et pertinenciis, quemadmodum ipse mete scindunt, a plaga occidentali adiacentibus, predicte possessioni Tyuadarfalua remanentibus, cuique parti iure perpetuo et inreuocabiliter possidere, tenere et habere. In cuius rei memoriam perpetuamque firmitatem, presentes literas nostras, ad instanciam parcium, pendentis sigilli nostri duximus munimine roboratas. Datum die dominico proximo ante Festum beati Laurentii Martyris, anno Domini MCCCLXX nono.

XVIII.

Maria Regina ius succedendi in bonis masculos attinentibus feminae largitur. 1385. (Literae praefectionales) — KAPRINAI MSS. B. Tom. IV. Nro. 33.

Nos Maria Dei gratia Regina Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. Memoriae commendamus per praesentes, quod sicut ad supplicationis instantiam fidelis nostri Baronis, Magnifici viri Nicolai de Zeech, Palatini regni nostri, pro Nobili Domina Clara vocata, filia Petri filii Pethew de Makwa, Comitatus Castriferrei, consortis videlicet Nicolai filii Michaelis de Egerwar, nobis humiliter porrectae: sic non minus pro fidelitatibus et sincerissimis servitiis Michaelis Literati, et Stephani, filiorum eiusdem Nicolai, nostrae Maiestati per eosdem exhibitis, praedictam Nobilem Dominam, Claram nuncupatam, matrem ipsorum Michaelis Literati & Stephani, *annuente et consentient: fideli nostro Barone, Magnifico Viro Nicolao Zambo, Magistro Tavarnicorum nostrorum*, tam de omnibus iuribus possessionariis ipsius condam Petri filii Pethew, quam de possessionibus, hominis sine haerede decedentis, olim Serenissimus Princeps Dominus Lodovicus Rex Hungariae, et genitor noster carissimus, felicis recordationis, pro suis fidelitatibus et servitiis, fecerat collationem, potissime quia idem condam Petrus filius Pethew, filiis et fratribus ac proximis,

ad

ad quos iura sua possessionaria devolvi possent, infra quartam lineam cognationis destitutus fore perhibetur; in uniuersis possessionibus; et possessionariis iuribus ipsius condam Petri, et Nicolai filii ejusdem, hominum absque haeredum solatio defunctorum, in quibuscunque Comitatibus, et partibus Regni nostri Hungariae existentibus et habitis, et quouis nominis vocabulo vocitatis, verum haeredem et legitimum successorem, in filium masculinum praefati condam Petri et Nicolai filii sui, ex beneplacita voluntate Excellentissimae genitricis nostrae charissimae instituimus, creavimus, et praefecimus, de plenitudine nostrae Regiae potestatis et gratia speciali; non obstante, si pro ipsa Nobili Domina ius quartale proprium, vel dotalitii, maternum, aut alienum habitum haberetur, vel receptum, de quibus eadem Nobilis Domina vice reciproca correspondere teneatur, quoniam eam nolumus gratia nostra frustrari, in casu hujusmodi autem sibi praeiudicium gravari in hac parte; imo ipsas omnes possessionarias portiones, et quaeque iura possessionaria praefati condam Petri, et Nicolai filii sui, etiam de consensu ipsius Magistri Nicolai Zambo in hac parte adhibito, eisdem Nobili Dominae, filiis suis, ipsorumque haeredibus et posteritatibus uniuersis, absque praeiudicio iuris alieni, in perpetuam adscribimus haereditatem, praesentium literarum nostrarum testimonio mediante. Quas sub magno nostro sigillo dari faciemus, dum nobis fuerint reportatae. Datum Budae in festo Beati Nicolai Confessoris, Anno Domini 1385.

XIX.

Jacobus Abrahae Castellanus Bajmocensis, Hermanno Heckel Sculte tiam Tussinensem nomine Leustachii de Ilsva Palatini adscribit. 1393. (BELII *Notitia noua R. H.* Tom. IV. pag. 441.)

In Nomine Domini Amen. Omnia tempora singularum rerum personarumque finem habere cogun-

tur. Ideo ne ea quae tempore solito suo more contrahuntur, tempore insolito ponantur, idcirco memoria sit tenendum omnibus tam praesentibus quam futuris quibus expedit uniuersis. Quod cum nos Iacobus Abrahe, Castellanus Baimoczensis, ex gratia Sigismundi Dei gratia Regis Hungariae Illustrissimique Marchionis Brandeburgensis illud castrum gubernassemus regendo, loco Magnifici viri Domini Leustachii de Ilsva, pro tunc Palatini Regni Hungariae, ad nostram personaliter accedens præsentiam, vir sagacis ingenii Hermannus dictus Heckel, Iudex de villa Fabri atque conciuis in Probna, Domino nostro Magnifico viro Leustachio atque nobis exhibuit nonnullas literas priuilegiales super emtione villicatus iudiciique villae Fabri praetactae, in quibus quidem literis prope finem conclusionis priuilegii continebatur talis Articulus: etiam eidem Iudici ejusque posteris in futurum subsequentibus damus et comittimus nostris in tenutis, quandam siluam densam iuxta fluuium dictum Tussina, exstirpandam, obsedendam, populo aggregandam, retinendam omni in iure Teutonicali, ac modum libertatum et consuetudinis dictae villae nostrae Fabri, seu aliarum circumadiacentium. Hoc itaque articulo perlecto et priuilegio, idem praefatus Hermannus Heckel, sibi nouum privilegium speciale a Domino nostro Leustachio cupivit fieri, super eadem silua densa, superius villam Fabri, ipsam velle in nomine populorum exstirpare. Itaque, ad ipsius preces inclinatus vir Magnificus Dominus Leustachius, adiudicauit ipsius fieri petitionem. Et quia tunc occupatus negotiis officii sui Palatinatus, nobis, videlicet Iacobo Abrahe commisit, sibi Hermanno desuper conficere privilegium nostro sub sigillo, quod et fecimus, cuius priuilegii tenor sequitur in haec verba: Nos Iacobus Abrahe, Castellanus Bajmoczensis pro tunc, de beneplacito Domini nostri Leustachii de Ilsva, Palatinique Regni Hungariæ, memoriae commendamus uniuersis et singulis, quibus expedit tam praesentibus, quam futuris, quod nos considerata probitate morumque venustate sagacis viri Hermanni

Heckel,

Heckel, iudicis de Villa Fabri, et conciuis in Probna, ad petitionem ſuam ſuperius inſitam, dedimus et contulimus ſibi, ſuisque filiis et poſteris, vnam ſiluam denſam iuxta fluvium Tuſſina ſuperius Villam Fabri, a monte Kynberg aſcendendo fluuium Tuſſinam, usque ad tenuta villae dictae Czitzmann, cum collateralibus montibus, de iure ad fluuium Thuſſina ſpectantibus; ex alia vero parte montis dicti Wyndgebürg, usque metas Villae Fabri praedictae, cum ſuis collateralibus exſtirpandam, obſedendam, populo aggregandam, in libertate XVII. annorum, omni ſine datione permanendum, et in iure Teutonicali ſeruandum, omni in iurisdictione, qua fruuntur fideles hoſpites noſtri in Villa Fabri. His itaque annis XVII. libertatis elapſis, Domino noſtro Leuſtachio, et ſuis haeredibus, iuxta poſſibilitatem ipſorum, ad modum aliarum villarum Teutonicalium, tenebuntur cenſuare atque ſeruire. Deinde eosdem omnes populos ad plantationem Heckelſchey dictam, in iure Corponenſi volumus indemnes conſeruare. Item, ſi aliquis forte cauſſaliter ibidem in fugam conuerſus fuerit, ſicuti rixantes in tabernis, ſi fuerit pro re honorifica, ad triduum ipſi dabuntur treugae; donec forte aemulis ſuis poſſit reconciliari. Item damus eidem Hermanno Heckel, illud iudicium libere poſſidendum, cum duobus laneis, et libera curia, et una taberna, tria molendina, unum quodque cum una rota, etiam unam rotam ſerrandi robora pro aſſeribus, pro aedificiis domorum. Etiam damus eidem iudici et ſuis omnibus poſteris in filios filiorum illud iudicium ſeruandum, commutandum, vendendum, exponendum pro cenſu, ſi ipſis placuerit, omni ſine contradictione. Inſuper damus pro Eccleſia, ſi ibi fuerit, commode locanda, ſuum liberum laneum cum curia. Item, damus facultatem iudici et ſuis poſteris conſeruandum carnificem, fabrum, piſtorem, ſutorem, ſartorem. Item, damus iudici, quicunque fuerit, ſextum laneum, et ſextum jobagyonem, qui ſibi deſerviat et ſuae poſteritati, cum omni cenſu, ſicuti in Villa Fabri. Idem iudex

plenam

plenam habeat facultatem iudicandi cum suis iuratis, omnes caussas, præter has, furtum, cum stupro. Homicidium sibi non do, non iudicet sine me illum qui miserit ignem: in quibus nos iudicabimus, una cum eo, et suis iuratis, ita, ut duæ partes tangant nos, iudicem vero tertia. Item, in anno tria iudicia legalia habebimus, iuxta consuetudinem aliarum villarum, in quibus nos, vel nostri delegati descendent iudicaturi, vestris in expensis, tam iudicis, quam ceterorum ibidem commorantium. In cuius rei testimonium, hoc priuilegium nostro sub appenso sigillo duximus roborandum testimonio litterarum. Acta sunt haec ab anno Domini millesimo, trecentesimo, nonagesimo tertio. XII. die Mensis Maii. Praesentibus testibus multis fide dignis. Scripta per manus Iohannis de Probna, Notarii publici.

XX.

Epistola querula Capituli Eccl. Bacsiensis ad Sigismundum R. de Ladislao de K. χαρτόφαγω, an. 1410. KAPRINAI MSS. B. Tom. IV. Nro. 58.

Serenissimo Principi et Domino, Domino Sigismundo Dei gratia inclyto Regi Hungariae, Dalmatiae, Croatiae, &c. Domino ipsorum naturali: Capitulum Ecclesiae Bacsiensis perpetuae fidelitatis constantiam orationibus cum devotis. Regum Excellentissime, mortaliumque metuende, Domine noster naturalis! Praesentibus cogimur humiliter vestrae exponere Majestati: quomodo feria secunda proxima post festum Sanctae Trinitatis, Ladislaus de Kereztúr, de Comitatu Bacsiensi, una cum Domina matre sua, in Capitulo coram nobis literis procuratoriis est confessus; ubi in continenti quidam familiaris, et procurator Ladislai de Szilagy personaliter adstans, quandam literam nobis demonstravit, quae iura possessionaria Nobilis Dominae Catharinae, consortis ipsius Ladislai de Szilagy, concernere dignoscebantur; quae inquam iura et possessiones pro praesenti dictus Ladislaus de Keresztúr

apud

apud manus ſuas habere perhibetur. Quo facto dictus Procurator Ladislai de Szilagy, et Nobilis Dominae Catharinae conſortis ſuae, ibidem praefatum Ladislaum de Kereſztúr, et Dominam matrem ſuam, iuxta contenta ipſius literae, ab ulteriori detentione, (et) fructuum perceptione poſſeſſionum earundem, facie ad faciem prohibuit coram nobis. Tandem Ladislaus de Kereſztúr praedictus paria ipſius literae nobis praeſentatae, ſibi à nobis dari poſtulauit: nos quoque petitionibus ſuis inclinati, de conſenſu partis alterius paria eiusdem dicto Ladislao de Kereſztúr dare promiſeramus, literam eandem de manibus noſtris ad manus Magiſtri Stephani de Agria, Socii et Concanonici noſtri, propter abſentiam Notarii noſtri, dedimus et aſſignavimus. Demum ipſo Magiſtro Stephano, verſus curiam ſuam tranſeunte, ipſe Ladislaus de Kereſztur eum inſecutus fuit, et in eadem curia ſua ipſum Magiſtrum Stephanum coram ſe ſedere fecit, et nomina Procuratorum coram nobis faſſorum, per ipſum ſcribi poſtulauit, ipſeque Magiſter Stephanus dictam literam Ladislai de Szilagy ſiniſtra manu fortiter tenens, dictus Ladislaus de Kereſztúr grauiter ſuſpiravit, eandem literam de manu ipſius Magiſtri Stephani violenter diripiens, et hinc una cum famulo ſuo gladium arripiens, ipſam literam idem Ladislaus dentibus ſuis in minutas partes diſcerpens et dilanians, ſigillum eiusdem literae cum quadam particula papiri mox deglutiuit, et alta voce clamauit: quod ſiue jam in continenti moriatur, quia quod optaverat expleviſſet; et niſi eundem Magiſtrum Stephanum familiares ſui defendiſſent, dictus Ladislaus de Kereſztúr ipſum miſerabiliter jugulaſſet, ubi quidam familiaris ipſius Magiſtri Stephani, Michael nomine, in manu extitit vulneratus per Ladislaum memoratum. Ad quos tumultus alii ex nobis celeriter concurrentes, in curiam ipſius Magiſtri Stephani, ubi tantum facinus commiſerat, pro omnimoda probationis veritate dictum Ladislaum de Kereſztur, dictae literae particulas de terra colligentem, et minores in particulas dentibus ſuis dilaniantem cer-

nen-

nentes, una cum famulo suo praedicto deprehendimus, deprehensumque juxta modum et consuetudinem hujus Comitatus Bacsiensis, primo et ante omnia ad manus Iudicis Nobilium duximus assignandum. Quod inquam malum, et abusiua praetensio, hanc sanctam Ecclesiam Dei Bacsiensem et Vestrae Celsitudinis, non tamen ista vice hoc affecit, sed etiam alias, quem propter innuentem vigorem nostri Gubernatoratus, pro tempore, ut potuimus, propensius supportavimus. Quare nunc supplicamus Vestrae Celsitudini humiliter et devote, quatenus hujusmodi pravae temeritatis incursui, remedio opportuno propensius dignemini obviare. Datum feria sexta proxima post festum Beati Urbani Papae, Anno Domini 1410.

XXI.

Statuta Contubernii textorum panni in tribus Scepusii Urbibus, an. 1416. — Ex protographo; saltem *exemplo synchrono*.

In dem Jare alz man schribet noch Gotes Geburt virczenhundert Jar und in dem sechczenden Jare, di Ersamen Meister des Hentwerkes der Wullenweber, alle gemeine, rich und arm, junk und alt, in den Czechen in den dryen Steten, Lwcza, Kesmark unde Lubicz, vil Czit und Tage mit groser Vornunft und Vorsichtikeit nicht dorch Nydes noch Hasses willen, nicht czu Schaden noch Beswernis andere Erberre Lewte, sundern dorch gutes alders willen Richtikeit unde Bestetunge yres Hentwerkes gesunnen und gedocht haben, wi si etliche Stucke di si noch aldym Gelubde czu Notdorft yres Hantwerkes mit Wisheit begrife möchten, di do in groß Vorsichtikeit stete und gancz gehalden sint bi yren Eldern und Vorvaren alz yn Got genode, di do von Worte zu Worte beschreben woren, und vorstoret und czubrochen sind in etlichen Sachen yn Roybe unde Ungenoden unde Feuers halben des Landes unde Phlage Gotes des almechtigen, wenne den Meistern Gemeine in den Czechen in den dryen Steten vorgeschriben die Errunge yres Hantwerkes und Uneintrechtikeit di si hatten undereinander die

die Meister Gemeine czu Herczen nomen, und sunnen Nacht und Tag die vörloren czubrochen Stucke und vorstorten alden Gelubde ytes Hantwerkes weder czu vernewen unde stetlich czu halden si Gemeine unde yre Nochkomelinge ane alle Rede und Wedersprechunge di hi nochvolgen in desen Worten. Czw dem ersten sie gelibet und nach dem alden Gelubde yrer Vorvaren und Veter si stetlich halde wullen, das kein Meister rich noch arm nicht mer Lerknechte habe sal wen einen; derselbe Lerkneth sal usgenomen werde mit Wissen der vir Meister in sulch mase, das man derkenne mit groß Vorsichtikeit, ab her frum si und geborn von erbern Lewten, derselbe Lerkneth sal sich vorbinde usczudinen sine Leriar volkomelich VI. Jar, usgenomen ab her nicht lert w'ken, zo sal her bliben bi iiij Jaren; ab her in den VI. Jaren virfil wolde mit sinem Meister und von ym ginge ader lyfe, und yn XIIII. Tagen nicht weder queme zu sinem Meister, zo sal her in dem Lande kein Recht habe uf dem Hantwerk, sundern alzo begriffen, ab ein Mester czu kurcz thu wolde sinem Lerkneth mit redelichen Sachen das her es nicht gelide mochte, zo sal der Lerkneth es kunt thu den IIII. Meistern, di sullen es derkenne noch den Rechten, und wen der Lerkneth usgedinet sine leriar, zo sal in sin Meister von ym wise mit Gewande, nicht mit dem besten noch mit dem ergisten, das her selber macht, noch sinem Vormuge, und wen der Meister von ym gewiset sinen Lerkneth das her vri ist, zo hat her eine Willekör ab her wandern wil ader nicht; wil her wandern ein Jar ader zwei, ab es ym not thut, her mag sich czin an sine Gerechtikeit das her sine Leriar usgestanden und gedinet hat alz ein frumKneth; ab her aber blibe wil und stelle zu Narunge, zo wullen die Meister Gemeine noch dem alden Gelubde, das her ein Jar dine sal einem Meister ume einen genanten Lon, das andere Jar erbete ume Geld, dornoch ab her sich helt fromlich und yn Eberkeit das her begert Meister zu werden, zo sal her usgenomen werde czwusschen Winachten und Wasnacht und nicht zu einer andern Czit

in

in dem Jare, mit der Gerechtikeit alz si haben vnder yn die Meister Gemeine. Als ym Got gehiift vnd sine Fromheit das her usgenomen wirt czu einen Meister, zo sal her erbete ym selber und nicht vme Lon als ein anderer Kneth; ab ym di Erbert zu meisten wird, und nicht bethwinge mag und zu kurcz an dem Gelde, zo sal her helffe enen andern Meister und her ym weder helffe czu siner Erbert, aber nicht vme Lon keinem Meister. Ab sich es geburte das ein Lerkneth neme zu der Ee eine Withwe di, do vor gehat hette einen Meister, vnd nicht sine Leriar usgestanden hette, der sal gar keine Meisterschaft tribe, sundern der sulle die czwei Leriar und dornoch der Fitvrawe erbeten vme Lon uf di Czit das her Meister wirt zwusschen Winachten und Vasnacht vorbenennet; hat her aber usgestanden sine Leriar und gedinet, zo sal her vri si der czwen Jar und dorczu nicht gebunden. Muth noch dem alden Gelubde: ab ein Kneth griffe czu der Ee mit eines Meisters Tochter, dem sal abe gehn ein Jar noch siner Wilkor her si sin geweldig. Muth, ab ein Meister lyze einen Zun vnd her wolde czu dem Hentwerk, der sal genyse sines Vaters, und vri si, nicht gebunden czu den VI. Jaren, sundern her mag sich voreyne mit eynen erbern Meister uf eine Czit alz yn bedersit suget dornoch czu warten sines besten alz in yre Gerechtikeit underwiset. Muth noch dem alden Gelubde: ab ein erber Man ein fremder queme czwusschen uns, es were in welche Stad es were under den drien Steten, vnd worbe in dy Czeche und begerte Meister zu werden, und bewerte in siner Gerechtikeit das her vor Meister were, der sol genyse sin Erberkeit, vnd sal usgenomen werde in die Czeche, zu welchen Cziten her sinbegert in dem Jare an alle Hynderniz vnd Wederrede. Di alden Gelubde vnd Stucke hi beschreben czu Notdorf des Hentwerkes habe wir Meister Gemeine in den Czechen in den drien Steten Lucza, Kesmark vnd Lubicz gelibet stetlich czu halden, mit den Werken czu volbrengen, wir vnd alle vnsere Nochkomelinge ane alle Rede und Wedersprechunge, yn sulchem Bunde, ab indert ein Man ader

Mei-

Meister, junk ader alt, rich ader arm, in den drien Steten vorgennet, unsers Hantwerkes dorweder were, mit Worten ader mit Werken, der sal keinem Meister gut genug sin czu einem Mitpruder uf dem Hantwerk, wenne wir es gemeintlich gelibet haben in wolbedachtem Mute. Datum ut Supra.

XXII.

Formula mandati, quod inhibitorium dicitur. — Pro Genealogia Ioan. de Hunyad. — Ex apographo.

Ioannes de Hunyad Regni Hungariae Gubernator, uniuerſis et ſingulis Dominis Praelatis, Baronibus, Comitibus, ſignanter autem in caſtris Hunyad et Hatzeg conſtitutis Caſtellanis, alteriusque cuiusuis ſtatus et praeeminentiae Hominibus, praeſentes haſce noſtras viſuris ſalutem cum fauore. Dicit nobis Egregius *Woyik de Chionok frater noſter condiuiſionalis*, in ſua, ac Ladislai et Sandrini filiorum ſuorum, nec non Daan filii Jarizlo de dicta Chionok perſonis, quomodo complures forent Nobiles et Caſtellani, qui ipſos in diuerſis ſeruitiis, daciis, collectis, et exercitualibus expeditionibus nimium aggrauaſſent, aggrauarentque etiam de praeſenti, contra noſtram gratiam authoritate noſtrae Gubernationis ipſis factam. Unde nos praeſentibus hiſce noſtris requirimus Dominationes veſtras et Fraternitates, quatenus praefatos Egregium Woyik de Chionok, ac Ladislaum et Sandrinum filios eiusdem, nec non Daan filium Iarizlo, poſteritatesque ipſorum uniuerſas, in ipſorum poſſeſſionibus, puta Chyonok praedicta in Hatzek, et Doboka in Hunyad diſtrictibus habitis, nullo modo impedire et impedire facere dignemini: ſed eosdem, ac poſteritates eorum uniuerſas, ab omni exercituali expeditione, ſeruitiorum collectis, et daciis quibusuis volumus habere exemptos, immo eximimus et ſupportamus, praeſentium per vigorem. Pro eo quicunque Regni Hungariae ſucceſſores, ſignanter Caſtellani Caſtrorum Hunyad et Hatzeg praedictorum; praeſcriptam noſtram gratiam infringere attentauerint, indignationem Dei omnipotentis, ſuaeque

que Genitricis Virginis gloriosae, Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum, ac omnium Sanctorum incurrant; ac eo facto anatemati sint. Datum in Karansebes, feria tertia proxima ante festum decollationis Iohannis Baptistae, anno Domini Millesimo Quadringentesimo quadragesimo octauo.

XXIII.

Priuilegia Urbis Sopronienſis per Matthiam I. Regem transumta, et aurea bulla confirmata, anno 1464. e MSS. L. B. ALEX. de TOTH-PRONA.

Mathias D. G. Hungariae Dalmatiae, Croatiae, Ramae, Seruiae, Gallitiae, Lodomeriae, Comaniae, Bulgariaeque Rex. Omnibus Christi fidelibus, praesentibus pariter et futuris, praesentium notitiam habituris, salutem in omnium Saluatore. Decet Regiam Maiestatem, vt preces bene meritorum suorum clementer exaudiat, et eos tanto liberalius fauoribus suis prosequatur, quanto ad obsequia sua cognouerit promtiores. Proinde ad uniuersorum notitiam harum serie volumus peruenire; quod Maiestatis venientes ad conspectum, fideles nostri, prouidi et circumspecti viri, Ioannes Ioachim magister ciuium, Nicolaus Phetrer Iudex, et Leonardus Aniwey, ac Caspar Schottel, Iurati ciues, nec non Ioannes Czigler, Notarius Ciuitatis nostrae Sopronienſis, in ipsorum, ac uniuersorum aliorum ciuium, hospitum, et incolarum praefatae ciuitatis nostrae Sopronienſis nominibus et personis: exhibuerunt et praesentauerunt nobis diuersas literas, tam nostras, quam aliorum plurium Regum Hungariae, praedecessorum videlicet nostrorum, sub sigillis ipsorum duplicibus, super nonnullis libertatibus, eisdem concessis, priuilegialiter emanatas, et supplicauerunt Maiestati nostrae humiliter et deuote, vt ex eisdem literis et priuilegiis, articulos omnium libertatum ipsorum, quibus iidem ciues, hospites, et inhabitatores praefatae Ciuitatis nostrae Sopronienſis, per praefatos diuos Reges, ac nos gratiose condonati sunt, in summam recolligi, et

et excerpi, excerptosque ſub compendio literis noſtris inferri facere, ac eosdem pro ipſis ciuibus, hoſpitibus, et inhabitatoribus adnotatae ciuitatis noſtrae Sopronienſis, *ſub bulla noſtra aurea* gratioſe confirmare dignaremur. In quorum quidem priuilegiorum *primo*, videlicet Domini Caroli Regis, de anno Domini milleſimo trecenteſimo tredecimo, tredecimo Kalendas Nouembris, per manus diſcreti viri Magiſtri Ioannis, Albenſis Eccleſiae Praepoſiti, aulae ſuae Vice-Cancellarii et Archi-Diaconi de Kükellew dato, confirmatur per eundem Dominum Carolum Regem priuilegium olim Domini *Ladislai*, ſimiliter Regis Hungariae, de anno Domini *milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo*, per manus venerabilis viri Magiſtri Thomae, electi Eccleſiae Albenſis datum, continens in ſe articulos ſub his verbis: Volumus, quod iidem Ciues a jurisdictione, et poteſtate, ac iudicio omnium Baronum noſtrorum, et ſpecialiter Comitum Sopronienſium, pro tempore conſtitutorum, exempti penitus et excepti habeantur; ita quod omnes cauſas, tam minores quam maiores quoque, ſuper effuſione ſanguinum vel homicidii inter ipſos emergentes, Villicus ipſorum pro tempore conſtitutus, quem iidem Ciues communiter in Feſto S. Georgii elegerint, iudicet et decernat, more ciuium Albenſium, et aliorum hoſpitum, in Regno noſtro exiſtentium. Et ſi idem Villicus in facienda iuſtitia negligens fuerit; non reus, ſed Villicus ad noſtram praeſentiam euocetur, et nos perſonaliter decernemus de cauſa eorundem. Item volumus, quodſi aliqui nobiles vel quicunque liberae conditionis homines, ad ipſum Caſtrum noſtrum Sopronium conuenire voluerint, libere veniant et ſecure commorentur, et nobiles poſſeſſiones eorum in libertate ciuium praedictorum valeant conſeruare. Et ſi qui de ipſo Caſtro recedere voluerint, ſaluis rebus omnibus, venditis aedificiis, iuſto terragio perſoluto, recedere valeant de eodem. Ad haec volumus, quod medietatem tributi Ferthew, quam Bela auus noſter, et Stephanus pater noſter inclyti Reges Hungariae, pro

 repa-

reparatione et conſeruatione turrium in eodem Caſtro ſtantium, eisdem ciuibus conceſſerunt, iidem percipere valeant pacifice et quiete.

Item in alio Priuilegio eiusdem condam Domini Caroli Regis, de anno Domini 1317. 13. Kal. Nouembris, per manus diſcreti Magiſtri Ioannis, Alben. Eccleſiae Praepoſiti, Aulae ſuae Vice-Cancellarii, et Archi-Diaconi de Kükellew dato, confirmante priuilegium olim Domini Andreae Regis de anno Domini 1297. 15. Kal. Novembris, per manus diſcreti viri magiſtri Gregorii, Alben. Eccleſiae electi datum, continetur iſte articulus, videlicet: hanc eisdem hoſpitibus noſtris de Sopronio gratiam ſpecialem duximus faciendam, vt iidem hoſpites, et quilibet ex ipſis, ab omni ſolutione tributi, ſicuti ciues Alben. et Buden. per totius Regni noſtri clymata, tam ſuper aquam Danubii, et aliis fluuiis in Regno noſtro exiſtentibus in deſcendendo aut aſcendendo quoque ſuper terram, liberi et immunes penitus ſint et exemti. Volentes, auctoritate praeſentium uniuerſis tributariis in quouis loco tributi in Regno noſtro conſtitutis, ſub amiſſione rerum et tributi, firmiter imponimus, vt de rebus dictorum hoſpitum de Sopronio vel quorumlibet ex ipſis, aut mercibus eorundem, contra formam gratiae eis per nos factae, nullum tributum recipere audeant vel praeſumant. Sed eis, et cuilibet ex ipſis, cum rebus et mercibus eorum liberum tranſitum praebeant et ſecurum, materia impedimenti, moleſtiae, aut nocumenti non obſtante.

Praeterea in priuilegio *tertio* condam Domini Sigismundi Regis de anno Domini 1436. 6. Idus Martii, per manus Venerabilis Matthiae de Gathalocz, Praepoſiti Quinqueeccleſienſis, Aulae ſuae ſummi Cancellarii dato, confirmatur priuilegium condam Sereniſſimi Domini Ludouici Regis, de anno Domini 1365. 8. Kal. Auguſti, per manus Domini Nicolai Archi-Eppi Jadrenſis, Cancellarii ſui datum, iterum confirmans ſimiliter priuilegium Domini Caroli Regis Hungariae, de anno Domini 1346. 16. Kal. Febr. per manus honorabilis et diſcre-

discreti viri Magistri Thathameri Alben. Ecclesiae praepositi, Aulae suae Vice-Cancellarii datum, quo continetur articulus: Annuentes, libertates ipsorum eatenus, quatenus a sacris progenitoribus nostris eis donatae et concessae exstiterant, dictis ciuibus nostris in nomine Domini restituimus, et restauramus; ac ex gratia uberiori et specialis dilectionis affectu, quem erga dictos ciues habemus, hac noua institutione, eadem libertatis praerogatiua, qua dicti ciues Albenses et Budenses gratulantur, perpetua firmitate statuimus et ordinauimus, praedictos ciues Sopronienses, dilectos nostros et fideles, pacifice et quiete fruituros.

Item in priuilegio nostro de anno 1463. in Nandor Alba, in festo decollationis Beati Ioannis Baptistae dato, continetur iste articulus, videlicet, quod nos grata pensantes consideratione, multimoda seruitiorum genera, quae Ciuitas nostra Soproniensis huic Regno nostro Hungariae ex illa parte pro muro existens, ac eius ciues ac inhabitatores, praedecessoribus nostris Regibus, et Regno Hungariae, ac eius Sacrae Coronae constanter exhibuerunt; et quamuis saepius a prauis, Regios Honores et Statum persequentibus viris, impugnationes grauissimas, damna rerum, et pericula personarum, ac alias diuersas calamitates, et multas temporum iniurias susceperint et pertulerint: nunquam tamen a verae fidei semita visi sunt deuiasse; sed eo clarior eorum fides euasit, quo incommoda susceperunt grauiora. Pridem etiam in facto praefatae Sacrae Coronae Regni, et eius recuperatione e manibus Serenissimi Domini Principis Friderici Romanorum Imperatoris, solliciti exstiterunt, et oratoribus nostris pro ipsa Sacra Corona laborantibus, ob reuerentiam nostrae Regiae dignitatis, magnam reuerentiam fidelitatemque ostenderunt. Unde dictam Ciuitatem nostram Soproniensem consequenterque ciues et inhabitatores eiusdem, ac communitatem pro tempore constitutam, de nostra auctoritate et potestatis plenitudine, hac libertatis praerogatiua duximus libertandos ac decorandos, immo libertamus et decoramus, praesentium per

vigorem, vt ipſa Ciuitas Soproníenſis a modo in poſterum, omnium rerum venalium, et mercimonialium, ac bonorum, tam per aduenas et forenſes, quam etiam Regnicolas noſtros, ab externis partibus in hoc Regnum noſtrum Hungariae, vel e contra ex hoc Regno noſtro extra metas eiusdem ad partes alienas per Comitatum Sopronienſem deferentium, pro communi loco cambii habeatur, teneatur, et reputetur; ac omnibus illis libertatibus et praerogatiuis, quibus ceterae ciuitates in hoc Regno noſtro Hungariae exiſtentes, in hoc ſpecialiter per diuos Reges Hungariae, noſtros ſcilicet praedeceſſores, dotatae ſunt et libertatae, aut quomodolibet de iure et conſuetudine vſae ſunt et gauiſae, vti poſſint et valeant. Ceterum in *quinto* priuilegio ſimiliter noſtro, de eodem anno, loco, et die, quo ſupra dato, continetur iſte articulus: Quod nos dictam Ciuitatem noſtram Sopronienſem, ac hoſpites et inhabitatores eiusdem vniuerſos, in omnibus illis antiquis libertatibus, gratiis, honoribus, conſuetudinibus, exactionibus, et priuilegiis, quibus eadem Ciuitas noſtra Sopronienſis, conſequenterque dicti noſtri ciues et inhabitatores eiusdem, temporibus diuorum Regum Hungariae, noſtrorum ſcilicet praedeceſſorum, vſi fuiſſent et gauiſi; vti, frui, et gaudere, tenereque et conſeruare volumus, et promittimus. — Nos igitur ſupplicationibus praefatorum Iohannis, et Nicolai, Leonardi, Gaſpar, et alterius Iohannis Regia benignitate exauditis clementer et admiſſis, praefatosque articulos ex huiusmodi dictorum Regum huius Regni, noſtrorum ſcilicet praedeceſſorum, et noſtris excerptos, ac pariter vniuerſas literas, ex quibus videlicet huiusmodi articuli excerpti exiſtunt, eatenus, quatenus eaedem rite et legitime emanatae exiſtunt, acceptamus, approbamus, et ratificamus, eosdemque, ſimul cum libertatibus in iisdem clarius expreſſatis, pro praefatis ciuibus, hoſpitibus, ac inhabitatoribus, ac tota communitate praefatae ciuitatis noſtrae Sopron: praeſentibus et futuris innouantes, perpetuo valituros confirmamus, praeſentis ſcripti noſtri patrocinio mediante.

diante. Decernentes vigore praesentium, vt ubicunque praesens priuilegium nostrum *aureae bullae nostrae* munimine consignatum, in iudiciis vel extra, pro parte dictorum ciuium exhibitum fuerit, nunquam ad exhibenda originalia supratactorum Regum praedecessorum nostrorum, aut etiam nostra, compelli inuiti aut cogi valeant. Sed huic praesenti priuilegio nostro, ubique et semper, perinde ac si omnia praetacta originalia priuilegiorum exhiberentur, plena fides adhibeatur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, praesentes concessimus literas nostras priuilegiales, aurae bullae nostrae munimine roboratas.

Datum per manus Reuerendissimi in Christo Domini Stephani Colocensis et Bachiensis Ecclesiarum Archiepiscopi, Aulae nostrae summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti. Anno Domini Millesimo quadringentesimo sexagesimo quarto, pridie Idus Aprilis, Regni nostri anno septimo, Coronationis vero primo. Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis Dionysio de Zéch Cardinali, Strigoniensi, eodem Domino Stephano Colocensi Archiepiscopis; Ladislao Agriensi, Ioanne Varadiensi, Nicolao Transiluaniensi, Zagrabiensi sede vacante, Ioanne Quinqueeccl. Alberto Vesprimien. Augustino Jaurien. Vincentio Vaciensi, Alberto Chanadien. Thoma Nitrien. Bosnensi sede vacante, Urbano Syrmien. Marco Thininien. Segnien. sede vacante, Nicolao Modrusiensi Ecclesiarum Episcopis, Ecclesias Dei feliciter gubernantibus. Item Magnificis Michaele Orzagh de Gwth Regni nostri Hungariae praedicti Palatino, Emerico de Zapolya Regni Bosniae gubernatore, Nicolao de Ujlak et Ioanne Pangracz de Dengelegh Vajuodis Transiluanis, Comite Ladislao de Palocz Iudice Curiae nostrae, eodem Emerico de Zapolya Dalmatiae, Croatiae, et Sclauoniae Regnorum nostrorum, et praefato Nicolao de Ujlak Machouiensi Banis, honore Banatus Zewriniensis vacante, Ioanne de Rozgon Tauernicorum, Benedicto de Turocz Ianitorum, Andrea Pangracz de Dengelegh praefato Pincernarum, Stephano de Peren et Ladislao de Bathor Dapiferorum,

Paulo de Dombo et Ladislao de Weſen Agaſonum noſtrorum Magiſtris, Petro de Zokol Temeſien. Andrea Pankircher Poſonienſi Comitibus, aliisque compluribus Regni noſtri Comitatus tenentibus et honores.

XXIV.

Matthias I. Rex H. Capitulo Eccleſiae Agrienſis ſigillum authenticum reſtituit. an. 1467. — Ex apographo DAN. CORNIDES.

Commiſſio propria Domini Regis.

Nos Matthias Dei gratia Rex Hungariae, Dalmatiae, Croatiae &c. memoriae commendamus tenore praeſentium ſignificantes, quibus expedit, uniuerſis. Quod licet Capitulum Eccleſiae Agrienſis, propter proſcriptionem, quam ratione emanationis quarundam falſarum Litterarum, in Iudicio generali Comitatus Heueſienſis, de noſtra commiſſione, per fidelem noſtrum Magnificum Michaëlem Orſzagh de Gutth, dicti Regni noſtri Hungariae Palatinum noviſſime celebrato, incurrerat, Sigillum eorum quo utebantur, de jure et conſuetudine noſtri Regni, amiſerint: tamen nos tum accepta ſupplicatione fidelis noſtri Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, Domini Iohannis, Archiepiſcopi Strigonienſis, Apoſtolicae Sedis Legati nati, Summi et Secretarii Cancellarii noſtri; tum vero ex eo, ne Eccleſia ipſa Agrienſis, cuius nos Patroni ſumus, temporibus noſtris, in praerogativis ſuis a Sanctis Regibus donatis, detrimentum patiatur, quin potius amiſſa recuperet; eidem Capitulo Sigillum hujusmodi, duobus punctis ex utraque parte imaginis Sancti Iohannis conſignatum, de gratia noſtra ſpeciali, ac conſilio et deliberatione Praelatorum et Baronum noſtrorum duximus reſtituendum; decernentes, omnes et quaslibet Litteras ſub eodem Sigillo emanandas, illius eſſe vigoris, firmitatis, et auctoritatis, cujus ante proſcriptionem emanabantur; immo reddimus et decernimus, harum noſtrarum, quas in futuram et perpetuam rei memoriam, ſecreto Sigillo noſtro communiri fecimus, vigore et teſtimonio

Lit-

Litterarum mediante. Datum Agriae, die Dominico proximo ante festum Beati Laurentii Martyris, Anno Domini 1467. Regni nostri anno decimo, Coronationis vero quarto.

XXV.

Magistratus Budensis adiudicatoriae, an. 1489. — Ex autographo.

Commissio Dominorum in Consilio.

Nos Thomas, Meyngos dictus, Iudex iuratique ciues Castri noui montis Pesthiensis, memorie commendamus tenore presentium significantes quibus expedit uniuersis, quod licet superioribus hys diebus prouidus Philippus Sellator conciuis noster, et honesta domina Katherina, consors ejusdem, quasdam particulas domus habitationis eorundem, in vicinitate egregii Stephani de Ragusio et Iacobi Bombardiste familiarium Regie Maiestatis site et habite, in aliis literis nostris specifice expressatas, circumspecto Georgio Chyzar et domine El... consorti sue legitime, pro flor. auri centum et ...rti sex, ac una vinea in promontorio Ciuitatis Lygethwelge dicto habita vendiderit et assignauerit: tamen prenotatus Stephanus de Ragusio, juxta nostram judiciariam deliberationem, depositis primitus pretactis centum et viginti sex florenis auri, persolutis denique quatuordecim florenis auri, valorem scilicet predicte vinee, una cum tredecim florenis, per annotatum Georgium Chyzar, ad reformationem predictarum particularum domus expositis, ratione vicinitatis, eundem Georgium Chyzar a possessione et ulteriori tentione talium particularum, domus, requirentibus ciuitatis nostre libertatibus, exclusit. Quo facto antedictus Stephanus nobis attente supplicare curauit, ut nos sibi de legitima statutione ac appropriatione ipsarum particularum domus prenotate providere dignaremur. Nos itaque accepta supplicatione eiusdem Stephani de Ragusio, eidemque prout iuste facta benigne inclinati, easdem particulas prenotatarum domus et orti cum omnibus

earum utilitatibus et pertinenciis quibuslibet ad easdem ſpectantibus, nemine penitus contradicente, dicto Stephano de Raguſio ſuisque heredibus et poſteritatibus uniuerſis duximus appropriandas, ymmo appropriamus et in hereditatem perpetuam aſcribimus. Statuentes inſuper eundem Stephanum de Raguſio, uniuerſosque heredes et poſteritates ejusdem, in perpetuum domynium earundem particularum domus et ortus, easdem jure perpetuo poſſidendi tenendi pariter et habendi in uſusque ſuos beneplacitos conuertendi. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, preſentes noſtras literas Sigilli noſtri munimine roboratas duximus concedendas, promittentes priuilegialibus literis noſtris confirmare, dum nobis eedem in ſpecie fuerint reportate. Datum Bude, feria ſecunda infra octauas aſcenſionis Domini, anno eiusdem Milleſimo Quadringenteſimo Octogeſimo Nono.

(Sigillum in tergo literarum cerae rubrae inpreſſum, ſcutum faſciatum cordiforme habet, cum perigraphe : S. CIVIUM BVDENSIVM.)

XXVI.

Formula ſalui Conductus Regii. (*Zingaris conceſſi*). — Ex apographo.

Uladislaus D. G. Rex Hungariae et Bohemiae &c. Fidelibus noſtris uniuerſis et ſingulis, Praelatis et Baronibus, Comitibus, Caſtellanis, Nobilibus, ipſorumque Officialibus. Item Ciuitatibus, Oppidis et Villis earundemque Rectoribus, Judicibus ſcilicet et Villicis; praeterea Triceſimatoribus, Tributariis, ac triceſimarum, tributorum, teloniorumque Exactoribus, et omnibus ſubditis noſtris praeſentes literas viſuris, ſalutem et gratiam.

Quia nos ad ſupplicationem nonnullorum fidelium noſtrorum, Maieſtati noſtrae nobis propter ea factam, agilem Thomam Bolgar, Vajvodam Pharaonum, una cum aliis Pharaonibus ſub viginti quinque tentoriis, et conductu ſiue comitiua ſua vagantibus,

ab

ab aliorum Vajvodarum Pharaonum in hoc Regno nostro Hungariae vagantium contubernio et societate segregauimus, atque pro faciendis globulis pixidum, siue aliis instrumentis ad belli usum necessariis, ad seruitia fidelis nostri Reuerendissimi in Christo Patris Domini Sigismundi Episcopi Ecclesiae Quinqueecclesiensis deputauimus; cui etiam simul cum comitiua sua, ubique in terris et dominiis potestati nostrae subiectis, iter tutum et expeditum dare volentes: mandamus Fidelitatibus Vestris, et cuilibet vestrum, harum serie firmissime, vt quandocunque ac quotiescunque idem Thomas Bolgar Vajvoda, cum comitiua viginti quinque tentoriorum, ac rebus et bonis suis, ad terras, possessiones et oppida, ac vestri in medium, sed et tricesimarum, tributorum, teloniorumque vestrorum loca applicauerit, eundem simul cum comitiua sua, viginti quinque duntaxat tentoriorum, libere stare, morari, et facta sua expedire permittere, et permitti facere debeatis et teneamini. Secus igitur non facturi gratiae nostrae sub obtentu. Praesentibus perlectis exhibenti restitutis. Datum Budae, Feria quinta proxima in octaua Festi Sanctissimi Corporis Christi, anno eiusdem 1496. Regnorum nostrorum Hungariae anno 6. Bohemiae vero 26.

XXVII.

Wladislaus II. auctoritatem Capituli Bosnensis restringit. 1498. (Kaprinai MSS. B. Tôm. XXV. Nro. 17.

Wladislaus Dei gratia Rex Hungariae et Bohemiae &c. Memoriae commendamus tenore praesentium, significantes quibus expedit uniuersis. Quod quamuis superioribus diebus, per uniuersitatem Regnicolarum nostrorum, in Diaeta novissime in campo Rakoss celebrata conclusum, et per Majestatem quoque nostram literis etiam id concessum fuerit, ut Capitulum Ecclesiae Bosnensis testimonium suum ubique per totum Regnum nostrum Hungariae, ad quascunque executiones fiendas mittere possit: tamen ut ex

que-

querelis fidelium nostrorum, uniuersitatis Nobilium totius Regni Sclauoniae intelleximus, cuiusmodi concessio nostra ipsis in eo potissimum officeret, quia in illo Regno nostro Sclauoniae tria Capitula essent, quae ad facta illius Regni nostri et regnicolarum nostrorum satis et superficientes sunt; nam propter multa loca credibilia variae falsitates in eo potissimum committerentur, quia aliquando personae ignotae loco Nobilium ad fassionem destinarentur, et bona talium per fraudem fatentium; quod non fieret, si in aliquo duntaxat Capitulorum illius Regni nostri Sclauoniae, et non aliis remotis locis tales fassiones fierent. Quapropter supplicatum extitit Maiestati nostrae in personis eorundem exponentium, ut ipsos ab huiusmodi contingentibus periculis eripere dignaremur. Nos igitur, qui inter alias curas et solicitudines nostras ad ea potissimum intendere debemus, quae statui et commodo fidelium nostrorum conducerent; admissa igitur supplicatione praefatorum exponentium, nolentes vel juribus, vel antiquis consuetudinibus illius Regni nostri per huiusmodi concessionem nostram derogare; id eisdem regnicolis nostris gratiose duximus con cedendum et annuendum, ut a modo praefatum Capitulum Bosnense, ad aliud (illud?) Regnum nostrum Sclavoniae, ad cuiusuis instantiam, vigore concessionis nostrae huiusmodi, nullum testimonium mittere, aut aliquas in eo executiones facere ullo unquam tempore possit et valeat. Decernen' quod omnes literae fassionales, statutoriae, et causales ejusdem Capituli, cujuscunque generis existentes, pro parte ipsorum regnicolarum nostrorum emanatae, nullius sint vigoris et firmitatis; imo annuimus et concedimus atque decernimus, harum nostrarum secreto sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, impressiue consignatarum vigore et testimonio literarum mediante. Datum Budae, in Dominica Inuocauit. Anno Domini 1498. Regnorum nostrorum Hungariae &c. anno octauo, Bohemiae vero vigesimo octauo.

XXVIII.

XXVIII.

Wladislaus II. Urbis Caſſovienſis inſignia et ſigillum auget. an. 1502. KAPRINAI MSS. B. Tom. XXIX. Nro. 32.

Commiſſio propria Domini Regis.

Wladislaus Dei gracia Rex Hungariae et Bohemiae &c. Fidelibus noſtris, prudentibus et circumſpectis Iudici et juratis ceterisque ciuibus et toti communitati ciuitatis noſtrae Caſſovienſis ſalutem et graciam. Cum ad Regiae dignitatis Celſitudinem eiusque Majeſtatem Auguſtam, cujus ad exemplum ut plurimum ſubditorum animi componuntur, hoc inprimis pertineat, ut ſuorum merita, virtutes, et ſeruicia, ſemper aequa lance perpendat, ut neque delinquentibus nimia indulgentia ſe facilem ſemper praebeat, quo ex impunitate licentia, et ex ea audacia delinquendi creſcat; neque bonorum egregiis facinoribus, rebusque praeclare geſtis, immortalisque gloriae memoria dignis, praemium deſit: quorum altero malorum improborumque petulancia et inſolencia refrenatur coerceturque; altero vero bene merentium animi, et his virtutum igniculi inſiti excitantur inflammanturque, omnium denique malorum et periculorum conſtanti fortique animo in rebus duris et adverſis perpeſſorum, non ſolum immemores, ſed etiam impoſterum, ad quaevis aggredienda, tolerandaque aduerſa, ex quo virtuti omnia parent ceduntque, maiori ſtudio zeloque alacriores redduntur. Quod cum natura ipſa in rebus humanis ita redditum comparatumque ſit, et ut etiam praeter haec, ex Regiae dignitatis noſtrae officio, ſincerum priuati publicique muneris tenorem ſervaremus; jam ſaepius illa fidelitatis et conſtanciae veſtrae argumenta, quo ſemper in hoc Regno noſtro Hungariae unice claruiſtis, animo noſtro repetentes, nolentes ea obſcuritate quadam neglecta jacere, ſepultaque tegi, aut obliuione e memoria mortalium intercipi, ſed potius etiam poſteris omnibus, perpetua nominis et famae veſtrae teſtacione ſignari; aliqua ſaltem,

tem, vel hiſce literis, quae in felici noſtra exaltacione, et in ingreſſu ad hoc Regnum noſtrum pulcherrime edidiſtis, commemorare ſtatuimus, et inprimis laudandam illam, et nullo unquam ſaeculo delendam conſtanciam veſtram, quam tunc nobis, et huic Regno noſtro declaraſtis, recenſendam duximus. Nam dum ſuperioribus his annis, et in principio regiminis noſtri, varii motus variaque bella potiundi huius Regni gracia orti fuiſſent, et inter alios Principes, Sereniſſimus Princeps quondam Dominus Albertus Poloniae Rex, Frater noſter chariſſimus felicis memoriae, tunc ſolummodo Dux exiſtens, cum valida manu ac numeroſo exercitu contra nos et hoc Regnum veniſſet, hocque ipſum Regnum ambiens, inter alia loca, quae iam in deditionem ſuam deueniſſent, etiam ciuitatem illam Caſſovienſem occupare volens, ipſamque ob id dura obſidione cinxiſſet; vos tunc reuocatis in animo priſtinis veſtris virtutibus, quas ſemper, et potiſſimum in aduerſis huius Regni, diuis Hungariae Regibus Praedeceſſoribus noſtris, ſincera fidelitate magnaque integritate, more progenitorum veſtrorum oſtendiſtis, ſtatuiſtis conſueta veſtra grauitate, et fidei firmitate, omnia extrema potius perpeti, quam a nobis et Sacra huius Regni noſtri Corona deſciſcere, labeque aliqua infidelitatis candorem nominis veſtri contaminare, hoſtiumque circumfuſorum vos prae ceteris omnibus ambientium, nunc blandas appellaciones, pollicitaciones multas, nunc minas feroces fortiſſime ſpreviſtis. Tandem cum obſidione longa et dura cincti eſſetis, murique veſtri variis tormentorum generibus quaterentur proſternerenturque, quid virtus in aduerſis valeat, vos ſpecioſiſſimo exemplo declaraſtis. Nam nec fame, ferro, vigilia, neque ullius rei penuria, neque labore ullo fracti eſtis; ſed huiuscemodi longae et ſaevae obſidionis incommoditates, quae vos ſine intermiſſione premebant, ſemper invicto animo, vel in anni parte ſaeviſſima, propriis ſumptibus, non ſine gravi ſanguinis effuſione pertuliſtis, corporibusque veſtris pro cuſtodia ſtacioneque murorum die noctuque obiectis,

hoſtium terribiles impetus, tela aduerſa, infeſtos ictus, vulnera crebra, pericula multa, ſemper erecto animo, pectore adverſo excepiſtis; et quod admirabilius eſt, non modo tot ipſorum hoſtium impetus fortiter ſustinuiſtis, verum etiam in tantis veſtris laboribus, ſaepe numero in hoſtium ſtationes magno animo irrumpentes, pulchram inde victoriam, cum ingenti hoſtium clade et ſpolio reportaſtis, nec ullis modis ac viis ad dedicionem compelli potuiſtis, quin forti animo tam gravem obſidionem ferentes, quousque nos tandem vos inuictos athletas e manibus hoſtium ductu et auſpicio noſtro liberavimus, ruptisque obicibus, et portarum veſtrarum repagulis, quae diu clauſae hoſtium conatibus nulla via patuere, redditusque vobis conſpectus noſter, quo miro deſiderio tenebamini, nos una cum Prelatis, Baronibus et Proceribus Regni noſtri, hilari vultu, animo laetiſſimo, facie ſincera, fide inviolata excepiſtis, vobisque dies ille ingreſſus noſtri, omnium merito pulcherrimus, gratiſſimus, et lucidiſſimus effulſit, taliquе ac tam memorabili, et praeclaro facinore, dum pro defenſione et conſervacione illius auſpicatiſſimae Urbis noſtrae, quae huius Regni noſtri in eo loco ſingulare exiſtit propugnaculum, animo infracto acerrime decertaſtis, nobis abunde illam eximiam veſtram fidelitatem, conſtanciam invincibilem, quibus ſemper maiores veſtri claruerunt, teſtatam reliquiſtis. Ut igitur tantam virtutem veſtram, quae in aduerſis ſemper clarior eniteſcit, perpetua laudis et gloriae veſtrae teſtificatione, immortalitati commendaremus, utque veſtra merita ampliſſimo praemio digna, veſtraque praeclara facta, etiam teſtimonio noſtro locupletiſſimo, omnibus Hungariae Regibus ſucceſſoribus noſtris comprobaremus, poſteriſque omnibus veſtra conſtancia, fidelitas ſummis efferenda laudibus clariſſime innoteſceret, haec Arma, videlicet Angelum veſte auro intexta coloris amethyſtini ſuccinctum, flavam et calamiſtratam comam ſtrophio ſiue ſerto gemmato preſſam, in cuius fronte ex huiuſcemodi corolla capitis diademati crux aurea prominet,

utra-

utraque ala Angeli coloris cœleſtini micis aureis interlucet, tenens ambabus manibus ſcutum inſigne, ſummum ejus in formam metae euerſae effigiatum, imum vero in modum turbinis faſtigiatum, in ſcuti angulo gemino ſuperiore, ex utroque latere galea aureis fibulis locata, ex quarum ſummitate flores penduli variorum colorum veluti vento agitati ſparguntur, utrique galeae corona aurea impoſita, ex coronis ſingulis ſingulae alae prominent, quarum plumae et pinnulae tenuiores brachia alarum veſtientes ſunt coloris coeleſtini, punctis aureis ſplendicantes, pennae vero protenſiores longioresque et extremae, in altumque prorumpentes, ſunt coloris crocei; in medio vero ſingularum alarum ſunt ſingula lilia aurea; ſcuti autem pars ſuprema eſt coloris coeleſtini, continens per longitudinem tria lilia aurea: in medietate autem ſcuti pene usque ad infimum eſt campus ruber, in quo fluunt ſtagnandoque labuntur quatuor flumina nominatiſſima: Danubius, Tybiſcus, Dravus, Savus, primaria ſpecialiaque huius Regni noſtri inſignia, ſuo colore depicta, quae ipſis, tamquam defenſoribus et propugnatoribus eiusdem Regni noſtri, per noſtros Praedeceſſores Hungariae Reges graciose collata exiſtunt, quibus usque in praeſenciam uſi fuerunt. In medio autem ipſius campi rubri quatuor fluminum praefatorum eſt aquila media ſtans erectaque, collo tamen et capite integra, coronam auream capite geſtans, roſtro aurato, pedeque ſiniſtro unguiculorumtenus aurato, lingua exerta vibranteque, a cuius pectore linea aurea ad ſiniſtram alam usque protracta, ſummitasque eiusdem lineae figura triſulca terminatur, quae eſt inſigne noſtrum gentilitium et auitum, quo vos ex ſingulari favore noſtro Regio ornauimus, quem jam tempore felicis noſtri regiminis ſibi immortalibus facinoribus peperiſtis. Scuti autem pars inferior, in campo coloris cœleſtini, linea ſatis ampla rubra, quatuor teſſelis aureis intextis ſejugata, a primo dextro angulo in imum angulum ſiniſtrum deſcendens interſecatur; ſupra quam lineam, in eodem campo, eſt

eſt lilium unicum aureum; infra autem eandem lineam in eodem campo ſunt duo lilia aurea, quae quidem illuſtris Domina Anna conſors noſtra chariſſima, ex beneplacita voluntate ſua, ex ſuis propriis armis, eisdem fidelitatibus veſtris, ob perpetuam rerum, bene feliciterque pro defenſione Regni huius et conſeruacione iſtius Ciuitatis noſtrae Caſſovienſis, geſtarum memoriam, benigne fauorabiliterque conceſſit; prout haec omnia in capite ſeu principio praeſencium literarum noſtrarum, pictoris non indocta manu, ſuis characteribus et figuris et coloribus facta et depicta ſunt; vobis animo deliberato et ex ſpeciali gracia noſtra Regia, et plenitudine authoritatis noſtre, eciam conſenſu et beneplacito praeſatae Sereniſſimae Dominæ Annæ Reginae coniugis noſtrae chariſſimae, cuius armorum certam partem in his inſeri, et innecti voluimus, dandum duximus et concedendum, vosque et omnes poſteros veſtros huiuscemodi laudis et virtutis teſtimonio ſempiterno ornandum, imo ex abundantiore plenitudine noſtrae ſpecialis graciae damus, concedimus, et praeſentibus elargimur, ut vos veſtrique haeredes et poſteritates uniuerſæ, praeſcripta arma et virtutis veſtræ inſignia, a modo in poſterum ubique, in praeliis, bellis, Troiis, et aliis quibusuis rebus et exerciciis militaribus, nec non ſigillis, velis, cortinis, papilionibus, et in uniuerſum in quarumlibet rerum et expeditionum generibus, uti poſſitis et valeatis, veſtrique haeredes in ſignum et teſtimonium paternarum virtutum, a quibus ſimili dono et gracia noſtra regia provocati ſtudeant non degenerare, ferre geſtareque poſſint et valeant, eisdemque nomine communitatis perpetuo uti, frui, et gaudere, tantoque vehementiori ſtudio in poſterum nobis et Regibus Hungariae ſucceſſoribus noſtris, et ſacrae Coronae Regni Hungariæ, totis viribus, ſumma fidelitate, praecipua conſtancia, inſtar virtutum majorum ſuorum, inſeruire contendant, quanto ſe largiore amplioreque praemio, et gracia noſtra Regia donatos et ornatos eſſe conſpexerint. In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, praeſentes literas noſtrás, ſecreto ſigil-

ſigillo noſtro, quo ut Rex Hungarie utimur, impendenti communitas, vobis ac heredibus et poſteritatibus veſtris uniuerſis duximus concedendas. Datum Budae, in feſto conceptionis Virginis glorioſae, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſecundo, Regnorum noſtrorum Hungariae &c. anno tredecimo, Bohemiae vero triceſimo tertio.

XXIX.

Wladislaus II. R. H. Conuentui ſacrarum virginum de Vásárhely Sigillum authenticum confert, an. 1511. (KAPRINAI MSS. B. Tom. III. Nro. 32.)

Wladislaus Dei gratia Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae &c. Rex, nec non Sleſiae et Lucemburgenſis Dux, Marchioque Moraviae et Luſatiae &c. Ad futuram perpetuamque rei memoriam. Quum ad officium ac potius pietatem Principis catholici, religionemque ac cultum divinum, ſummi Creatoris laudem propagare cupientis, pertinere arbitremur, perſonas Deo dedicatas, et maxime eas, quae recluſae et rebus mundanis exemtae, jugem impendunt Domino famulatum, liberalitate religioſa ac munere perpetuo amplecti atque proſequi; mentis noſtrae oculos, in Collegium Deo devotarum Sanctimonialium, ſub titulo Beatiſſimae Mariae Virginis, Ordinis Praemonſtratenſium, in clauſtro in oppido Vaſarhel fundato degentium, quas nos prioribus Monialibus Ordinis S. Benedicti, — — — — inde regia noſtra authoritate, ſalutaribus ac juſtis ex cauſis, ordine Juris obſervato, eiectis et expulſis, in earum locum collocari et imponi fecimus, conjicientes: easdem quo feruentius diligentiusue Deo Creatori omnium in Chriſti fidelium ſalutare exemplum ſeruire poſſint, proque noſtra erga ſanctitatem et Religionis earum obſervantiam devotione et affectu, tituloque et nomine ſtabili et omni aevo permanente decorandas, et fulciendas duximus. In cuius quidem noſtri muneris ſignum et indicium, eidem Conuentui ſeu Collegio ipſarum Sanctimonialium, animo deliberato et ex certa noſtra

ſcien-

ſcientia, Praelatorumque et Baronum noſtrorum ad id accedente conſilio et deliberatione, Sigillum cum ſculptura ſiue ſimulacro imaginis glorioſiſſimae ac intemeratae Dei Genitricis, ſemperque Virginis Mariae, Filium ſuum unigenitum ſub figura pueri in ulnis tenentem et amplectentem, in circumferentia eiusdem ſigilli, cum caracteribus latinis, hunc titulum in ſe continens: *S. Conventus Monialium de Vaſarhel*, in argento, aut in cupro, vel alio ad id apto metallo parand' et fabricand', et ſculpend' duximus annuendum et concedendum, ut ſcilicet ipſe Conventus Monaſterii praedicti, ipſo ſigillo, quod in perpetuum authenticum eſſe volumus, uti, frui, et gaudere, ac ad inſtar aliorum ſimilium Conventuum Sanctimonialium, ſigilla authentica habentium, cum ipſo Sigillo, per nos ut praefertur conceſſo; Literas faſſionales, procuratoriales, teſtimoniales, ac alias quascunque, de more ſignare et communire, ac demum eadem libertate in dandis literis, et aliis rebus per illud conficiendis, quibus ceteri Conventus Sanctimonialium cujuscunque Ordinis, de Jure vel conſuetudine utuntur, uti et frui perpetuo valeant atque poſſint. Nos autem nihilominus omnes Literas, quae per ipſum Conuentum ſub Sigillo praedicto, quibuscunque legitime conceſſae fuerint, praeſentibus auctorizantes, tanti vigoris eſſe decernimus, quanti aliorum Conuentuum, eiusdem vel alterius cujuscunque Ordinis Literae habentur. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, praeſentes Literas noſtras authenticas, Secreti Sigilli noſtri, quo ut Rex Hungariae utimur, munimine roboratas, eisdem Sanctimonialibus Praemonſtratenſibus, praeſentibus et futuris, duximus concedendas. Datum Budae, in feſto Aſſumptionis Beatiſſimae Mariae Virginis, anno Domini milleſſimo quingenteſimo undecimo. Regnorum Hungariae anno vigeſimo primo, Bohemiae vero quadrageſimo primo.

XXX.

Ludovicus II. R. H. Conventui Ord. Praemonſtr. Chornenſi ius gladii concedit. HEVENESSI MSS. Tom. FF. ſeu XXII. p. 281.

Nos Ludovicus Dei gratia Rex Hungariae & Bohemiae &c. Memoriae commendamus tenore praeſentium ſignificantes, quibus expedit uniuerſis. Quod cum intelligamus ex ſupplicatione Fidelis noſtri, Magiſtri Ladislai de Kaniza, Patroni Eccleſiae de Chorna, ipſam Eccleſiam Chornenſem, poſt fundationem olim progenitorum ſuorum, ex annuentia Divorum Regum Hungariae, noſtrorum ſcilicet Praedeceſſorum, ea ſemper libertate ad haec usque tempora uſam fuiſſe et gauiſam, ut omnes nociui et peruerſi homines, in bonis dictae Eccleſiae, in maleficiis videlicet deprehenſi, per judices et officiales Praepoſiti et Conventus eiusdem Eccleſiae, in eisdem bonis conſtituti, pro demeritorum qualitate puniri debuerint: tamen nunc Vice-Comes Comitatus Jaurinenſis, et alii nonnulli in Comitatu ipſo, contra praemiſſam antiquam conſuetudinem et libertatem, dictam Eccleſiam, et eius officiales, ac judices et jobagiones turbare et opprimere niterentur et vellent, in eiusdem Eccleſiae praejudicium, et damnum manifeſtum. Quapropter Nos, tum admiſſa et intellecta praemiſſa ſupplicatione praefati Ladislai de Kaniza, tum vero volentes pro quiete et tranquillitate ſubditorum noſtrorum providere; ut in terris noſtro Dominio ſubiectis pax et ſecuritas praebeatur, malefactorumque et nocivorum hominum perverſitas deleatur; id Nos quoque de mera noſtrae Regiae poteſtatis plenitudine, et gratia ſpeciali, praefatae Eccleſiae Chornenſi denuo, et ex novo, gratioſe annuendum et concedendum, ad hocque plenam authoritatem noſtram dandam et attribuendam duximus: ut ipſi officiales et judices Praepoſiti et Conuentus dictae Eccleſiae Chornenſis, præſentes ſcilicet et futuri, ubilibet in bonis dictæ Eccleſiæ in hoc Regno noſtro habi-

habitis conſtituti, ubi ſcilicet tales malefactores, puta praedones, fures, latrones, veſpiliones, incendiarios, intoxicatrices, homicidasque et alios quoslibet malos et peruerſos homines, in maleficiis et latrociniis deprehendere poterunt, modo quo deprehenderunt, captiuare, judicare, ac laqueis deſtinare, rotare, decollare, aliisque dignis poenis, pro Regni hactenus noſtri antiqua conſuetudine, punire et inquirere libere valeant atque poſſint; imo annuimus et concedimus, et attribuimus, praeſentium per vigorem. Quo circa Vobis Fidelibus noſtris, Comiti, Vicecomiti, et Judicibus, ac Uniuerſitati Nobilium Comitatus Jaurinenſis, harum ſerie firmiſſime committimus et mandamus, quatenus a modo praefatam Eccleſiam Chornenſem, Praepoſitumque et Conuentum, atque officiales, et judices, et jobagiones eorundem, contra formam huiusmodi antiquae libertatis et conſuetudinis eorundem, praemiſſamque annuentiam et conceſſionem noſtram novam, in praemiſſis turbare, opprimere, damnificare, et vos ad praemiſſa quoquomodo ingerere et intromittere, nusquam et nequaquam praeſumatis, neque auſi ſitis modo aliquali, gratiae noſtrae ſub optentu. Praeſentibus perlectis exhibenti reſtitutis. Datum Budae, in Feſto Beati Ladislai Regis et Confeſſoris, anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo; Regnorum noſtrorum Hungariae et Bohemiae anno quinto.

XXXI.

Ferdinandus I. R. H. Joſepho Luka ſpem (exſpectativam) 100. Colonorum largitur an. 1547. KAPRINAI MSS. B. XXVIII. Nro. 117. Conf. ISTVANFI Hiſt. Lib. XVI. ad an. 1547.

Nos Ferdinandus &c. Quod nos conſiderando fidelitatem et fidelia ſeruitia fidelis noſtri Joſephi Luca Quinqueeccleſienſis, quae ipſe ſacrae primum Regni noſtri Hungariae Coronae, et deinde Maieſtati noſtrae, tum antea ſemper, ſed maxime in praeterita expedi-

tione noſtra Saxonica, ſtrenue et fideliter exhibuit et impendit. Nam cum Sacra Caeſarea Maieſtas, Dominus et frater noſter chariſſimus, Joannem Fridericum Ducem Saxoniae Electorem, ſuae Maieſtatis et noſtrum rebellem et contumacem hoſtem, nobiſcum una armis perſequeretur, eumque cum toto ſuo exercitu fugientem, in campo patenti, marte aperto profligaſſet; ipſe Joſephus Luka, cum aliis fidelibus et ſtrenuis noſtris militibus Hungaris, profligatum et fugientem hoſtem perſecutus, Deo et fortuna ita ei favente, praefatum *Joannem Fridericum Ducem Saxoniae, virtute et agilitate ſua cepit, et ſica aliisque nonnullis ornamentis eum exuit.* Cuius virtute et militia factum eſt, ut poſtea Dux ipſe, in praeſentiam Sacrae Caeſareae Maieſtatis, captus, barbaque ſanguine, ex vulnere quod in facie acceperat, concreta, ductus fuerit. Ob haec igitur ſeruitia et virtutem militarem, volentes ipſum Joſephum Luka, ac per eum Joannem ſimiliter Luka, fratrem ſuum uterinum, noſtra Regia gratia et liberalitate proſequi; eosdem ex gratia noſtra Regia in eo duximus aſſecurandos et certificandos, ipſisque in verbo noſtro Regio promittentes, quod ubi primum in dicto Regno noſtro Hungariae partibusque ei ſubiectis, in quocunque Comitatu, aliqua bona, ſeu jura poſſeſſionaria, quocunque nomine vel titulo de jure vacare, ad noſtramque Regiam collationem devolvi et deſcendi contingeret, eadem ex eis ipſis Joſepho et Ioanni Luka, eorumque haeredibus et poſteritatibus uniuerſis, non obſtantibus quibuscunque literis aliis noſtris, harum in contrarium cuipiam forte datis vel dandis, quibus omnibus eos praeferri volumus, centum colonos, ſive poſſeſſiones jobagyionales, ſimul cum cunctis earum utilitatibus et pertinentiis quibuslibet, jure perpetuo et irrevocabiliter conferen'; imo aſſecuramus et certificamus harum noſtrarum vigore et teſtimonio literarum. Datum Pragae, 14. Julii, anno Domini 1547. Regnorum noſtrorum Rom. 17. aliorum vero 21.

XXXII.

XXXII.

Ferdinandus I. R. H. Marcum Horvath Stanſyth nobilitat, 1548. KAPRINAI MSS. B. XXVIII. Nro. 110.

Nos Ferdinandus &c. memoriae commendamus tenore praeſentium quibus expedit uniuerſis. Quod nos cum ad nonnullorum fidelium noſtrorum humillimam ſupplicationem Maieſtati noſtrae factam, tum vero conſideratis fidelitate et ſervitiis fidelis noſtri Marci Horwath Stanſyth, quae ipſe Sacrae primum Regni noſtri Hungariae Coronae, et deinde Maieſtati noſtrae, pro locorum et temporum varietate, juxta ſuae poſſibilitatis exigentiam exhibuit et impendit, (et) annis ſuperioribus, ſub Capitaneatu fidelis noſtri Spectabilis et Magnifici Thomae de Nádasd, Comitis perpetui Terræ Fogaras, Judicis Curiae noſtrae, et ſupremi Regni noſtri Hungariæ Capitanei &c. in quodam certamine cum Turca inito, cum duobis Thurcis congrediens, et utrumque capiendo, certorum fidelium noſtrorum fide digno teſtimonio exhibuiſſe dicitur. Volentes itaque horum intuitu eum noſtra gratia Regia et munificentia proſequi, eundem a conditione ciuili et ignobili, in qua natus hactenus perſtitit, de plenitudine noſtrae Regiæ poteſtatis, et gratia ſpeciali exemptum; in coetum et numerum verorum Regni noſtri Hungariae nobilium duximus cooptandum, annumerandum et adſcribendum. Annuentes et concedentes, ut ipſe, et eius haeredes atque poſteritates uniuerſae, a modo in poſterum, omnibus illis priuilegiis, juribus, libertatibus, praerogatiuis, et immunitatibus, quibus caeteri veri et nati nobiles dicti Regni noſtri Hungariae, ab antiquo, de jure vel conſuetudine uſi ſunt et gauiſi, uti, frui, et gaudere poſſint et valeant. In cujus quidem noſtrae erga eum exhibitae clementiae teſtimonium, veraeque nobilitatis ſignum, haec arma, ſive nobilitatis inſignia, ſcutum videlicet erectum, cæſio colore, quod gryphus alis in dextra lævaque parte extenſis, lingua exerta, capite et toto corpore ſurſum erectis, anterio-

 ri

ri dextro gladium tenens ancipitem, lævo vero pedibus Turcae caput pectore cum humeris apparens, rubro pileo Turcico et veste tectum, posteriori item sinistro pede alterius Turcae caput a corpore abscissum pressans. Supra scutum serata est galea, eam circumdant laciniae, fulvo et caesio coloribus; galeae impositum est diadema Regium, ex eo prominet dimidiatus gryphus, dextro pede gladium, sinistro diadematis cornu tenens, prout haec in capite, siue principio literarum nostrarum praesentium, pictoris arte, suis coloribus depicta esse visuntur, eidem Marco Horwath, ipsiusque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus uniuersis, dedimus et contulimus. Decernentes, ut ipse eadem arma, seu Nobilitatis insignia, more aliorum Nobilium regni nostri Hungariae, armis et insignibus militaribus utentium, a modo in posterum ubique, in praeliis, hastiludiis, torneamentis, duellis, monomachiis, et aliis omnibus exercitiis nobilitaribus et militaribus, nec non velis, sigillis, cortinis, signis, annulis, aulaeis, domibus, et generaliter in quibuslibet rerum et expedicionum generibus, sub meræ et sinceræ nobilitatis titulo, quo eum ab uniuersis et singulis, cuiuscunque status, conditionis, dignitatis et præeminentiæ homines existant, insignitum dici, nominari, teneri, et reputari volumus, ferre, uti, gestare, et gaudere possit et valeat, haeredesque et posteritates ipsius utriusque sexus uniuersae possint et valeant. In cuius rei memoriam firmitatemque perpetuam, praesentes literas nostras, secreto sigillo nostro, quo ut Rex Hungariae utimur, pendenti communitas, Eidem Marco Horvath, ipsiusque haeredibus et posteritatibus utriusque sexus uniuersis duximus dandas et concedendas. Datum per manus Reuerendissimi Domini Nicolai Olahi, Episcopi Zagrabiensis, Compatris et Consiliarii, Secretariique, et in Regno nostro Cancellarii nostri, fidelis nobis sincere dilecti, in Ciuitate nostra Posoniensi, 18. Nouembris, anno Domini 1548. Regnorum nostrorum, Roman. XVIII. aliorum vero XXII.

*) Familiam de Rege et Regno optime meritam, nuper admodum tumulo intulit BALTHASARUS HORVATH STANSITH de GRADETZ; mortuus mense Decembre anno 1801.

XXXIII.

Gabriel Bathori Princeps Transiluaniae conditiones conuentionis cuiusdam, factae inter ciues de Nagybanya et Gerardum Lisibona foainarum praefectum, ratas habet. KAPRINAI MSS. B. XVI. Nro. 24.

Nos Gabriel Dei gratia Transiluaniae, Walachiae Transalpinaeque Princeps, partium Regni Hungariae Dominus, et Siculorum Comes &c. Memoriae commendamus tenore praesentium significantes, quibus expedit uniuersis, quod pro parte et in personis fidelium nostrorum prudentum et circumspectorum, Benedicti literati Judicis primarii, caeterorumque Juratorum ciuium nostrae ciuitatis Nagibania; item generosi Gerardi Lisibonae, fodinarum dictae ciuitatis nostrae Nagibania et oppidi Felsöbania Praefecti, exhibiti sunt nobis et praesentati quidam Articuli, Ungarico idiomate confecti, super differenciis et difficultatibus inter ipsos motis et vertentibus, per certos nostros Commissarios ad id delegatos conclusi, tenoris inscripti, supplicantes nobis humillime, quatenus nos eosdem Articulos, omniaque et singula in eisdem contenta, praesentibus literis nostris inseri et inscribi faciendo, acceptare, approbare, ratificare, ac tam pro se ipsis, quam pro posteritatibus et successoribus uniuersis in perpetuum valituros, gratiose confirmare dignaremur, quorum quidem Articulorum tenor talis est: Elsöben, az réz és *on pénz* in perpetuum tollaltassék közzülök. Masodzor, az Miveseknek minden Kántoron jó pénzvel meg-fizessen; el kezdvén az Kántort zámlalni a prima die July proxime affuturi, excepto tamen tempore belli, ki miat az Baniazok nem mivelhetnének: alioquin el telvén az Kántor, ha még-nem fizetne, a Profont-is tollaltassék. Harmadzor, az malommal cziak az maga Prófontia züksegére élljen. Negyedzer:

zer, mindenféle Profont zabados légyen nékie; de fenkire profontiát erövel ne köfse, hanem az ki hol akar vásárolni, zabadofon ott vásárolhaffon. Ötödzör, az magiar mivefeket, kik az ô Profontiával nem akarnak élni, ne degradálhaffa. Hatadzor és utolfor, juxta contenta priuilegiorum Nagibaniaienfium, Perk mefter eligaltafsék, és az elött Praefectus Uram in quibusuis caufis tartozék meg-felelni, per fe vel per Procuratorem. — Nos igitur praemiffa eorum fupplicatione, nobis, modo quo fupra, porrecta, clementer exaudita, et fauenter admiffa, praefcriptos Articulos, modo praemiffo nobis praefentatos; omniaque et fingula in eisdem contenta, de verbo ad verbum, fine diminutione et augmento aliquali, praefentibus literis noftris inferi et infcribi facientes, acceptamus, approbamus, ratificamus, ac tam pro praedictis Judice et juratis ciuibus ciuitatis noftrae Nagibania, Gerardoque Lifibona, quam etiam pro pofteritatibus fucceffboribusque ipforum uniuerfis, in perpetuum valituros gratiofe confirmauimus. Et nihilominus fub grauiffima indignatione noftra eisdem indicimus, ut ipfi heredesque et pofteritates fucceffboresque ipforum uniuerfi, praefcriptos Articulos, omniaque et fingula in illis contenta, a modo deinceps fucceffiuis femper temporibus obfervare debeant et teneantur. Datum in ciuitate noftra Cibinienfi, die vigefima feptima menfis Maii, anno Domini millefimo fexcentefimo duodecimo.

Gabriel Princeps m. pp.

XXXIV.

Exemplum praecepti Turcici; e KAPRINAII MSS. A. Tom. XV. accurate defcriptum.

My az hatalmas es gyözhetetlen vitezkedö Török Cfafzarunknak, Szecfenyi, Holokj, Bujaki, es Hatvanj Veghvarainak Præfidiuminak moftani fö heltartojanak az Tekintetes es Nagyfagos vitezlö Ibrahim Baffanak Kajmokanya Kepebeli embere vitezlö Balj Bek &c. (*L. fubfcr. & S.*) Ti vafaros Paloitaj, Kürtöfj,

Szo-

Sztraczinj, Szentpeterj, es több falusi birak polgarok. Ezen czimeres parancsolo függö levelünkett latvan, azt eszetekben vegyitek, hogy a hir mondassal tartoztok ide be Szecseny várában mind addigh, a migh Szecsenyben Török lakik. ertettük hogy Korponaj Kapitany Balassa Balint Groff Ur ö Nagysaga tilalmazza a hirt meghhordanj ide közinkben Szecheny varaban; azért ti az eö Nagysaga ebbelj parancsolattyat elö ne vegyitek, mert ti magatoknak kart tesztek, mivel ha megh ertendgyük hogy Katona jar köztetek falujtokban, es a' hirt megh nem hozzatok; kisz a karo, nyarsban szarattok megh. Isten velünk. Szecseny, 1668. die 18. May.

Idem qui supra.

Inscriptio hæc erat: *Az megh irt falusi es több szomsajunkbelj falusi biraknak, hodolt jamboroknak adassek.*

*) In Tabulario ill. Gentis Szechenianae literae supersunt ad Archiepiscopum Strigoniensem Georgium Széchenyi, a quodam ferociente Bassa Turcico datae, quarum haec esse dicitur epigraphe: *Szécsényi Györgynek, a' Kristus Papjának, a' Német Császár barátjának, az eb adtának, adassék.*

XXXV.

Leopoldus I. R. H. Baronem Sigismundum Pettheö de Gherse ad Comitis dignitatem euehit, an. 1666.
KAPRINAI MSS. B. Tom. XVIII. Nro. 85.

Leopoldus divina favente clementia electus Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Dalmatiae, Croatiae, Sclauoniae, Ramae, Seruiae, Galliciae, Lodomeriae, Cumaniae, Bulgariaeque &c. Rex, Archidux Austriae, Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae, Carinthiae, Carnioliae, Marchio Moraviae, Dux Lucemburgae, ac superioris ac inferioris Silesiae, et Wirthembergae et Thekae, Princeps Sveuiae, Comes Habsburgi, Tyrolis, Ferreti, Kiburgi, et Goritiae, Landtgravius Alsatiae, Marchio Sacri Romani Imperii supra Anasum, Bur-

Burgoviae, ac superioris et inferioris Lusatiae, Dominus Marchiae Sclavonicae, Portus Naonis, et Salinarum &c. Tibi fideli nostro, nobis dilecto, Magnifico Sigismundo Pettheö de Gherse, partium Regni nostri Hungariae superiorum Vice-Generali, ac praesidii nostri Onodiensis supremo Capitaneo, Camerario et Consiliario nostro, salutem et gratiam, ac clementiae nostræCaesareae et Regiae continuum erga Te incrementum. Si laude digni habentur ii, qui ex re tenui et angusta ad virtutem et gloriam enituntur, non minus nostro judicio laudandi celebrandique sunt illi quoque, qui partum virtute majorum Nobilitatis decus, et vitae splendorem, insignesque titulos et honores, in se non modo non patiuntur consenescere, quin potius infracto virilique animo, nihil humile, nihil abjecti cogitantes, quin virtutem sibi sequendam proponentes, non nisi alta spirare, capessendisque, et aggregandis magnis ac splendidis quibusuis rebus et actis sese adaptare consueuerunt; non enim minori cum difficultate, cura, atque labore, transmissi ad posteros tituli et honores retinentur. Ita sane plurimum celebrandi sunt ii, qui domestica gloria non contenti, suo quoque marte, et propria industria, genus et familiam suam, alioquin vetustam et celebrem, maioribus honorum et gloriae titulis illustrare condecorareque student. Et licet quidem hos ipsa virtus remuneret: quoniam tamen Deus Optimus Maximus, Principum, ac eo magis nostrum, quem omnium Potentatuum Christianorum summum constituit Monarcham, inter alia non postremum voluit esse officium, virtutis nempe, et honestatis, ac fidelitatis cultores fovere, ornare, ac in exemplum aliorum remunerare, atque ad altiora euehere. Officio tali nostro, peculiari quodam naturae nostrae instinctu, a primis Imperii Regnorumque nostrorum regiminis, ac felicis inaugurationis exordiis, hucusque semper propense respondere conati sumus; nihil antiquius habentes, quam ut eos, quorum singularis erga nos et sacrum diadema nostrum fides est conspicua, praeclaris honorum titulis, in perennem rerum a se gestarum memoriam, cohonestemus. Quod ipsum in Te quoque

Sigismunde Pettheö de antelata Gherſe, libenter facimus, et tanto quidem propenſius, quo intelligimus Te antiqua et celebri ortum proſapia, cuius utpote majores etiam et progenitores, generis ac virtutum ſuarum eximia meruiſſe teſtimonia perhibentur. Sicut et tritavus quoque Tuus, Magnificus quondam Johannes Pettheö de dicta Gherſe, per Sereniſſimum olim Uladislaum, aeque Regem Hungariae et Bohemiae, ubi Sereniſſimam quondam Dominam Annam, felicibus auſpiciis ſibi in conjugem thalamique ſociam chariſſimam elegiſſet, adducique curaſſet, ipſis ſtatim primis adventus illius diebus, et in Magiſtrum Curiae, exigentibus id meritis ac virtuoſis ſuis qualitatibus, deligi meruit; quo in officio ſe apud eundem, usque ad ſupremum ipſius diem, ſumma fide, prudentia, et dexteritate geſſit: qua tandem e medio ſublata, et divina Majeſtate ita diſponente vita functa, in Magiſtrum Curiae chariſſimorum dictae quondam Regiae Majeſtatis liberorum, quibus nil charius, nihilque pretioſius habuit, deputatus exſtitit, ita ut dum alii fideles eius partim bona et reditus Regios curaſſent, partim theſaurum et ſupellectilem ampliſſimam conſervaſſent tuitique fuiſſent, is rem omni prorſus theſauro omnique ſupellectili pretioſiorem, ipſos videlicet liberos chariſſimos, ſub ſua cura et cuſtodia habuit; quo in officio ſe ita ſemper geſſit, ut nihil amplius in eo deſiderari, aut requiri potuerit. Unde neminem etiam alium ſibi honoris ſeu muneris ejusdem participem, ſive collegam habuit. Ut autem propenſa illius olim Johannis Pettheö in praetitulatum quondam Regem ac Dominum ſuum chariſſimosque ejus liberos, illuſtres utpote Ludovicum Ducem et Annam filiam, fidelitas, ac in omnibus rebus agendis integritas et conſtantia, non ſolum in ſe, verum univerſam ſtirpem et cognationem Veſtram diffunderetur, ac haeredibus et poſteritatibus Veſtris decori et ornamento foret, utque amor ejusdem quondam Regiae Majeſtatis, quo ipſum ob praeſcriptas ſuas virtutes ac merita complectebatur, omnibus innoteſceret; ad illa vetuſta familiae Veſtrae in-

ſignia,

ſignia, ſcutum videlicet inſtar turbinis, in ſupremo latum, in imo acuminatum, in quator campos lineis duabus transverſis, ſeſe invicem in medio ſcuti interſecantibus diviſum, quorum quidem duos, ſuperiorem nempe, et inferiorem, per transverſum ſe habentes rubri coloris, duo animalia occupant: nam in ſuperiori campo, Leo, ferociſſimum et generoſiſſimum animal, naturali colore depictus, ex ipſius lineae ſummitate caudatenus emergens, aperto et hianti rictu linguam exertam vibrans, fremebundus, primis pedibus erectis ac diuaricatis, capite coronam auream geſtans, cauda in ſublime elevata, et quaſi caput ipſum contingenti, in extremo reflexa conſpicitur; in inferiori vero campo, rubri ſimiliter coloris, ſtat Draco elatus, lingua itidem exerta ac vibrante, ignem ore vomens, vertice criſtato, corpore maculis reſperſo, cauda deflexa, et in nodum ligata, corpus ipſum ſubeunte, pedibus innixus, ad certamen et dimicationem paratus, qui niſi quod linea ſupradicta a Leone dirimitur, procul dubio cum ipſo Leone, ſibi naturali quodam inſtinctu exoſiſſimo, certamen inire conatur. Porro reliquae duae ſcuti partes, linearum, ut praemittitur, intercurſu, a praememoratis diſtinctae, cœleſtini ſunt coloris: quarum una ſuperior, utpote duos frutices herbaceos in prato et gramine viridi ſurgentes et ſuccreſcentes, et anatem terreſtrem, unius illorum fruticum folia decerpentem continet; in altero campo ſimiliter cœleſtino inferiori, luna ſuppallida ſuique coloris, ad inſtar arcus tenſi, cornibus in ſe revolutis, duo ſplendidiſſima ſydera intra orbis ambitum et circumferentiam incluſa continere cernitur. Supra quam quidem totalem formam ſcuti eſt galea ſuo colore depicta, et flores varii circumquaque ſeſe diffundentes, et ſcutum undique omnique ex parte ambientes. Ad haec igitur priſtina, et avitae Veſtrae ſtirpis ac ſtemmatis majorum Veſtrorum inſignia, haec adiungenda duxit, eadem olim ſua Majeſtas Regia, ſupra illam videlicet ſcuti et galeae totalem formam, ac florum lepediſſimam diſperſionem, perſonam ſuam Regiam, in ſolio aurato ſedentem,

dextra

dextra paululum ad pectus elevata, pomum cruce insignitum, sinistra autem sceptrum Regale, peculiare omnium Christiani nominis Regum insigne tenentem, caesarie demissa, capite corona ac diademate Regio redimito, altera corona desuper in campo aëreo, quasi in aëre pendente, et quodammodo in ipsum verticem coelitus descendente; ad cujus quidem solii aurati latera, duo infantes Regii, liberi videlicet antelati praerecensitae quondam Suae Majestatis Regiae suavissimi, stare, ac manibus ipsum solium contingere conspiciuntur; a latere quidem dextro Dux Ludovicus, filius charissimus, sceptrum similiter Regale in dextra tenens, capillulis albis, coronam ac diadema Regium capiti impositum, altera corona desuper itidem imminente; a latere vero sinistro stat Anna Reginula filia jucundissima, pomum similiter aureum sinistra tenens, coma flaua sparsa, et per lactea colla fluente, unica duntaxat corona capite redimito. Quae quidem singulari ac peculiari suae munificentiae dono collata insignia, eadem olim sua Majestas Regia, ipsi quondam tritauo Tuo potissimum convenire putabat, ut cum charissimorum ejus liberorum Magistrum Curiae ageret, eoque munere fidelissime simul ac diligentissime fungeretur, inde potissimum insignia, virtutisque suae clarissimae monumenta haberet, ubi omnem operam, curam, ac solicitudinem collocarat, simulque, ut quemadmodum in insignibus et armis suis earundem Majestatum gestaret effigies: ita in animo quoque, et cordis arcano, veram illam et incomparabilem, iis debitam fidelitatem, medullitus infixam gereret, prout haec omnia in aliis, eiusdem quondam Regiae Majestatis literis, coram nobis in specie productis, suis appropriatis coloribus, pictoris edocta manu effigiata, et distinctius expressata esse conspiciuntur, ipsi tritavo Tuo, vestrisque haeredibus, et posteritatibus universis danda duxit et concedenda. Alter autem Johannes Pettheö de praelibata Gherse, avus utpote Tuus, per Sacratissimum quondam Principem ac Dominum Ferdinandum, similiter Romanorum Imperatorem,

rem, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae &c. Regem, Infantem Hiſpaniarum &c. ejusdem in aula a teneris annis educatus, ob egregia ſua facinora, inprimis quidem Supremi Comitis, Capitaneique Comitatus Soproniensis, nec non pocillatoris honoribus ſeu officiis condecoratus evaſit; deinde vero ad maiora animum intendens, in Flandriam profectus, ubi ſub auſpiciis glorioſiſſimi, feliciſſimi, et Auguſtiſſimi quondam Principis, Caroli Quinti Romanorum Imperatoris beatae recordationis, cum honore ac laude militiae tyrocinium depoſuit, indeque ad praetitulatam quondam ſuam Majeſtatem Caeſaream ac Regiam redux factus, variis eiusdem in expeditionibus, nimirum in bello Germanico, omnium grauiſſimo et maximo, ac per dictum olim Carolum Quintum Imperatorem, una cum ipſa quondam Caeſarea Regiaque Maieſtate, feliciter confecto, Babolchienſique ac Szigethienſi, penes Sereniſſimum quondam Principem ſimiliter Ferdinandum Archiducem Auſtriae, filium utpote illius chariſſimum, contra exercitum Turcarum Imperatoris geſto, eotum Supremi Capitaneatus officio fungen', optimi militis et Capitanei gloriam eſt conſecutus. Ultimo tandem, quo poſteris quoque ſuis praeclariſſimum domeſticae laudis exemplum, ac ſempiterna memoria remaneret, dignitatem Magiſtratus Cubiculariorum in Hungaria, cum ſolito, et ab antiquo conſueto eius ſalario, omnibusque iurisdictionibus, conditionibus, authoritate, praerogativis, et honoribus, quibus caeteri Magiſtri Cubiculariorum uſi ſunt et gauiſi, utunturque et gaudent, fuit adeptus. Denique vetus et clariſſima Domus haec Veſtra Pethöiana, quae nullo unquam tempore, aliqua infidelitatis labe, vel laeſae Maieſtatis crimine notata et obfuſcata fuiſſe reperiretur, alios quoque viros complures, a ſingulari prudentia et authoritate, primariis in functionibus cum dignitate ſuſtinendis, excitatos, et domi forisque celebres, produxiſſe dignoſcitur. Quorum laudabilibus veſtigiis Tu quoque Sigismunde Pettheö de attacta Gherſe, inhaerere ſemper contendens, virtutem-

tutemque Tibi sequendam proponens, spretis vitiorum ac desidiae illecebris, laboribus et corporis exercitiis temet dedens, ut Sacrae imprimis Regni nostri Hungariae Coronae, Augustaeque Domui nostrae Austriacae, debitae fidelitatis et constantiae zelo ac alacritate, inseruire posses; hinc statim in ipsa adolescentia Tua, amore patriae, eiusque ab hostilibus infestationibus, perennium et naturalium christiani nominis hostium, Turcarum tutandae studio, ac de praefata Augusta Domo nostra benemerendi desiderio, militari disciplinae Te applicasti, ac ubi et quamprimum tumultus ac intestinae seditiones, sub felici regimine Suae Sacratissimae Caesareae et Regiae quondam Maiestatis paternae, per Georgium olim Rakoczy seniorem, Transsylvaniae Principem suscitati, ac exorti fuissent, succreuissentque et viguissent; licet eorum multi Regnicolarum, partim metu perculsi, partim novitate rei pellecti, a constantia, fideque et fidelitate Deo imprimis, ac deinde eidem quondam suae Maiestati Sacraeque Regni nostri praedicti Coronae debita, leviter ac temere deflexissent et desciuissent, atque contra legitimum Regem, et publicum Regni bonum arma sumpsissent: Tu tamen Sigismunde Pettheö de antedicta Gherse, auitae virtutis, constantiae, et fortitudinis memor, infracto et excelso animo, pro dignitate et authoritate legitimi Regis ac Domini Tui obseruanda, nullos labores, sed nec vitae ac Tuorum impendentia pericula pertimescendo, vel facultatibus expensisque Tuis parcendo, cum jactura et amissione etiam omnium bonorum ac fortunarum Tuarum, Temet, ad illibate contestandum Tuam fidelitatem et obsequia, inde ad hasce partes contulisti, et cum ad commune huiusmodi exortum incendium restinguendum vires undique colligerentur, Tu quoque inter alios fideles nostros praesto fuisti, ac in castra animose condescendisti, sub auspiciisque praelibatae quondam paternae Maiestatis, contra exercitum Rakoczianum sedulam et fidelem operam impendisti; solutis demum castris, sedatisque belli procellis, primum quidem Ono-

dien-

dienſis Capitaneatus officio; quod etiamnum benigna noſtra cum ſatisfactione adminiſtras, inſignitus, ad omnem occaſionem, ſtrenuum et cordatum ducem et militem pariter temet exhibuiſti, multisque et variis Turcarum excurſionibus reprimendis, dimicationibus, ac praeliis in perſona interfuiſti, Teque ibidem ſtrenue ac militariter geſſiſti, iugique felicitate ſemper victoriam reportaſti; deinde vero ad officium Vicegeneralatus Caſſovienſis, quo in praeſentiarum quoque ſumma cum laude fungeris, promoveri meruiſti. Ad quam quidem animi Tui fortitudinem, et declaratam hactenus in rebus agendis dexteritatem, aliis quoque ingenii laudabilibus qualitatibus ac virtutibus accedentibus, omnino Te dignum judicauimus, qui in numerum quoque fidelium noſtrorum Camerariorum et Conſiliariorum Hungarorum ſimul et ſemel adſciſcereris. Quorum omnium tam praemiſſorum, quam etiam aliorum per Te majoresque ac progenitores Tuos, domi et militiae laudabiliter ac utiliter praeſtitorum factorum, ac anteceſſorum quoque Tuorum gratia, motu proprio, animo deliberato, ex certa noſtra ſcientia, et poteſtatis noſtrae plenitudine, Te Sigismundum Pettheö de praenotata Gherſe, ex ordine et numero ſupra dicti Regni noſtri Hungariae Magnatum, in quo hactenus Tu, ac majores progenitoresque Tui ſemper verſati eſtis, benigne eximentes, ac per Te Annam Paczoth conſortem, nec non Franciſcum, Sigismundum, Ladislaum, et Stephanum filios, item Claram, Evam, Chriſtinam, Juditham, ac Eliſabetham filias Tuos, hæredesque et poſteritates Veſtros utriusque ſexus univerſos, veros Comites, vulgo a Germanica natione Graff nuncupatos, fecimus, creavimus, et Comitis titulo decoravimus, ac inſigniuimus; vosque ac haeredes et ſucceſſores veſtros, numero coetuique aliorum verorum ac indubitatorum Comitum aggregauimus et adſcripſimus, gratiarumque, libertatum, praerogativarum, et dignitatum Comitibus debitarum, capaces et conſortes fecimus, ac tenore praeſentium, motu, animo, ſcientia, et poteſtate praedictis, vos haeredesque et

ſuc-

ſucceſſores veſtros, veros et indubitatos Comites creamus & conſtituimus, ac ad ſtatum verorum ac indubitatorum, ut praemittitur, Comitum evehimus et promovemus, eorumque numero et conſortio, praeſpecificata quoque antiqua Veſtra inſignia confirmantes, aggregamus, habilesque et capaces facimus gratiarum, libertatum, praerogativarum, et dignitatum. Et hanc quidem benignitatis noſtrae propenſionem, ac ſingularem gratiam, erga Te Sigismundum Pettheö de toties fata Gherſe, exhibere et declarare voluimus, quo Tuo exemplo, aliis etiam fidelibus ſubditis noſtris, praecipue vero haeredibus et poſteris Tuis, ſimilia bene merendi ſtudia Tua, et fidelia obſequia amplectendi et imitandi calcar, et maius quodammodo incitamentum addatur. Decernentes eadem authoritate noſtra, et hoc edicto noſtro ſtatuentes, ut de caetero Tu Sigismunde Pettheö de praetitulata Gherſe, ac per Te conſors, filii, ac filiae Tui praedicti, haeredesque et ſucceſſores Veſtri utriusque ſexus uniuerſi, perpetuis futuris temporibus, veri et indubitati Comites, vel tamquam de genere Comitum procreati, a Nobis noſtrisque ſucceſſoribus, ac uniuerſis et ſingulis aliis, cujuscunque præeminentiæ, ſtatus, conditionis, aut dignitatis exiſtant, teneri, dici, nominari, et ubique locorum ac terrarum haberi debeant, titulo conſueto Spectabilis et Magnifici, caeterisque praerogatiuis, ut ſupra, nec non praedeclaratis inſignibus Veſtris, in aevum uti, frui, et gaudere poſſitis ac valeatis. Mandantes univerſis et ſingulis Maieſtatis noſtrae Regnorum et Prouinciarum ſubditis, ac fidelibus noſtris, cujuscunque dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ordinis, et conditionis exiſtant, ut Te Sigismundum Pettheö de toties repetita Gherſe, conſortem, item filios ac filias Tuos antelatos, haeredesque et ſucceſſores Veſtros, pro veris ac indubitatis Comitibus habeant, reputent, nominent, et honorent, eoque titulo et praerogativis jugiter uti, frui, et gaudere ſinant, nec aduerſus illa, et hanc noſtram conceſſionem, gratiam, et indultum impediant, mole-

ſtent et perturbent, nec ab aliis impediri, moleſtari, et perturbari ſinant quovis modo. Si quis vero ex nobis ſubiectis id attentare praeſumpſerit, noſtram ſucceſſorumque noſtrorum noverit indignationem ſe incurſurum. In quorum fidem et teſtimonium, haſce literas noſtras, manus noſtrae ſubſcriptione, et ſigillo duplici, quo ut Rex Hungariae utimur, impendenti roboratas, emanari commiſimus. Datum per manus fidelis noſtri, nobis ſincere dilecti, Reuerendiſſimi in Chriſto Patris, Domini Georgii Szelepchényi, Archiepiſcopi Eccleſiae Metropolitanae Strigonienſis, locique et Comitatus ejusdem ſupremi ac perpetui Comitis, Primatis Hungariae, Legati nati, ſummi Secretarii et Cancellarii, ac Conſiliarii noſtri intimi, in Ciuitate noſtra Vienna Auſtriae, vigeſima prima menſis Aprilis, Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto. Regnorum noſtrorum, Romani octauo, Hungariae et reliquorum undecimo, Bohemiae vero decimo. Reuerendiſſimo, ac Venerabilibus, in Chriſto Patre ac Domino, dicto Georgio Szelepchényi, praefatae Metropolitanae Strigonienſis Archiepiſcopo, Colocenſis et Bachienſis eccleſiarum canonice unitarum Archiepiſcopatu vacante; Thoma Pálffi ab Erdöd electo Agrienſis, Petro Petretich Zagrabienſis, Epiſcopatu Nitrienſi ſimiliter vacante, Georgio Bárſony Varadienſis, itidem Georgio Széchényi electo Jaurien. Franciſco Folnay electo Tranſſiluanien. Stephano Sennyei de Kis-Sennye electo Weſprimien. Franciſco Szegedi Vaczien. Fratre Hyacintho Macripodáry Chyanadien. altero fratre Joanne Salix Quinqueeccleſien. pariter Joanne Szmolyanovich electo Segnienſis et Modruſienſis; Sedibus Epiſcopatuum Sirmienſis et Samandrienſis vacantibus; Franciſco Gorub electo Novienſis, Matthæo Szentthamáſy electo Corbavienſis, Sedibus Epiſcopatuum Scopienſis, Tininienſis, et Scardonenſis ſimiliter vacantibus; tertio fratre Matthæo Benlich electo Boznenſis, et Georgio Berdoczy electo Roſonenſis Eccleſiarum Epiſcopis, Eccleſias Dei feliciter gubernantibus. Item Spectabilibus et Magnificis, Comite Franciſco Veſſelényi de Hadad perpe-

perpetuo in Murány, praeſpecificati Regni noſtri Hungariae Palatino, Comite altero Franciſco de Nádasd perpetuo Terrae Fogharas, Judice Curiae noſtrae Regiae, Comite Petro perpetuo a Zrinio, annotatorum Regnorum noſtrorum Dalmatiae, Croatiae, et Sclavoniae Bano; Comite Adamo Forgách de Ghymes, Tavernicorum, Comite aeque perpetuo Adamo a praenotato Zrinio, Agaſonum, Comite Nicolao Pálffi a prælibata Erdöd, Cubiculariorum, Comite itidem Nicolao Dráskovicz de Trakoſtyán, Janitorum, Comite Georgio Illyésházi perpetuo a Trenchin, Dapiferorum, officio Pincernarum vacante; Comite Paulo Eſzterházy de Galantha Curiae noſtrorum Regalium in Hungaria Magiſtro, ac memorato Comite Nicolao Pálffi a memorata Erdeod, Comite Poſonienſi, caeterisque quam plurimis ſaepefati Regni noſtri Hungariae Comitatus tenentibus et Honores.

Leopoldus m. pp.

Georgius Szelepchényi m. pp.
Archiepiſcopus Strigonienſis.

Stephanus Orbán m. pp.

